# INSTITUTIONES

# JURIS CANONICI

IN

VARIOS TRACTATUS DIVISÆ.

Hujusce libri auctor ac editor jus retinent illum transferendi, vel curandi ut ille transferatur quodlibet in idioma. Legibus, edictis, conditionibusque pactis inter gentes freti, quamcumque adulterationem interpretationemve, nulla sui juris habita ratione confectam, persequentur.

Id opus, ad normam a legibus præscriptam, in fidem publicam, depositum fuit Parisiis, per mensem februarium anni reparatæ salutis millesimi octingentesimi quinquagesimi quinti; omnesque sancitæ formulæ in diversis imperiis, quibuscum litterarias pactiones Gallia inivit, fuerunt expletæ.

VENIT:

| | | |
|---|---|---|
| ROMÆ. . . . . | apud | MERLE. |
| — . . . . . | | BONIFAZIO. |
| MEDIOLANI. . . . . | | DUMOLARD. |
| — . . . . . | | BONARDI POGLIANI. |
| TAURINI . . . . . | | Hyac. MARIETTI. |
| FLORENTIÆ . . . . . | | P. DUCCI. |
| GENUÆ. . . . . | | BETTOLO ANTONIO. |
| NEAPOLI. . . . . | | G. DURA. |
| CAMBERII. . . . . | | PUTHOD. |
| GENEVÆ. . . . . | | BERTHIER GUERS. |
| — . . . . . | | Marcum MEHLING. |
| FRIBURGI. . . . . | | P. MEYLL. |
| MADRITI. . . . . | | Carolum MONNIER. |
| LONDINI . . . . . | | BURNS et LAMBERT. |
| BRUXELLIS. . . . . | | DEWAGENEER. |
| TORNACI . . . . . | | J. CASTERMAN et filios. |
| SILVÆ DUCIS. . . . . | | VANHOEVEN. |
| WURTZBURGI . . . . . | | STAHEL. |
| COLONIÆ. . . . . | | HEBERLE. |
| LIPSIÆ. . . . . | | Alph. DURR. |
| CRACOVIÆ . . . . . | | Val. WIELOGLOWSKI. |
| PETROPOLI. . . . . | | ISAKOFF. |


Atrebati. — Ex Typis E. Lefranc, via vulgo dicta Saint-Maurice, 26.

# TRACTATUS

DE

# JUDICIIS ECCLESIASTICIS

## UBI ET DE VICARIO GENERALI EPISCOPI,

AUCTORE

**D. BOUIX,**

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE.

Canonum statuta custodiantur ab omnibus : et nemo in actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur. (Capite 1, tituli 2 *de Constitutionibus*, libri 1 decretalium, ex concilio Meldensi anni 845, in Gallia.)

---

TOMUS PRIMUS.




PARISIIS,

APUD JACOBUM LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS,

VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29.

1855.

5995

27 Junii 1854.

## IMPRIMATUR

PRIOR PARS TRACTATUS (1).

Fr. Dominicus Buttaoni, ordinis Prædicatorum, sacri Palatii Apostolici Magister.

(1) Posterioris partis recognitionem Romana censura nondum absolverat, cum, ob privata quædam negotia mea, Urbe discedere debui. Hinc ne, relicto Romæ manuscripto, diuturniores necterentur moræ, posteriorem illam partem Ordinario loci, in quo tractatus excudebatur, subjeci; Illustrissimo nempe ac Reverendissimo Atrebatensi Episcopo; qui postulatam edendi facultatem benigne concessit, prout videre est sequenti pagina.

## AUTORISATION

### DE MONSEIGNEUR L'ÉVÊQUE D'ARRAS, DE BOULOGNE ET DE SAINT-OMER.

M. l'abbé D. Bouix nous ayant demandé l'autorisation de faire imprimer dans notre ville épiscopale la seconde partie d'un traité intitulé *De Judiciis ecclesiasticis,* dont la première partie porte l'*Imprimatur* du Révérendissime Maître du Sacré-Palais, Nous avons fait examiner cet écrit ; et sur le rapport de l'examinateur par Nous désigné, Nous en avons permis l'impression.

Donné à Arras, le 29 janvier 1855,

† P.-L., ÉVÊQUE D'ARRAS.

# TRACTATUS

DE

# JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

## TOTIUS TRACTATUS DISTRIBUTIO.

Accingenti sese ad universam judiciorum ecclesiasticorum excutiendam atque describendam normam, commoda occurrit totius concinnandi tractatus bipartita distributio, videlicet: *de Judiciis ecclesiasticis in genere*, et *de Judiciis ecclesiasticis in specie*. Sunt nempe notiones plurimæ, quaslibet respicientes ecclesiasticorum judiciorum species, quas ad intelligendam tractationem reliquam, eique solidam in antecessum substernendam fundamenti vim, præmitti necesse est: eæ porro sub priori bifariæ divisionis membro sedem propriam obtinent. Quarum series nobis hoc ordine statuenda visa est: imprimis scilicet expenditur quid sint judicia ecclesiastica et quo jure regulentur.

Tum, ne subeat dubitatio, num forte illegitime judiciorum ejusmodi praxis in Ecclesia invaluerit, probatur atque inconcusse firmatur judiciaria Ecclesiæ potestas.

Insuper et qualis ea sit, seu quodnam proprium sibi objectum habeat, subjungitur.

Quibus in antecessum missis, subit de variis personis quæ judiciis ecclesiasticis intervenire solent, et de juris sacri quoad singulas statutis legibus disceptatio.

Cum vero nequeat unaquæque causa nisi a competente judice legitime dirimi, qua ratione judex ille competens dignosci valeat, est etiam indigitandum.

In unoquoque præterea judicio præcipuum est ut probetur

quod intenditur, cum judex nequeat nisi ex probatis sententiam proferre; unde et de probationibus dicendum.

His ergo notionibus, totidem sectionum tractu expendendis, constat hujus operis nostri *Pars prior*, *de Judiciis in genere* inscripta.

Pars vero altera *de Judiciis ecclesiasticis in specie*, suapte veluti natura postulat, ut ea omnia quæ singulis, tum curiarum, tum judiciorum ecclesiasticorum speciebus propria sunt, sigillatim expendamus: atque hinc immensus profecto campus panditur. Occurrit enim dicendum:

1° De curia romana, de ipsius nempe congregationibus, tribunalibus, judicibus, eorumque norma.

2° De curia episcopali recte intelligenda et ordinanda.

3° De processu criminali ordinario.

4° De processu criminali extraordinario.

5° De processu civili ecclesiastico.

6° De rei judiciariæ lege apud religiosos ordines obtinente.

7° Tandem suppeditandæ quoad totius rei judiciariæ praxim opportunæ formulæ.

Et dicto quidem ordine, totidem adhibitis sectionibus, secundam partem expediemus. Gravissimam tamen *de curia romana* tractationem suo loco memorabimus tantum, ad specialem de hac retractatum (quem Deo dante mox edemus (1)) remittentes. Neque enim decebat tanti momenti, totque materiis abundans argumentum, subdivisionis sede hic intercludi; tum ne sola illa pars reliquum opus extensione fere adæquaret, tum ne præsens tractatus, tot simul congestis materiis, ultra modum excresceret. Sed et sectionem *de re judiciaria apud regulares* prætermittendam duximus, nonnulla de hoc in tractatu *de ordinibus religiosis* annotaturi.

Inde autem facile perspiciet lector quem nobis precipue

(1) In tractatu *de Curia Romana* disseremus de cardinalibus, de romanis congregationibus, ac tribunalibus; et de apostolicis legatis, nunciis, vicariis, visitatoribus et administratoribus.

scopum præfixerimus. Voluimus nempe jus commune exponere quoad eam rem judiciariam, quæ Episcopis eorumque Vicariis generalibus, ac aliis episcopali auctoritate delegatis judicibus subjacet : quibus ut *veluti theorico-practicum manuale* suppeditaremus potissimum intendimus.

Addidit autem animos ad ejusmodi non parvæ difficultatis cœptum, non modo præsentium temporum ratio (vehementer siquidem desiderabatur et a multis expostulabatur dilucida recentibusque rerum permutationibus accommodata de hoc argumento tractatio); sed et precipue eorum virorum cohortatio, quibus me decuit omnino morem gerere, quique paratis jam aliis meis publicationibus præire hanc opportunum arbitrati sunt.

# PARS PRIMA.

## DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS IN GENERE.

Constat ea pars, ut supra indicatum est, sectionibus sex, videlicet: 1° de judiciorum ecclesiasticorum natura, et quo jure regulentur; 2° de vera et proprie dicta Ecclesiæ judiciaria potestate; 3° de proprio judiciorum ecclesiasticorum objecto; 4° de variis personis quæ judiciis ecclesiasticis interesse solent, et de juris sacri quoad easdem decretis; 5° de competenti foro ecclesiastico; 6° de probationibus.

Ad quatuor priora capita quod attinet, non eadem fuit antiquorum canonistarum cum recentioribus conditio. Certa olim apud omnes erant, et extra controversiam posita ejusmodi sacræ disciplinæ principia; unde posterioribus dumtaxat duobus sectionibus erat scriptori incumbendum. Postea vero in quæstionem vocata ipsa Ecclesiæ judiciaria potestas, ejusque extensio et proprium objectum; de quo et sparsi errores plurimi, qui nunc etiam non paucorum mentes in transversum agunt. Ne ergo fabricam absque fundamentis extruere videremur, ad firmandum in antecessum sanæ doctrinæ hac de re principia, explorendaque falsorum systematum commenta, ipsa nos adegit incœpti ratio; cujus et gravitas, ne in his leviter vestigia figeremus, satis admonebat.

# SECTIO I.

## De Judiciorum ecclesiasticorum Natura et quo jure regulentur.

Hic dicendum venit: 1° de judicii forensis natura et recta definitione; 2° utrum judiciorum institutio juri naturali, an vero juri positivo adscribenda sit; 3° de variis judiciorum speciebus; 4° an et quo sensu a Justinianeo etiam jure ecclesiastica judicia normam aliquatenus accipiant.

### CAPUT I.

#### DE JUDICII FORENSIS NATURA ET RECTA DEFINITIONE.

1. Generaliori sensu *judicium* vocatur quælibet mentis de aliqua re pronuntiatio: unde quidquid a quolibet de re quacumque affirmatur vel negatur, judicium est. In materia vero forensi, non omnis de qualibet re pronuntiatio judicium dicitur, sed aliqua tantum; ita ut judicium generali prædicto sensu sumptum, et judicium forense (de quo solo in hoc tractatu agendum est) sese habeant ad invicem tanquam genus et species. Cujus autem naturæ sit, et quomodo recte definiri queat illa judiciorum species, quæ in materia forensi stricto sensu *judicia* dici solent, operæ pretium est ad præcavendam omnem in posterum ambiguitatem perscrutari, et cæteris disquisitionibus præmittere.

2. Ad essentiam judicii forensis requiritur, ut sit *pronuntiatio de eo quod alicui ex jure debetur*. Quocumque enim

modo, et a quacumque persona aliquid pronuntietur, si sententia feratur de alia re præterquam de *eo quod alicui ex jure debetur* (id est vel de pœna vel de commodo alicui jure debitis), judicium non erit. Certum est enim, ex usu loquendi unanimiter recepto, judicia in materia forensi non vocari, quæ circa aliam materiam versantur. Unde, verbi gratia, merito derideretur qui judicium forense vocaret affirmationem hanc, *terra circa solem gyrat*; etiamsi sententia hujusmodi a magistratu pro tribunali sedente emitteretur. At vero, licet ad constituendam forensis judicii essentiam, omnino requiratur ut in prædictam materiæ speciem, et non in aliam, sententia cadat, ea tamen sola conditio non sufficit; sed requiruntur simul aliæ. Nam,

3. Ad essentiam forensis judicii insuper requiritur ut pronuntiatio de eo quod alicui debetur, fiat *a persona ad justitiam faciendam legitime constituta*, quæ consequenter potestatem simul habeat sua judicata ad executionem deducendi. Si enim ab alia persona (quæcumque illa sit) pronuntietur, ex usu loquendi unanimiter recepto, pronuntiatum ejusmodi, etiamsi versetur circa id quod alicui ex jure debetur, nullatenus forense judicium constituit. Omnino ergo in judicio forensi stricte sumpto intervenire debet persona ad justitiam reddendam legitime constituta. Justitiam autem facere talis persona non valeret, nisi simul sufficienti potestate polleret ad procurandam judiciorum suorum executionem; unde idem est aliquem ad justitiam faciendam constitui, et constitui cum potestate judicata sua ad executionem deducendi. Sed neque sufficiunt ad judicium in materia forensi constituendum duæ præfatæ conditiones. Nam,

4. Requiritur etiam, ut a persona ad faciendam justitiam constituta *aliquis petat*, vel de commodo sibi ex jure debito, vel de pœna alteri ex jure pariter debita, sententiam proferri. Si enim, *nullo postulante*, magistratus pronuntiet de eo quod alicui ex jure debetur, justitiam quidem exercebit; atvero non procedet *judicialiter*, nec inde exurget id quod, ex usu

loquendi communiter recepto, judicium stricto sensu vocatur. Sit in exemplum præfectus militum, vel provinciæ gubernator, qui vel militis, vel alterius malefactoris delictum advertens, debitam in eum pœnam decernit : id quidem justitiæ actus, judicium vero minime vocabitur. Ad judicium ergo stricte sumptum requiritur aliquis a judice distinctus *actor* : quo nomine vocari solet ille qui aliquid judicialiter pronuntiari postulat. In criminalibus autem causis *accusator* appellatur. Nec objiciatur non semper requiri actorem, cum in criminalibus sufficiat delicti fama et notorietas, ut possit judex ex officio inquirere et in delinquentes animadvertere : hoc autem modo prolatas sententias inter proprie dicta judicia ab omnibus merito recenseri. Nam etiam tunc vere intervenit aliquis actor, conditionis licet specialis, et qui, ad distinctionem aliorum, *quasi-actor* dici potest ; ita ut in objecto casu falsum sit eumdem accusatorem et judicem agere. Quod, pro rei gravitate, aliquantula evolutione, antea quam ad alia transeamus, statim probandum est.

5. Certum nempe est in criminalibus procedi posse absque alio actore quam fama circa delictum sparsa, qua judex ad justitiam, veritate comperta, exercendam stimuletur : id enim ex jure naturali simul et positivo demonstrari potest. Ex naturali quidem : nam jus naturale id tantum requirit ut malefacta juste puniantur : ut autem justa pœna pronuntiari valeat, absolute non requiritur aliquis a judice distinctus qui tanquam accusator seu actor vindictam petat ; sed bene potest judex ipse, noto de patratis delictis rumore, eos qui deliquisse dicuntur ad tribunal vocare, veritatem inquirere, et ea certo comperta, sententiam proferre. Sed et idem constat ex jure ecclesiastico : sic enim decrevit Innocentius III in concilio generali Lateranensi anni 1216 : *Non solum cum subditus, verum etiam cum Prælatus excedit, si per clamorem et famam ad aures superioris pervenerit..., debet coram Ecclesiæ senioribus veritatem diligentius perscrutari, ut (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis ; non tanquam*

*idem sit accusator et judex, sed quasi denuntiante fama, vel deferente clamore, officii sui debitum exequatur.* (Capite *qualiter et quando* 24, *de Accus.*, libro 5 decretalium.) Concedimus ergo in præfatis casibus non requiri ut quis judicem adeat et pœnam in delinquentem decerni expresse postulet; nec inficias imus vera esse judicia quæ hoc modo expediuntur.

Atvero tunc nihilominus non desunt qui actores speciali modo agunt, et sceleris vindictam implicite et æquivalenter postulant; ii nempe qui de patrato crimine loquuntur et ex quorum sermocinationibus exurgit fama publica. Cum enim judex possit ex officio in eos inquirere, quos fama refert criminis reos, qui rumorem de crimine spargunt et famam efformant, hoc ipso *quasi-actorem* constituunt, cum fama hujusmodi vim actoris habeat; unde verum remanet in omni proprie dicto judicio intervenire actorem aliquatenus a judice distinctum. Valeret quidem supra descripta objectio, si judex procedere posset ex sola sibi propria criminis notitia, quin deficeret essentia proprie dicti judicii : at negatur judicium vocari posse quod judex hoc modo ageret. Supponamus, verbi gratia, principem vel magistratum a principe cum sufficienti potestate constitutum, suismet oculis vidisse patrationem sceleris : poterit quidem statim in reum animadvertere, pœnam ipsi ex jure debitam imponendo; ille vero actus forense judicium minime constituet. Si autem magistratus constitutus tantum fuerit cum potestate justitiam forma judiciali exercendi, neque poterit sententiam ferre in reum ex sola notitia sceleris quam ipse tanquam testis oculatus acquisivit; sed poterit tantum contra reum, ad aliud tribunal citatum, testimonium proferre. Unde tandem concludendum, vel non extare proprie dictum judicium, vel in eo aliquem actorem aut quasi-actorem a judice distinctum intervenire.

Quam quæstionem Schmalzgrueber expendit et solvit hoc modo : « An in omni judicio necesse sit intervenire judicem « actorem et reum? Videtur respondendum negative, ob du- « plicem rationem. Et *primo* quidem, quia in judicio criminali,

« quando agitur de crimine notorio, et per viam inquisitionis « specialis ex officio proceditur, nullus est actor. *Secundo*, « quia aliquando proceditur per viam inquisitionis generalis « ad inveniendum malefactorem, ubi tam actor quam reus « deficit. — Sed adhuc dicendum, tres istas personas vere « aut ficte saltem intervenire in omni judicio proprie dicto : « et ostenditur solutione rationum in contrarium oppositarum. « *Ad primum* : eo casu vicem accusatoris supplet notorietas « criminis, vel præcedens fama eique succedanea criminis in- « dicia. *Ad secundum* : quamdiu generaliter tantum proceditur, « et de crimine in certam personam non inquiritur, judicium « vere non datur (ut cum Maranta advertit Pirhing, hic n. 2); « vel dici potest cum eodem Pirhing, adesse quidem etiam « hoc casu reum aliquem, non tamen certum, sed qui ex « futuro eventu aliquando veniat certificandus. » (Ad titulum *de Judiciis*, libri 2 decret., n. 16.)

6. Requiritur persona quæ postuletur vel pœna plecti, vel ad cedendam alteri rem aliquam cogi. Alioquin enim nullus esset in judicio actor, ac proinde nullum extaret judicium : nam in civilibus judiciis nullus actor esse potest nisi petendo aliquam rem, aliquod scilicet commodum sive bonum : illud autem commodum non postularet judicialiter, nisi ei ab aliquo denegaretur : si enim nullus ei denegaret quod postulat commodum, eo pacifice frui posset, nec ad illud impetrandum ad judicem recurreret. Ergo nullum extare potest judicium civile absque persona quæ denuntietur tanquam aliquam rem alteri injuste denegans. Pariter in judicio criminali nullus actor esse potest, nisi aliquem denuntiando tanquam criminis reum; ac proinde nullum peragi potest criminale judicium, nisi circa personam criminis accusatam. Persona autem quam actor contendit vel crimen patrasse, vel aliquid injuste denegare, *reus* vocari solet : quo nomine designatur eo quod ab ipsa aut contra ipsam *res*, de qua disceptatio est, a judice postulatur.

7. Requiritur tandem ad proprie dictum constituendum judicium, *causæ disceptatio*, id est, ut proferantur rationes ac-

toris ad probandam postulationis suæ justitiam, et fiat reo eis respondendi et sese defendendi facultas. Si enim actor contra reum affirmaret dumtaxat, nulla adducta probatione; vel si reus ad sese defendendum non vocaretur; et judex nihilominus sententiam proferret, sententia hujusmodi judicium proprie dictum non constitueret: quia scilicet ex usu loquendi unanimiter recepto, ea vox *judicium* in materia forensi, non designat nisi eam sententiam, quam post disceptatam prædicto modo causam pronuntiat judex. Posset quidem absolute princeps (vel alius etiam magistratus ea præter-judiciali potestate instructus), si veritatem aliunde certo compertam haberet, omissa disceptatione pronuntiare: atvero tunc *judicialiter* non procederet. Unde ad forensis judicii essentiam omnino pertinere censenda est causæ disceptatio. Diximus requiri ut fiat reo sese defendendi facultas, non autem ut de facto sese defendat vel compareat: si enim reus ad judicium vocatus sit contumax, id est, venire recuset, hac ipsa agendi ratione implicite respondet et fatetur, sese omni efficaci defensionis medio destitui; quæ responsio ad requisitam ex parte Rei causæ disceptationem plane sufficit, ut ex jure naturali invicte demonstrari potest: si enim pronuntiari nequiret sententia nisi comparente et sese defendente reo, posset judicialis administratio justitiæ a quolibet reo præpediri; siquidem sese contumacem constituendo, et nihil intentatæ actioni respondendo, irritam faceret judicis potestatem.

8. Præter quinque modo enumeratas conditiones, nulla alia requiritur ad constituendum proprie dictum in materia forensi judicium. Enumeratæ scilicet conditiones sunt: 1° ut pronuntietur de eo quod alicui ex jure debetur; 2° ut hujusmodi sententia feratur a persona ad faciendam justitiam legitime constituta; 3° ut versetur circa id quod petit aliquis, seu ut interveniat aliquis Actor; 4° ut versetur circa id quod petitur contra aliquem, seu ut constituatur aliquis tanquam Reus; 5° ut feratur præmissa causæ disceptatione. Jam vero is est loquendi usus in materia forensi unanimiter receptus, ut po-

sitis quinque recensitis conditionibus, adfuisse propric dictum judicium ab omnibus intelligatur; nec est ullus scriptor, ullus juris peritus, qui postulet aliquid descriptæ judicii formæ adjici, ut judicium proprie dictum dici merito possit et debeat. Nisi ergo velimus indebitę loqui, et arbitrarie sensum illius vocis pervertere et immutare, agnoscere debemus, in sententia præfatis conditionibus vestita, totam reperiri forensis judicii essentiam sive naturam. Quod quidem non impedit quin a lege possint aliæ atque aliæ pro variis materiis præscribi formalitates, quibus omissis irritum et nullius effectus judicium declaretur : at vero tunc, judicium, quantumvis a jure positivo irritetur, minime a natura et essentiali conditione judicii deficit. Et certe judicia etiam in quibus omnes juris positivi formalitates accurate servatæ fuerunt, aliquando a tribunali superiori tanquam injusta et ex errore judicis prolata rescinduntur : nemo tamen est qui neget ea vera fuisse judicia, aut qui eadem alio nomine vocet.

9. Ex præmissis autem facilis efficitur ad rectam et genuinam forensis judicii definitionem gressus. Ea nempe pro accurata recipi debebit definitio, quæ omnes et solas supra recensitas quinque conditiones clare exprimet. Quod, inter alias quæ excogitari possent, præstare satis videtur hæc formula : *judicis, de jure ab Actore contra Reum prætenso, præmissa disceptatione, sententia.* Per eas voces *sententia de jure* exprimitur *prima* essentialis conditio, ut nempe sententia sit de eo quod alicui ex jure debetur. Vox *judicis*, *secundæ* conditioni satisfacit, qua requiritur ut sententia feratur a persona ad reddendam justitiam legitime contituta : non enim vocatur judex nisi ad exercendam justitiam legitime positus aut deputatus. *Tertia* vero et *quarta* conditio pariter adimplentur, dum additur *ab Actore contra Reum prætenso. Quinta* tandem, dum subjicitur, *præmissa disceptatione.*

10. Cæterum exposita de natura judicii doctrina, cum ea consonat quæ a probatis doctoribus communiter tradi solet; qui variis licet formulis utantur, idem tamen quoad rem ex-

primunt; ut satis patebit ex paucis quas subjicimus judicii definitionibus, passim in eorum scriptis occurrentibus : *legitimæ controversiæ inter Actorem et Reum ortæ apud Judicem disceptatio et definitio.* (Maschat, *Institutiones canonicæ*, tom. 1, pag. 671, edit. Romæ 1757.) *Legitima controversiæ quæ inter Actorem et Reum intercedit, per Judicem cognitio, discussio et definitio.* (Soll, *Tractatus de Judiciis*, initio, — et eodem modo Zoesius, *de Judiciis*, n. 2, — et Pirhing, pariter *de Judiciis*, n. 2.) Addit loco citato pater Söll, hanc esse communiter a doctoribus traditam judicii notionem. Posteriori loco descriptam definitionem refert etiam Schmalzgrueber et eam cæteris anteponit (ad tit. 1, lib. 2 decretal., n. 2). In idem recidit definitio a Ferrario tradita, quam dicit esse in re communem apud doctores : *legitima rei controversæ apud judicem inter litigantes tractatio seu disceptatio et dijudicatio* (Ferraris, ad vocem *Judicium*, n. 1). Ex quo definiendi modo, apud doctores consueto, satis patet non novam esse, sed communem et receptam quam tradimus de judicii natura notionem.

11. Jam perspici potest quomodo judicium differat a quæstione, lite, causa et instantia. « Ut ex definitione paulo ante « tradita patet (ait Schmalzgrueber), *judicii* nomine venit con- « troversiæ et quæstionis in judicium deductæ tota discussio, « quæ fit et durat a citatione usque ad sententiam. *Quæstio* « est ipsa res vel jus controversum quod deduci in judicium « potest : quod si actu in judicium deducatur, *causa* vocabitur; « ut adeo causa et quæstio in hoc solum differant, quod causa « proprie non dicatur nisi in judicio, quæstio autem etiam ex- « tra illud. *Litis* nomine plerumque venit actio, qua causa con- « troversa deducitur in judicium, sive in rem, sive in personam « sit. *Instantia* denique est exercitium actionis, quod litis con- « testatione incipit, et usque ad sententiam definitivam durat, « si feratur; si non feratur, biennii aut triennii lapsu, et « etiam Rei ab observatione judicii absolutione, de jure sal- « tem civili *(Justinianeum jus ibi intelligit auctor)* extingui- « tur. Porro quæstio, quæ in judicio disceptatur vel discep-

« tari potest, est duplicis generis, facti et juris. *Facti quæstio* « est, cum de facto, de quo forte nundum liquet, vel si de « hoc liqueat, de circumstantiis facti quæritur; exempli gra- « tia, quis fecerit, quo modo, quo loco, quo tempore, quibus « circumstantiis, etc. *Juris quæstio* est, quando quæritur de « facti merito, quod in eo consistit, ut jus facto recte appli- « cetur : interrogatur ergo in hoc, an id quod factum est, « jure factum sit, et quid de hoc facto leges statuerint; « exempli gratia, an recte Titius occiderit Caium, et si male « occidit, qua pœna sit afficiendus » (in titulum 1, libri 2 decretalium, n. 3). Vide etiam Maschat (*Institutiones canonicæ*, tom. 1, pag. 671, edit. Romæ 1757).

12. Ex dictis etiam patet qualis proprie sit judicis potestas : est nempe potestas jurisdictionis simul et imperii, seu (ut dicunt pragmatici) *jurisdictio imperio mixta*. Nam primario seu principaliter judex efficetur, aliquis per potestatem causas cognoscendi et jus quoad eas dicendi; quæ potestas *jurisdictio* vocatur. Sed inanis remaneret potestas hæc, nisi ei adjungeretur et facultas vim coactivam aliquam exercendi. Necesse nempe est ut simul possit judex partes citatas et testes cogere ad comparendum, necnon sententias suas ad executionem efficaciter deducere : potestas autem coercendi *imperium* dicitur; unde revera jurisdictio in judice, ut vera sit et non derisoria, debet necessario esse cum aliquo imperio conjuncta. Dicimus *cum aliquo;* quia, attenta judicialis potestatis essentia, sufficit ea coercendi facultas, quæ necessaria est ad judiciorum expeditionem et sententiarum executionem. Et eam quidem coercendi potestatem habere judex censetur, hoc ipso quod judex legitime constituatur : majorem autem ex solo judicis officio non habet.

## CAPUT II.

### UTRUM JUDICIORUM INSTITUTIO JURIS NATURALIS SIT, AN VERO DUMTAXAT POSITIVI.

*Prænotandum.* — In judicio considerari possunt conditiones ad ipsius naturam seu substantiam pertinentes, sine quibus scilicet ab essentia judicii deficit; et aliæ formæ ad constituendum in suo esse proprie dictum judicium non necessariæ. In proposita autem quæstione, *utrum judicia naturalis juris sint*, hæc duo sedulo sunt distinguenda. Advertendum præterea institutionem judiciorum dupliciter dici posse ex jure naturali manare : vel nempe eo sensu quod jus naturale præscribat in omni societate completa institui tribunalia, ita ut regulariter et ordinarie per judicia proprie dicta justitia reddatur; vel eo sensu quod, attento eodem jure natutali, nunquam et in nullo casu possit justitia aliter administrari. Quibus prænotatis, sit.

Propositio I^a^. — *Ex jure naturali, debet in omni societate completa judiciorum proprie dictorum institutio induci.* — Nam ea est in præsenti naturæ lapsæ statu hominum conditio, ut multæ lites et delicta perpetuo tum in societate ecclesiastica, tum in civilibus præcipue societatibus exoriantur. Necessarii inde multi magistratus qui et delicta coerceant et lites dirimant. Iterum autem ob prædictam naturæ humanæ ad delinquendum proclivæ conditionem, nisi ordinarie et regulariter dicti magistratus adstringantur in jure dicundo ad eas formas servandas quæ de substantia judicii sunt, persæpe ex negligentia, errore, aut partium etiam studio, in tranversum agentur, et a justitiæ tramite aberrabunt. Dictat ergo recta ratio, et bonum publicum aperte postulat, ut in omni societate completa, id est, sive in Ecclesia, sive in qualibet temporali republica, tribunalia constituantur; et judices teneantur supra expositas quinque conditiones ad proprie dictum judicium ne-

cessarias, ordinarie saltem, in facienda justitia observare.

Propositio IIª. — *Institutio judiciorum non est de jure naturali, eo sensu quod omnia crimina coerceri et omnes omnino lites dirimi debeant per judicia proprie dicta.* — Ideo semper deberent magistratus in reddenda justitia substantiales judicii formas adhibere, et nunquam possent procedere extra-judicialiter, quia id postularet bonum publicum seu generale societatis; atqui bonum publicum non ita rigorose postulat ut in omnibus omnino coercendis criminibus et dirimendis litibus, per formam judicialem procedatur; sed permittit imo et postulat ut aliquæ dentur exceptiones. In certis enim casibus pericula et incommoda traheret regularis causæ disceptatio actorem inter et reum; tum ob moras et dilationes ad id necessarias, tum quandoque ob scandalum ex regulari processu oriturum. Sit in exemplum ordinaria in delinquentes milites exercenda justitia : si pro minoribus militum culpis puniendis, teneretur dux militum judicialiter procedere, ita ut admittenda foret Rei defensio, tota ut patet in nihilum abiret militaris disciplina, unde et magnum exurgeret reipublicæ damnum. Postulat ergo bonum publicum, ut potuis quandoque accidat aliquem militem insontem puniri, aut nimia pœna culpam ejus plecti ex omissis judicialibus ad veritatem exacte discernendam cautionibus, quam dilationibus et discussionibus forensibus, exercitus vim et ordinem præpediri et perturbari. Porro non desunt alii ejusmodi casus in quibus tum ecclesiasticus, tum sæcularis magistratus, ita postulante majori bono publico, debeat posse procedere extra-judicialiter. Judicia *ex informata conscientia* in quibusdam circumstantiis a concilio Tridentino episcopis permissa, utilia procul dubio et legitima sunt. In iis porro judicii forensis substantialia non sunt necessario servanda, ut suo loco dicetur. Ergo licet ex jure naturali induci debeat generaliter judiciorum proprie dictorum institutio, non ita urgere lex illa naturalis censenda est, ut non possit princeps ipse, et alii magistratus ab ipso constituti, in certis casibus justitiam extra-judicialiter, id est, omissis etiam

aliquibus ex supra enumeratis quinque conditionibus, ad judicium proprie dictum constituendum necessariis, exercere.

Propositio III^a. — *Præter formalitates ad constituendum judicium proprie dictum necessarias, quæ substantiales dici solent, cæteræ ad jus humanum referendæ sunt.* — Licet enim ejusmodi formalitates utiliter præcipi possint et soleant, de unaquaque tamen dici potest, non induci ex ipsius omissione generale injustitiæ periculum; quod periculum e contra certo aderit si generaliter omitti permittatur aliqua ex quinque constitutivis supra descriptis judiciorum formalitatibus. Hinc ejusmodi non substantiales formalitates variæ apud varias respublicas reperiuntur; imo in unaquaque republica, et in ipsa Ecclesia, pro variis temporibus mutationes passæ sunt. « Cætera (ait Schmalzgrueber), ut libelli oblatio, litis contestatio, juramentum « calumniæ, feriæ, dilationes, fatalia, sententiarum formulæ, « et similia, sunt juris positivi humani; quia non necessitatem, sed solemnitatem sapiunt. » (In titulum *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 4.)

## CAPUT III.

### JUDICII IN VARIAS SPECIES DIVISIO.

1. Dividitur in ecclesiasticum et sæculare. In priori ecclesiastica, in posteriori sæcularis potestas per suos magistratus jus dicit.

2. In civile et criminale: hoc puniuntur malefacta; illo cæteræ lites dirimuntur.

3. In ordinarium sive solemne, in quo solemnitates omnes a lege præscriptæ servantur; et extraordinarium sive summarium, in quo servari tantum necesse est requisita ad naturam judicii et veritatem cognoscendam.

4. In petitorium et possessorium. « Petitorium vocatur in « quo litigatur de proprietate rei, id est, in quo disceptatur

« super rei (verbi gratia, domus, beneficii ecclesiastici, aut juris « eligendi, vel patronatus) dominio vel quasi dominio; vel « super jure aliquo in re aut ad rem competente, puta, de jure « pignoris, servitutis hæreditatis, etc.; petitque actor, se rei con- « troversæ declarari dominum vel quasi dominum, aut sibi jus « in re vel ad rem competere... Possessorium judicium est, in « quo inter partes contentio est de sola rei vel juris posses- « sione aut quasi possessione adipiscenda, retinenda vel recu- « peranda; cum scilicet tantum actor petit, vel ut adipiscatur « possessionem rei quietam nec in ea turbetur, vel ut recuperet « amissam. » (Schmalzgrueber, in titulum *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 5.)

5. In simplex et duplex : simplex dicitur quando una pars est Actor, et altera Reus : duplex vero, quando utraque pars est simul auctor et reus; quod accidit quoties uterque litigans alterum convenit, id est, eum in jus vocat et aliquid ab eo petit.

6. In judicium bonæ fidei, et stricti juris. « Judicium *bonæ* « *fidei* est, in quo liberam potestatem a lege sibi concessam « judex habet, ut æstimare ex æquo et bono possit quantum Ac- « tori restitui debeat; adeoque adjudicare aliquid potest, de « quo inter partes haud conventum, et quod in libello non est « petitum. *Stricti juris* judicium est, in quo facultas judicis est « restricta, ita ut ultra id quod vel nominatim inter partes « actum, vel specialiter legibus de negotio cautum est, sen- « tentia sua non possit progredi. Porro qualia judicia sint bonæ « fidei, qualia stricti juris, desumendum est ex genere actionis; « nam tale est judicium qualis est actio ex qua consurgit judi- « cium. Enumerantur autem actiones bonæ fidei omnes, § *ac-* « *tionem* 28, *institut. de Action.* Cæteræ quæ ibi non sunt positæ, « stricti juris censentur. » (Schmalzgrueber, in titulum *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 9.)

Præter enumeratas judiciorum species, quæ scitu præcipue utiles sunt, non paucæ aliæ a juris peritis memorari solent; ast quæ nulla fere explicatione indigent, et quas ideo brevitatis causa omittendas duximus.

## CAPUT IV.

### AN ET QUO SENSU A JUSTINIANEO ETIAM JURE ECCLESIASTICA JUDICIA NORMAM ALIQUATENUS ACCIPIANT.

Ad regulandum in judiciis ecclesiasticis procedendi modum, nullam per se vim haberent Justinianeæ collectionis leges, utpote quæ a mera potestate sæculari processerint.

Atvero duobus modis contingere potuit ut in foro etiam ecclesiastico vim haberent ejusmodi leges: 1° si nonnullas expresse Ecclesia canonizaverit, id est, in canones seu leges ecclesiasticas sua acceptatione transmutaverit; 2° si generatim decreverit, observandum fore Romanum jus in iis materiis mere profanis pro quibus nulla occurrit juris canonici regula, et in quibus hæc Justinianei juris applicatio nihil inducit catholico dogmati aut aliis Ecclesiæ legibus contrarium. Porro utrumque revera contigit. Plures scilicet Romani juris dispositiones expresse suas fecit Ecclesia, ita ut in corpore juris canonici insertæ reperiantur. Item generaliter a Sede Apostolica sancitum est ut, ubi deficeret juris canonici regula, a jure Romano ea desumeretur, modo tamen illæsis omnibus canonicis decretis id fieri posset. Constat capite *intelleximus* (1, tituli 32, libri 5 decretalium) in quo Lucius III, de materia, pro qua (ut ipse dicit) nihil reperiebatur in *canonibus definitum*, normam esse voluit juris Romani dispositionem; quod et in similibus generaliter casibus esse intelligendum indicant hæc ipsius verba: *sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur.* Ex contextu autem patet eam vocem *adjuvantur* ibi intelligendam esse hoc sensu: ut deficientibus in aliqua materia sacrorum canonum præscriptionibus, iis per juris Romani leges sit supplendum. Atque ita unanimiter doctores intelligunt sacri et Justinianei juris confœderationem.

« Si quid (ait Engel) jure canonico dubium et obscurum (sicut « præsertim circa contractus et pacta perpaucæ sunt in canoni- « bus decisiones), jure autem civili clarum; ejusque materia sit « profana, non spiritualis, in foro ecclesiastico etiam juri civili « locus est. » (Proœmium, n. 19.)

Consonat Fagnanus (in caput *qui presbyterum* 2, tituli 38 *de Pœnitentiis et remis*, n. 34) : « etiamsi dicta lex *non dubium* (1) « non esset specialiter canonizata, adhuc tamen obligasset « omnes : quia jus canonicum statuit, ut in his, in quibus non « est contrarium expresse dispositum per sacros canones, ser- « vetur jus civile, ut in capite *intelleximus* 1, *de Novi operis* « *nuntiatione*; et ibi omnes interpretes. »

Idem non minus expresse tradit Fagnanus (in caput *cum esses* 10, tituli 26 *de Testamentis*, libri 3 decretalium, n. 18) : « Præterea, inquit, ubicumque non reperitur aliqua dispositio « juris civilis expresse immutata a jure canonico, non debemus « inducere discrepantiam inter jus canonicum et jus civile : « imo lex civilis servari debet etiam in foro Ecclesiæ, ut ca- « pite *intelleximus* 1, *de Novi operis nuntiatione*; et ibi Ab- « bas... Andreas... et alii communiter. »

Item Suaresius (*de Legibus*, lib. III. cap. 8, n. 3) loquens de supra citato capite *intelleximus* : « Qui textus non de causis « temporalibus sed de ecclesiasticis loquitur; et quoad hoc « servari debet in tota Ecclesia; quia in his causis ubique sub- « jecta est juri canonico, et ita etiam uti debet civili, quate- « nus ibi est canonizatum. » Unde Suaresio dubium non est servandum in foro ecclesiastico Justinianeum jus *in quantum est canonizatum* per decretalem *Intelleximus*. Decretalis porro illa (juxta communem doctorum interpretationem), Justinianeum jus canonizat (id est applicandum decernit) quoad eas dumtaxat dirimendas quæstiones, de quibus nil reperitur in sacro jure dispositum.

(1) Eam legem habes in codice Justinianeo, sub numero 4, tituli 14 *de Legibus et const.*, libri 1.

Censetur autem adesse contrariam juris sacri dispositionem, non tantum quando expresse aliter disponunt Canones, quam Justinianeæ *leges;* sed etiam quando (tacentibus canonibus) lex Cæsarea de facto *ex usu* recepta non fuit in foro ecclesiastico. Hinc Fagnanus (in caput *venerabilis*, *de Judiciis*, n. 2), expendens quomodo decretales quædam supponant instantiam judicii non perire per spatium triennii, quamvis contrarium statuatur Justinianeo jure (lege *properandum*, c. *de Judiciis*), dicit *id potuisse contingere, quia jus civile, de quo in prædicta lege* properandum, *non fuit in foro ecclesiastico receptum moribus.*

Expositæ canonistarum doctrinæ consentit etiam Benedictus XIV (*de Synodo diœc.*, l. IX, c. 14), ubi de *sæcularibus legibus* sic adnotat : « Ejusmodi leges, si rem spectent mere « profanam, neque ulla ex parte sacris canonibus adversentur, « tacite approbatæ videntur in capite 1, *de Novi operis nun-* « *tiatione.* »

Adnotet lector hanc a clarissimo Pontifice appositam limitationem, *si rem spectent mere profanam;* quam etiam vidimus supra ab Engel adhibitam.

Jam vero generale illud principium de juris Romani in foro ecclesiastico, intra dictos limites, valore atque usu, etsi universalem canonicam jurisprudentiam respiciat, præcipue tamen in tractatu *de Judiciis ecclesiasticis* est attendendum. Ibi enim frequentiorem applicationem habet, ut in decursu patebit; et in exponenda et recte intelligenda de forensibus ambagibus materia magnæ utilitatis est. Hinc ab ipso præsentis tractationis exordio, generale istud principium voluimus in memoriam lectori revocatum : ne scilicet miretur Justinianeas leges quandoque a nobis, ad probandum quid juris canononici sit, adduci. Ejusmodi enim probatio, nedum extra quæstionem vagari et robore carere censenda sit, pro legitima et ad determinandum jus ecclesiasticum sufficiente habenda erit; modo (ut diximus) canonum statutis Justinianeus textus non contrarietur.

Et notetur propriam eam vim esse Romano seu Justinianeo juri; non autem communem cæteris quo alii populi usi sunt aut hodie utuntur legum codicibus. Frustra enim ii codices in probationem adducerentur; quia non eos, sed Justinianeum dumtaxat suum fecit Ecclesia ad supplendum in iis materiis de quibus canones silent, aut dubie loquuntur. Hinc autem aperte sequitur non posse quemquam juris sacri peritum fieri, nisi simul Romanum jus adierit, atque ex eo fonte non pauca hauserit. Atque inde mos, ut in universitatibus ipsi etiam clerici utrique operam navent, atque in utroque doctoratum sibi nanciscantur.

Nihilominus decretalis *super specula* (quæ est ultima libri tertii decretalium) non tantum ab eo juris Romani studio clericos et religiosos deterrere videtur, sed expresse sub excommunicationis pœna prohibet, ne religiosi *de claustris exeant ad audiendum leges;* atque eam dispositionem postea extendit ad presbyteros, necnon ad clericos omnes personatum aliquem obtinentes. Hinc apud canonistas ortæ quæstiones: 1° an regularibus et clericis sæcularibus liceat Justinianeum jus docere; 2° an ipsis liceat publicas frequentare scholas in quibus jus illud legitur; 3° an ipsis liceat eidem juri privatim studere. Quas quæstiones vide fuse discussas a Fagnano (in dictum caput *super specula*, n. 18 et sequentibus). Hic dumtaxat adnotabimus communiorem doctorum sententiam : tenent scilicet prohibitum clericis non esse studium Justinianei juris, modo ei tanquam minus principali incumbatur; id est, modo fiat ad meliorem juris canonici intelligentiam.

« Mirabitur fortasse non nemo (ait Engel, in procemio, « n. 19), cur in capite ultimo *ne clerici vel monachi*, sub « pœna excommunicationis interdicatur personis ecclesias- « ticis studium juris civilis? Respondeo id intelligi de tali « studio quod abstrahit a vita ecclesiastica, et fit intentione « subeundi munera et officia sæcularium advocatorum vel « judicum; non autem quod fit in ordine ad perfectam juris « canonici intelligentiam. Ad majorem tamen cautelam uni-

« versitates solent a S. Pontifice expressum privilegium ad-
« mittendi clericos ad publicas legum civilium lectiones im-
« petrare. »

Quoad denominationes *juris civilis* et *juris Romani*, passim a canonistis usurpari solitas, sciat lector iis nihil aliud designari quam editam ab imperatore Justiniano legum collectionem; quod jus *civile* seu *Romanum*, ad vitandam omnem ambiguitatem, nos in decursu operis *Justinianeum* vocabimus.

# SECTIO II.

**Probatur Ecclesiæ competere proprie dictam judiciariam potestatem, idest, forum externum cum potestate coactiva.**

Ad evertendum catholicum dogma, de certa et ab ipso Christo accepta judiciaria Ecclesiæ potestate, nihil non moverunt heterodoxi. Apprime scilicet intellexerunt damnatarum opinionum patroni, sibi parum pertimescendam fore Ecclesiæ auctoritatem, si ita coarctaretur, ut posset tantum suadere, deprecari, et ad summum excommunicare; nulla autem vi coactiva polleret, qua reos etiam invitos ad comparendum coram suo tribunali compelleret, eos discuteret, et debita sententia justisque et externis pœnis coerceret. Hinc, pro quæstionis gravitate, operæ pretium duximus præcipuorum istius modi errorum elenchum præmittere: tum genuinum thesis sensum (ne ulla remaneant ex æquivocatione effugia) sedulo determinare: ac tandem varia argumenta, quibus vera hac in re doctrina fulciri solet, evolvere.

## CAPUT I.

### EXPONUNTUR PRÆCIPUI CIRCA JUDICIARIAM ECCLESIÆ POTESTATEM ERRORES.

« Primus Aetius omnem Ecclesiæ jurisdictionem et legisla-
« tivam potestatem eripere conatus est. Ejus errorem sequuti
« sunt Valdenses, Joannes Hussius, Marsilius Patavinus, Jan-
« dunus, Lutherus, Calvinus, Grotius; qui falso putarunt nul-
« lam Ecclesiæ esse jurisdictionem, sed omnem ejus in dirigendo
« et suadendo positam esse auctoritatem. Horum exemplo pro-
« testantes omnes qui jus Principis in sacra tuentur, Ecclesiæ
« adimunt judiciariam potestatem. Qui cum Puffendorfio Ec-
« clesiam, non distinctam rempublicam aut *statum* (ut inquiunt),
« sed tantum *collegium* esse contendunt (ut Moshemius, Bohe-
« merus, Budæus, aliique), Ecclesiæ esse negant judiciariam
« potestatem; sed hanc ad jus majestatis Principis sæcularis
« pertinere arbitrantur; atque Ecclesiæ tantum jus collegiale
« tribuunt. Joannes Bodinus (l. 3 *de Republic.*) ecclesiasticæ
« jurisdictioni ac foro vehementer adversatur; atque eum se-
« cutus est Carolus Loysæus in suo *Traité des seigneuries*. In
« eodem luto hæsitat P. La Borde, qui opusculo cui titulus,
« *Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux*
« *puissances spirituelle et temporelle*, datam a Christo Ecclesiæ
« potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones,
« sed etiam jubendi per leges, cogendique et pœna coercendi
« eos qui pœna sunt digni, labefactare ac tollere conatur; atque
« ecclesiasticum ministerium ita sæculari potestati subjicit, ut
« ad hanc pertinere contendat de externa omni ac sensibili gu-
« bernatione cognoscere ac judicare. Pravum ac perniciosum
« opusculum damnavit Benedictus XIV constitutione *ad assi-*
« *duas* (44, tom. 4 ejus bullarii, pag. 163 editio Romana seu
« Veneta 1758); et similis Marsilii Patavini et Janduni error

« multo ante damnatus est a Joanne XXII constitutione *licet*
« *juxta doctrinam* (apud Raynaldum, t. 5, p. 347, edit. Lucæ)
« Morinus (in opere *de Pœnitentiæ administratione*, l. 1, c. 10)
« forum contentiosum Ecclesiæ non distinguit a foro pœniten-
« tiali, atque illum tantum post XI aut XII sæculum Ecclesiam
« habuisse putat. Cum Morino sentit Van Espenius (*Jus eccles.*
« *univ.*, t. 3, tit. 1). Fevretii celebre est opus *de Abusu*, quo
« ipse ecclesiasticam jurisdictionem et judiciariam potestatem
« acriter insectatur. Inde Du-Pinius (*de Antiqua Ecclesiæ dis-*
« *ciplina*, dissert. VII, § ult.) judicium ecclesiasticum in civi-
« libus et criminalibus clericorum causis et potestatem, ex prin-
« cipis permissu repetit. Petrus Giannonius (*Historia civili regni*
« *Neapolitani*, lib. 2, c. ult., tom. 1), hostis infensissimus con-
« tentioso Ecclesiæ foro, omnem ejus potestatem in docendo,
« orando, suadendo, et per censuras corrigendo ponit, et Mo-
« rino assentitur. Jacobus quoque Gothofredus (ad l. 47 *codi-*
« *cis Theodos. de Episc. et cleric.*, t. 6, p. 105, edit. Lipsiæ 1743),
« et Jacobus Cujacius (*in paratit. cod. de episcopali audient.*,
« operum tom. 2, col. 30, edit. Venetiæ 1758) judiciariam Ec-
« clesiæ potestatem negant. » Hunc erroneorum opinionum elen-
chum transcripsimus ex Devoti (*Institutiones canonicæ*, lib. 3,
tit. 1, § 4, in nota).

De iis auctoribus qui sustinent nullam Ecclesiæ competere coercitivam potestatem, sic sentit doctissimus Zaccaria : « Pe-
« riculosum est ejusmodi tentamen; atque, ut semota omni
« adulatione loquar, protestantismum tantisper redolet; si-
« quidem hac via devenitur ad ejiciendam Ecclesiam e con-
« ditione status seu societatis perfectæ, ad conditionem *colle-*
« *gii*. Si ergo impugnandi errores cæteri, at huic eradicando
« maxime est incumbendum. An autem intentum assequar?
« Faxit Deus! Sin vero, irritus cedat labor meus, id tantum
« sequetur incommodi, quod me ignarum curiæ Romanæ as-
« sentatorem clamitabunt. Esto : lucrum mihi existimabo
« (cum in præsentiarum subeundum pro veritate martyrium
« non immineat), quod detur saltem cum apostolis (ob propu-

« gnatam potestatem coercitivam quam ipsi possederunt, do-
« cuerunt, in usum deduxerunt), solemnem subire verberum
« et conviciorum explosionem. Felicem me, si detur aliqua
« saltem ex parte eosdem imitari apostolos, qui *ibant gau-*
« *dentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro*
« *nomine Jesu contumeliam pati.* » (*Le Storie idee raddirizzate*, cap. 5.) Quæ verba clarissimi auctoris, quantum tenuitati meæ licet, mea facieus (nam et mihi contigit pro tuenda sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ doctrina nonnulla pati), ad eundandam quæstionem accedo.

## CAPUT II.

### DETERMINATUR SENSUS THESIS, PROPRIE DICTAM JUDICIARIAM POTESTATEM ECCLESIÆ VINDICANTIS.

Per judiciariam Ecclesiæ potestatem hic non intelligimus potestatem quam habet Ecclesia condendi definitiones fidei, seu decernendi quid fideles credere teneantur. Eam quidem prærogativam simul cum infallibilitate a Christo accepit Ecclesia : at dum jus illud exercet non dicitur *judicabiter* procedere, neque in condendis hujusmodi circa fidem decretis reponimus proprie dictam ipsius judiciariam potestatem.

Item dogma catholicum est, posse Ecclesiam leges circa disciplinam edicere, quæ fidelium omnium conscientiam attingant et obligent : ast ab illa etiam diversa est potestas quam hic nomine proprio *judiciariam* vocamus.

Item certum est ab Ecclesia decerni posse censuras, quas ipso facto incurrant qui determinata quædam flagitia patrant ; quarum censurarum effectus sit, ut de jure, et etiam de facto, qui eis subjacent priventur bonis quibusdam spiritualibus, verbi gratia sacramentis, consortio fidelium, etc. Sed neque eam hic vocamus *judiciariam* Ecclesiæ potestatem.

Item in foro pœnitentiali secreto, verum exercetur judi-

cium, in quo Reus sponte sese accusans, pœnam et sententiam a judice ecclesiastico accipit : qua sententia, utpote sacramentali et divinitus operante, peccata diluuntur. At neque de hac judiciaria potestate hic agimus.

Item in foro pœnitentiali publico, quali primis post Christi adventum sæculis usa est Ecclesia, reperitur quoddam judiciariæ potestatis exercitium ; siquidem in pœnitentes qui sese Reos publice et spontanee declarabant, pœnæ decernebantur et sententia ferebatur. Aliud tamen intelligendum venit per proprie dictam Ecclesiæ judiciariam potestatem, quam nunc ipsi vindicare intendimus.

Eo scilicet *judiciariæ* potestatis stricte sumptæ vocabulo designamus jus Ecclesiæ ea exercendi quæ superiori sectione *proprie dicta judicia* vocavimus : id est, habendi tribunalia, in quibus ipsius ordinarii magistratus vel ab istis delegati, ita jus dicant circa certas causas ecclesiasticas, tum civiles tum criminales, ut reis coram hujusmodi ecclesiasticis judicibus conventis liberum non sit comparere vel non ; sed e contra teneantur ex conscientia, et potestate judicis cogi possint, ad comparendum et ad subeundam et exequendam sententiam. Unde sic intellecta Ecclesiæ judiciaria potestas includit, 1° potestatem cognoscendi de certis causis tum civilibus tum criminalibus, easque dirimendi ; 2° jus prædictam potestatem sibi exclusive vindicandi ; ita ut non nisi injuste, abusive et nulliter in ejusmodi causas sese ingerat sæcularis potestas ; 3° potestatem obligandi fideles ad deferendas ejusmodi causas ad judicem ecclesiasticum, interdicto ipsis laïco tribunali ; 4° jus habendi procuratorem auctoritate ecclesiastica constitutum, cujus publico ministerio certorum criminum rei conveniantur ; 5° potestatem obligandi in conscientia Reum, ab Actore ad jus vocatum, ut compareat, sententiamque subeat et exequatur ; 6° potestatem eumdem Reum *vi coactiva* compellendi ad subeundam et exequendam sententiam.

Ea intelligenda venit in tota præsenti sectione judiciaria Ecclesiæ potestas : distincta, ut patet, tum a foro pœniten-

tiali, tum a potestate decernendi de fide, tum a potestate legislativa circa disciplinam, tum a potestate censuras ferendi in certas criminum species.

De hac ergo judiciaria Ecclesiæ potestate movetur quæstio nunc excutienda, utrum revera ad Ecclesiam jure proprio, et a Christo non ab hominibus accepto, pertineat. Dum vero *coactivam vim* Ecclesiæ memoravimus, tanquam judiciariæ ipsius potestatis essentialem partem, iterum usi sumus vocabulo variis obnoxio interpretationibus : aliqui nempe vim coactivam Ecclesiæ in potestate censuras aliasve pœnas mere spirituales decernendi, atque Reos hujusmodi pœnarum comminatione ad subeundam et exequendam sententiam compellendi totam reponunt. Communis autem doctorum scholæ doctrina Ecclesiæ insuper vindicat veram potestatem pœnis etiam corporalibus et temporalibus in Reos et rebelles animadvertendi.

Etiamsi Ecclesia posset tantum per censuras et spirituales pœnas procedere, in vero aliquo sensu *vim coactivam* haberet : dum enim judex ecclesiasticus, sub pœna excommunicationis (verbi gratia) præcipit alicui fideli, ut coram tribunali suo compareat, in eum vim quamdam cogentem exercet ; si quidem hoc modo ad judicium vocatus, licet aliunde invitus, efficaciter tamen ad se sistendum plerumque adducitur : quæ vis coactiva præsertim efficax esse solet, dum contumaci clerico imminet pœna depositionis ab officio, vel privationis beneficii, vel degradationis. Hinc vis illa per censuras et pœnas spirituales cogens, absolute sufficit ad aliquam veram judiciariam potestatem constituendam. Probari ergo potest Ecclesiæ judiciaria potestas, abstrahendo ab illa altera quæstione, utrum ipsi competat jus per corporales et temporales pœnas, et non tantum per spirituales, procedendi.

Ut ergo tanti momenti quæstionem enucleatius expediamus, eam in duplex membrum duximus scindendam : 1° Ecclesiæ generatim vindicamus veram judiciariam potestatem, id est forum contentiosum cum aliqua vi coactiva ; sive ea vis intelligenda sit de solis spiritualibus pœnis, sive etiam de corpora-

libus et temporalibus : atque ea est capitis proxime sequentis materia; 2° probamus vim Ecclesiæ coactivam intelligendam esse etiam de pœnis temporalibus et corporalibus : quod in subsequens caput sejunctim enodandum rejicimus.

## CAPUT III.

### DEDUCUNTUR ARGUMENTA QUÆ PROBANT ECCLESIÆ COMPETERE FORUM EXTERNUM SEU CONTENTIOSUM, CUM VI ALIQUA COACTIVA.

Ut sufficienter probent argumenta in hoc capite deducenda, satis est ex eis certo vindicari Ecclesiæ forum contentiosum, cum potestate cogendi saltem per spirituales pœnas. A fortiori autem valida erunt, quæ probabunt ecclesiasticam per temporales et corporales pœnas coercendi potestatem. Quoniam autem ideo Ecclesiæ denegatur ab heterodoxis forum contentiosum, quia, ut ipsi dicunt, vim coactivam in invitos non habet, ad rem etiam facient argumenta quæ dictam vim coercitivam demonstrant, licet de foro contentioso simul non tractent. Quæ omnia argumenta in sequentes paragraphos distribuenda visa sunt.

### § I.

#### Argumentum ex Scriptura sacra.

1. Direxit sanctus Paulus apostolus ad Timotheum Ephesinum Episcopum hujusmodi præceptum : *adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* (1 ad Timoth. v, 19). Porro ille textus probat Ecclesiæ competere forum contentiosum seu proprie dictam judiciariam potestatem. Nam ibi adsunt fori externi seu contentiosi essentialia, ubi ad sunt Actor Reus et judex aliqua potestate coactiva

præditus : cætera ad forensem apparatum adhiberi solita, ut lictores, notarii, etc., de essentialibus non sunt. Atqui prædicta essentialia exprimunt vel supponunt citata apostoli verba. Exprimunt enim accusatorem, Reum et testes : dum autem Timotheo dicitur, *accusationem noli recipere* nisi sub tali forma, supponitur cum esse legitimum judicem. Accusator autem judicem Episcopum non adiret, nisi Reus posset a tali judice aliquo modo puniri vel ad aliquid aliquo modo cogi : unde hoc ipso quod apostolus supponat accusatores, supponit in judice aliquam coercitivam potestatem. Ergo textus ille probat contentiosum forum, simulque coactivam aliquam potestatem Ecclesiæ ut propriam competere.

2. Sic habetur apud Matthæum, c. 18, v. 15 : *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.*

Christus ibi alloquitur apostolos, qui judæi erant. Judæi autem *Ecclesiam* vocabant tum conventum in synagoga, tum synagogæ principes. Hinc ea verba *dic Ecclesiæ*, idem sonant ac si positum fuisset, *dic Ecclesiæ rectoribus*. Quem cæteroquin sensum tota traditio et sancti patres firmarunt. Item cum solerent judæi ex consortio suo et synagoga ejicere ethnicos et publicanos, ea verba, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, idem ibi sonant ac ista, *ab Ecclesia ejiciatur, et pro ejecto habeatur*. Ergo pastoribus Ecclesiæ contulit Christus potestatem cognoscendi de litibus inter fideles ortis, et sententiam ferendi, et Reum contumacem, seu judici ecclesiastico non obedientem, ab Ecclesia ejiciendi. Porro hoc ipso Ecclesiæ contulit proprie dictam judiciariam potestatem : nam ibi reperiuntur omnia hujus potestatis essentialia : judicium nempe in foro externo cum testibus, Judex, Accusator, Reus, causæ cognitio, sententia, et coercitio.

3° Plures insuper scripturæ sacræ textus probant, a Christo Domino institutam fuisse Ecclesiam ad instar regni, a civili republica distincti; eique regno præpositos fuisse magistratus qui cum imperio societatem fidelium regerent. *Obedite præpositis vestris* (ait divus Paulus) *et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (ad Hæbr. 13, 17). *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit* (Luc. 10, 16) : eruditis autem explorata res est, ibi vocem *audire*, idem sonare ac *obedire*. *Perambulabat Syriam et Ciliciam... præcipiens custodire præcepta apostolorum et seniorum* (art. 15, 41). *Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab apostolis et senioribus qui erant Hierosolymis* (Luc. 16, 4). Inter eas vero apostolorum leges, extabat et illa, procul dubio juris non divini sed mere ecclesiastici, abstinendi a sanguine et suffocato. Sanctus Paulus *virgam* minatur Corinthiis (1 ad Cor. 4, 21) ; et profitetur habere se *in promptu ulcisci omnem inobedientiam ex potestate* (ait) *quam dedit nobis Dominus* (2 ad Cor. 10, 6). *Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo* (2 ad Thess. 3, 14).

Qui textus palam faciunt a Christo datam fuisse apostolis, ac eorum proinde successoribus, veram potestatem regnum Dei, id est, Ecclesiam, regendi et gubernandi. Jam vero ejusmodi potestas etiam per virgam seu coercitionem regendi, imperandi et gubernandi, necessario includit judiciariam potestatem. Ille enim non habet populum regendi veram potestatem, qui nequit lites ortas componere; nec justa est coercitio nisi certum et probatum sit crimen ; quæ probatio ordinarie nonnisi per judicium proprie dictum haberi potest.

4° Prædicti textus Ecclesiæ præterea pastoribus aperte vindicant legislativam potestatem : atqui potestas legislativa nec plena, nec in se bona et utilis esset, nisi adjunctam haberet judiciariam potestatem, qua leges ad casus singulares applicarentur, et earum violatio vindicaretur.

Ergo, tum directe ex quibusdam sacræ Scripturæ textibus,

tum indirecte ex multis aliis, eruitur certa et proprie dicta Ecclesiæ judiciaria potestas.

## § II.

Argumentum ex perpetua traditione et Ecclesiæ praxi.

Hic directe causam habemus cum eo auctorum, tum protestantium, tum jansenistarum, et regalistarum ingenti numero, queis solemne est ad traditionis monumenta appellare, et audacter concludere nullum prioribus sæculis reperiri contentiosæ jurisdictionis, quæ propria Ecclesiæ reputaretur, vestigium : exortum ex imperatorum concessione externum Ecclesiæ forum : idque duodecimo dumtaxat sæculo, ut cum Morino sustinet Van Espenius : vel ad summum octavo aut septimo sæculo, ut benigniores quidam alii.

Cujus assertionis adeo patens et enormis est falsitas, ut vix intelligi possit, quomodo hodiedum quosdam, qui se catholicos profitentur, eodem tramite errabundos deviare non pudeat.

Adeamus ergo traditionis monumenta, et quid recondant, sæculorum seriem decurrendo, reseramus.

Jam sub ipso apostolorum regimine vidimus a sancto Paulo memoratum contentiosum Ecclesiæ forum : *Adversus presbyterum,* inquit, *accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* (1 ad Tim. v, 19). Sed permittamus tam apertum testimonium posse aliquatenus cavillationum nebulis obfuscari; et ad proprie dicta traditionis documenta gradum faciamus.

Anno 202 suum apologeticum librum scripsit Tertullianus : ibi porro (capite 39) sic testatum reperies : *Ibidem etiam exhortationes, castigationes et censura divina. Nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu : summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur.* Judiciis ergo ecclesiasticis *magno*

*cum pondere* Rei discutiebantur, adhibebaturque *castigationum* et excommunicationis coercitio.

Anno 252, ad Cornelium Papam scripsit S. Cyprianus celebrem epistolam, sub numero 59 (alias 55) repositam, in qua hæc de Privato hæretico memorat : *In Sambesitana colonia ante multos fere annos, ob multa et gravia delicta, nonaginta Episcoporum sententia condemnatus.* Postea de Jovino et Maximo qui sese Privato adjunxerant sic prosequitur : *Ob nefanda sacrificia et crimina, in se* (1) *probata, sententia novem collegarum nostrorum condemnati, et iterato quoque a pluribus nobis anno priore in concilio abstenti.* Tandem sermonem convertens ad pseudo-episcopum Fortunatum ejusque socios, qui Carthagine condemnati Romam petiverant, ad Cornelium Papam appellantes, hæc subjungit : *Nam cum statutum sit omnibus nobis, et æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, ... oportet utique eos quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola et fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere et testes sui criminis possunt.* Et paulo post de iisdem subjungit : *Jam causa eorum cognita est ; jam de eis dicta sententia est : nec censuræ congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi.*

Qui hæc Cypriani verba legerunt, nisi ex proposito claudant mentis oculos, quomodo non vident jam tum in usu fuisse forum Ecclesiæ contentiosum? Quid ergo deest ad judicium forense proprie dictum pertinens? Ibi judices, Accusatores, Rei, contestatio litis seu probatio criminis, sententia, appellatio, pœna.

Ad finem tertii sæculi, vel ad summum ad initium quarti, referendos esse canones qui dicuntur apostolorum, tenent communiter eruditi ; fori autem contentiosi proprie dicti usum aperte exhibent : sic enim habet canon 73 : *Si Episcopus a viris fide dignis de aliquo accusetur, vocari eum oportet ab Epis-*

(1) Ea verba *in se* idem ibi sonant ac *contra ipsos*.

*copis. Et si se quidem stiterit, et confessus vel convictus fuerit, statuatur pœna. Si autem vocatus non paruerit, vocetur secundo, missis ad eum duobus Episcopis. Si etiam sic non obaudierit, vocetur tertio, duobus iterum Episcopis ad ipsum missis. Si autem vel sic, aspernans, se non stiterit, synodus pronuntiet de ipso quod visum fuerit ; ne videatur lucrum reportare judicium effugiendo.* Nec minus facit ad rem canon 74 : *In testimonium adversus Episcopum hæreticus ne admittatur : sed nec unus solus fidelis. In ore enim duorum vel trium testium stabit omne verbum.* (Vide textum græcum horum canonum apud Labbe, tom. 1, pag. 40, edit. Venet. 1728.)

Item apud eruditos pro re comperta habetur, constitutiones quæ dicuntur apostolorum, licet sancto Clementi falso adscriptas, esse tamen quarto sæculo anteriores, eisque exprimi disciplinam et statum Ecclesiæ tunc temporis obtinentem. Jam vero quam aperte forum Ecclesiæ contentiosum, seu proprie dictam judiciariam potestatem testentur, quisque facile ex sequentibus textibus perspicere potest : *Quocirca stude, o Episcope, ut mundus purusque sis... Ac sic quidem in Ecclesia sede sermonem faciens, ut qui potestatem habeas judicandi eos qui peccarunt : quoniam vobis Episcopis dictum est, quodcumque ligaveris super terram...* (lib 2, c. 11). *Judica igitur, Episcope, potestate fretus, tanquam Deus : sed pœnitentes recipe : Deus enim misericordiæ est* (l. 2, c. 12). *Episcopum oportet recte judicare, sicut scriptum est, justum judicium judicate... Estote igitur tanquam argentarii periti : ut enim hi nummos adulterinos segregant, probos autem sibi adjungunt, sic oportet Episcopum, quæ vitiis quidem carent retinere, vitiosa vero vel curare, vel si est ægritudo insanabilis, expellere ; et non celeriter amputare, neque quibusvis credere. Usu enim venire solet, ut quidam propter æmulationem aut invidiam contra fratrem aliquem falsam instituant accusationem, ut duo illi senes Babylone adversus Suzannam, et illa Ægyptia contra Joseph. Tu igitur, ut homo Dei, ne hujusmodi accusationes facile admittas, ne innocentem perimas, et occidas justum... Quocirca cum tales homines vobis noti erunt, imprudentes, pugnaces, qui alieno bono*

*anguntur, qui aliorum malis delectantur, ne fidem eis habeatis : quin potius observate eos cum quid ab ipsis contra fratres auditis ; quia necem pro nihilo habent ; et ubi nemo suspicatur prosternunt hominem. Tu igitur considera eum qui accusatus est, sapienter animadvertens quæ ejus vita sit et qualis ; et si repereris accusatorem dicere verum, fac ut Dominus faciendum esse docuit : conveni accusatum seorsum, et argue eum nemine præsente, ut eum pœniteat : sin autem non paruerit, adhibito uno aut altero, indica ei erratum... Sin aliquis durus obstinatusque erit, dic Ecclesiæ : hanc si contempserit, neque audire voluerit, sit tibi ut ethnicus et publicanus, et ne eum ad Ecclesiam tanquam christianum admittas, immo tanquam publicanum devita* (l. 2, c. 37 et 38).

*Quod si delatio falsa sit, et vos pastores cum diaconis mendacium tanquam veritatem amplexi fueritis..., atque ita accusatum quidem, sed a crimine alienum ex Ecclesia expuleritis, rationem reddetis in die Domini... Ergo si absque personarum acceptione judicaveritis, cognoscetis eum qui proximum suum per calumniam mendacis testimonii accusavit, et ostendetis eum esse calumniatorem, invidum, interfectorem, dictis suis contrarium, et oris sui verbis captum... Quem tu, postquam falsitas testimonii ejus convicta fuerit, judica rigide, et gladio ignis trade, faceque ei quod ipse proximo suo scelerate machinatus est* (lib. 2, c. 42). *Itaque ejice eum ex Ecclesia tanquam fratris interfectorem : deinde intervallo temporis interjecto, si dixerit pœnitere se, premite eum jejuniis...* (ibid., cap. 43). *Ne igitur disceptationes vestras gentiles cognoscant, neque ad dicendum contra vos testimonium adhibeantur, neque ab eis judicemini... Si vero fratres habuerint aliquid alius adversus alium..., qui convictus fuerit, objurgetur, ejiciatur, et pœnas odii fraterni luat ; deinde si eum peccati pœnituerit, recipiatur ; atque ita castigati tribunal vestrum allevabunt* (ibid., c. 46). *Fiant judicia vestra secunda feria, ut si fuerit discessum a sententia, possitis libere usque ad sabbatum sedare controversiam et pacificare disceptantes in diem dominicum. Assistant autem judicio diaconi et presbyteri, qui citra acceptionem personarum tanquam homines Dei juste judicent. Cum igitur utraque persona, sicut*

*lex* (Exodi 23) *jubet, in judicium venerit, stabit uterque disceptantium in medio judicio* (ἐν μέσῳ τῷ κριτηρίῳ, quæ vox videtur indicare atrium in quo jus dicitur) : *quibus auditis, ferte sancte et incorrupte suffragia ; et date operam, ut antequam Episcopus pronuntiet, fiant amici, ne exeat Episcopi sententia super terram contra eum qui deliquit ; quia habet secum in tribunali Christum Dei filium, judicii comprobatorem et cognitorem. Si qui vero a quopiam de infamia non recte ambulandi in domino arguantur, auditis similiter utrisque, et non ex opinione præjudicata, neque altero tantum audito, sed potius juste tanquam de vita et morte sempiterna, ferenda est sententia... Qui enim juste a vobis punitus est et excommunicatus, idem a vita immortali et gloria rejectus est, et apud justos et pios homines inhonoratus et inglorius, et apud eumdem Deum damnatus* (lib. 2, c. 47). *Ne de omni peccato idem judicium pronuntietis... Alios quidem solis minis et terroribus, alios muletatione largiendi pauperibus, rursus alios jejuniis comprimes : item alios ex Ecclesia ejicies pro magnitudine et gravitate criminis : si quidem lex non omne delictum eodem supplicio puniebat. .. alios quidem morte puniebat vel cruci affigendo vel lapidando, alios vero mulcta pecuniæ vel verberibus, vel talione. Ergo vos quoque diversa delicta diversis pœnis plectite* (lib. 2, c. 48).

In concilio Nicæno interfuerunt non pauci Ariani Episcopi : hi autem cum viderent sibi imminere a patribus orthodoxis condemnationem, ad Constantinum imperatorem recursum habuere (quod et antea fecerant Donatistæ, graviter ob eam rem a S. Augustino increpati). Imperator autem supplices eorum libellos legere noluit, immo flammis injecit ; rationem addens memoratu dignam, quam refert his verbis Rufinus (*Hist. Eccles.*, lib. 10, sect. prima, cap. 2) : « Deus vos constituit « sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judi- « candi ; et ideo nos a vobis recte judicamur ; vos autem non « potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter « vos expectate judicium ; et vestra jurgia quæcumque sint, « ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis a « Deo dati estis dii ; et convenions non est ut homo judicet

« deos; sed ille solus de quo scriptum est, *Deus stetit in syna-*
« *goga deorum, in medio autem deos discernit.* »

Anno 341, habitum fuisse concilium Antiochenum æstimant fratres Ballerini : cujus synodi canon quintus juxta antiquam versionem sic habet : *si quis presbyter aut diaconus contemnens suum Episcopum separaverit se ab Ecclesia, et secretius congregans altare statuat, et evocanti cum Episcopo non obedierit, cum et primo et secundo vocantem contempserit, noverit se omnino degradari* (Ballerini, *Opera S. Leonis*, tom. 3, col. 538). Idem canon sic reperitur in collectione romana Holstenii, p. 1, pag. 229 (et citatus apud Bianchi, *Potesta e politia della Chiesa*, t. 3, p. 444) : *qui a communione seipsum suspendit, et collectam facit, et altare constituit, et noluerit vocanti Episcopo consentire, et noluerit eidem aquiescere, nec obedire primo et secundo vocanti, hunc omnino damnari, nec unquam vel curationem mereri, nec recipere suum posse honorem.*

Anno 380, judicata fuit causa cujusdam Virginis cui nomen erat *Indicia*. Quomodo autem sese habuerit judicium illud ecclesiasticum, et quam vere fuerit forense seu contentiosum, nobis subministrat sancti Ambrosii epistola quinta ad Siagrium Veronensem Episcopum. Lis autem hæc erat : apud Siagrium Episcopum accusata fuerat supra dicta virgo Indicia, tanquam peccati carnalis rea. Statuit Veronensis Episcopus, ut obstetricum visitationi et inspectioni subjiceretur. Tota autem accusatio ab aperte malevolis et calumniatoribus prodierat. Indicia a sententia Siagrii Episcopi appellavit ad sanctum Ambrosium : is vero, tota causa regulariter discussa, judicium Siagrii rescidit. Ad quem postea scribens, ita objurgat : *hujusmodi accusatores, hujusmodi testes in tuo constituebas judicio, qui neque accusare audebant, neque delationis se nexu obligare... Ubi hæc cognitionis solemnitas? Ubi talis judicandi formula? Si leges publicas interrogamus, accusatorem exigunt : si Ecclesiæ*, duobus, *inquit*, vel tribus testibus stat omne verbum : *sed illis tribus qui ante hesternum et nudius tertius non fuerint inimici, ne irati nocere cupiant, ne læsi ulcisci forte velint.* Narrat postea S. Ambrosius

quomodo accusatores, Mediolanum accersitos, discordantes in ferendo testimonio repererit : *ubi in meo adstiterunt judicio, cum primo de origine causæ quærerem, diversa et distantia prompsere ; non locorum separati, sed mentium eorum divortio.* Et tandem quomodo iidem accusatores sese subtraxissent : *die ipso qui dictus erat cognitioni, substraxerunt se Episcoporum conventui.* Tres autem præcipui calumniatores excommunicati sunt. Vel hæc facta ignorant, vel sui sustinendi systematis furore ob cæcantur, qui affirmant nullum in Ecclesia huisce fori contentiosi seu judiciariæ potestatis proprie dictæ usum, ante VIII vel etiam XII sæculum.

Anno 394, celebratum fuit Constantinopoli concilium, in cujus actis sic legere est : *Nectarius Episcopus Constantinopolitanus dixit... Volens futura stabilire, consequentur et humane sanctissimi Episcopi Theophili sententia decrevit, non brevi in posterum, nec a tribus quidem, nedum a duobus, eum qui reus excommunicatus deponi : sed majoris synodi et provinciæ Episcoporum sententia, sicut apostolici definiere canones.* Flavianus Episcopus Antiochiæ dixit : *quæ exposuerunt sanctissimus Episcopus Nectarius et sanctissimus Theophilus Episcopus, aperta sunt. Et omnes ecclesiastici his acquievimus.* (Apud Labbe, tom. 2, pag. 1308, edit. Venet. 1728.)

Anno 397, habitum fuit Carthagine concilium plenarium, in cujus actis repositum fuit breviarium canonum, quod ediderunt fratres Ballerini (*operum sancti Leonis*, tom. 3, pag. 78). Sub numero autem VI, forma judiciorum ecclesiasticorum sic præscribitur : *ut quisquis Episcoporum accusatur, ad Primatem provinciæ ipsius causam deferat accusator : nec a communione suspendatur, cui crimen intenditur ; nisi ad causam suam dicendam primatis litteris evocatus minime occurrerit, hoc est, intra spatium mensis, ex die qua eum litteras accepisse constiterit. Quod si aliquas veras necessitatis causas probaverit, quibus eum occurrere non potuisse manifestum sit, causæ suæ dicendæ intra alterum mensem integram habeat facultatem. Verum post mensem secundum tandiu non communicet, donec expurgetur. Si autem nec ad eum*

*lium universale anniversarium occurrere voluerit, ut vel ibi caussa ejus terminetur, ipse in se damnationis sententiam dictasse judicetur... Accusator autem ejus, si nunquam dictus caussæ dicendæ defuerit, a communione non removeatur : si vero aliquando defuerit, restituto communioni Episcopo, ipse removeatur... Si autem presbyteri vel diaconi fuerint accusati, adjuncto sibi ex vicinis locis legitimo numero collegarum ; id est in presbyteri nomine quinque ; et in diaconi, duobus: Episcopi ipsorum caussam discutiant, eadem dierum, vel dilationum, vel a communione remotionum et discussione personarum inter accusatores et eos qui accusantur, forma servata. Reliquorum autem caussas etiam solus Episcopus loci agnoscat et finiat. Sane quisquis Episcoporum vel clericorum, cum in Ecclesia ei fuerit crimen impositum, vel civilis caussa fuerit commota ; et is relicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit ; etiamsi pro illo fuerit prolata sententia, locum suum amittat, et hoc in criminali judicio. In civili vero, perdat quod evicit ; si locum suum obtinere voluerit. Cui enim ad eligendos judices undique Ecclesiæ patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de universa Ecclesia male sentiendo, de judicio sæculari poscit auxilium ; cum privatorum christianorum caussas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.* (Loco citato, pag. 92.)

Occurrunt et quinti sæculi monumenta, quæ forum Ecclesiæ contentiosum et judiciariam potestatem aperte, sicut præcedentia, testantur. In concilio Ephesino anni 431, nomine synodi tribus vicibus citatus fuit ad comparendum Nestorius. Herestarchæ autem monuerunt Legati Pontificii, ad damnationis sententiam processuram synodum, *nisi* (ajunt) *coram de omnibus, quæ scripto contra te allata fuerint, sive extra scriptum, te expurgaveris.* Quia vero, etiam post tertiam citationem venire recusavit, pronuntiata damnatio est. Eandem forensis judicii formam secuta est contra Eutychem synodus Constantinopolitana, a S. Flaviano coadunata ; et contra Dioscorum Calcedonense œcumenicum concilium. Ne autem citandis ejusmodi factis plus æquo immorentur, loco eorum subjiciemus

doctissimi Zaccariæ, qui rem sane exploraverat, assertum : *quin timeamus,* inquit, *ne erroris convincamur, palam affirmare possumus, in omnibus causis vel depositorum Episcoporum, vel damnatorum hæreticorum, non minus ante quam post octavum sæculum, semper eamdam servatam fuisse sententiandi normam ; intervenientibus scilicet, citationibus, accusatione, testium allegationibus, et aliis publicis actibus qui forensis et contentiosi judicii proprii sunt.*

Proprie dictam Ecclesiæ judiciariam potestatem non tantum agnovit Justinianus, sed eam sacris et divinis canonibus sanciri ; de quo sic in novella 82 : *si delictum sit ecclesiasticum, et indigeat correctione et pœna ecclesiastica, Deo amabilis Episcopus de hoc judicet, nulla facta communicatione cum clarissimis provinciæ judicibus. Non enim volumus civiles magistratus de talibus negotiis ullomodo cognoscere. Ea enim ecclesiastice discutienda sunt ; et delinquentium animæ emendari debent per pœnas ecclesiasticas, juxta sacros et divinos canones, quos nostræ etiam leges sequi non dedignantur.*

Forum Ecclesiæ contentiosum probant insuper *pœnitentiæ publicæ*, quæ per plura sæcula in usu fuit, ratio et norma. Duplex scilicet fuit ejusmodi pœnitentia, ipso fatente Morino, spontanea et coacta. « Cum peccatum erat publicum, ad pœ-« nitentiam publice agendam peccatores excommunicatione « et omnimoda ab Ecclesia expulsione cogebantur. At cum « peccatum erat occultum, pœnitentiæ publicæ actio erat spon-« tanea, hoc est, ad eam cogi non poterant ulla excommunica-« tione aut sacramentorum publica denegatione. » (Morinus, *de Sacr. Pœnit.*, l. 5, c. 17, n. 7, pag. 298, edit. Bruxelles 1686.)

Ergo, fatente Morino, pœna pœnitentiæ publicæ imponebatur etiam invitis, seu eam ultro non petentibus ; jam vero quis æstimet eam pœnam ab auctoritate ecclesiastica reis impositam fuisse sine ullo judicio, et antequam probatum fuisset crimen de quo accusabantur?

Sed et S. Augustinus nos docet, eam fuisse disciplinam ut nullus posset a communione prohiberi, nisi aut sponte confes-

sus esset suum delictum, aut de eo *in judicio* convictus fuisset. *Nos vero*, inquit, *a communione prohibere quemquam non possumus* (*quamvis hæc prohibitio nundum sit mortalis sed medicinalis*), *nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum*. Quæ verba Augustini luce meridiana clarius ostendunt extitisse suo tempore forum Ecclesiæ contentiosum, seu judicia ecclesiastica propric dicta.

Ex S. Gregorio Magno unum, inter innumera, testimonium promamus. Hæc ad Januarium Calaritanum Episcopum scribebat laudatus pontifex : *Nosti latorem præsentium Epiphanium presbyterum, quorumdam Sardorum litteris criminaliter accusatum. Cujus nos, ut valuimus, discutientes causam, nihilque in eo objectorum reperientes, ut ad locum suum reverteretur, absolvimus. Criminis ergo* (id est accusationis) *ejus auctores te volumus perscrutari. Et nisi qui easdem transmisit epistolas paratus fuerit hoc quod objecit canonicis atque districtissimis probationibus edocere, nullatenus ad sanctæ mysterium communionis accedat.* (Epistolarum lib. 4, epist. 27, edit. Benedictinorum, tom. 2, pag. 706.)

Traditionem et praxim sex priorum sæculorum pandimus; quæ non paucis aut ambiguis aliquot documentis, sed tota monumentorum quæ remanserunt veluti mole, alte et invicte demonstrant, perpetuum in Ecclesia fuisse contentiosi fori usum. Supervacaneum autem esset explorationem ad recentiora sæcula protrahere; utpote de quibus ne minima quidem difficultas oriri potest, post demonstratam in toto præcedenti ævo dictam fori contentiosi disciplinam. Et cæteroquin si vel tantisper collectiones conciliorum revolvas, statim videbis pullulare a septimo sæculo, quæ idem probent, monumenta.

Hinc recte omnino doctissimus Bianchi, cujus sententia nostrum ex traditione desumptum argumentum claudimus : « Cer-
« tissimum est penes Ecclesiam semper fuisse forum externum,
« a foro conscientiæ et pœnitentiali diversum ; ea nempe cer-
« titudine, qua constat ab Ecclesia omni ævo receptas fuisse
« contra Reos denuntiationes seu accusationes, discussa testi-

« monia, auditas utriusque partis rationes, sententia damna-
« tos Reos qui convicti vel contumaces fuerunt : aut, in casu
« notorietatis publicæ, punitos eosdem post causæ discussio-
« nem. Quam priorum sæculorum disciplinam si quis negare
« velit, necesse est ut omnibus quæ remanserunt horum tem-
« porum monumentis historicis valedicat. » (Bianchi, *Politia della Chiesa,* l. 1, c. 5, § 2, n. 12.)

« Caute ergo legendus Joannes Morinus, cum, in suo notis-
« simo de administratione sacramenti Pœnitentiæ opere, per-
« suadere multis in locis conatur, per plura sæcula non fuisse
« censuras a pœnitentia publica distinctas ; novaque postea ins-
« titutione invectum, ut censuræ forent actus judiciales, con-
« tentiosi et jurisdictionem præsupponentis fori : non extitisse
« proinde multorum sæculorum tractu forum Ecclesiæ exter-
« num ab interno diversum : tuncque censuras pro judicialibus
« sententiis haberi cœptas, quando interni et externi fori usur-
« pata distinctio (Morinus, *de Admin. sacr. Pœn.*, l. 6, c. 25,
« n. 12). Quam profecto falsissimam opinationem, tota excludit
« antiqua Ecclesiæ disciplina. Si quidem, non novis artibus,
« scholasticorumve inventionibus, ut ipse dictitat, sed usu
« antiquissimo, censura proprie dicta perpetuo fuit a publica
« Pœnitentia distincta, atque habita pro vera judiciali condem-
« natione, cum strepitu scilicet et solemnitate judicii pronun-
« tiata : quod relati Tertulliani et S. Cypriani textus palam fa-
« ciunt. » (Bianchi, *Politia della Chiesa,* l. 1, c. 5, § 2, n. 11.)

Cæterum plane sibi contradicit Morinus, dum (lib. 2, c. 6) ex professo sustinet extimulatos inde fuisse antiquos christianos ad publicam vel secretam culparum suarum confessionem, ne alioquin in judicio ab accusatoribus conventi, gravioribus pœnis plecterentur : inde enim sic contra ipsum arguimus : ergo erat, præter pœnitentialem forum, aliud judicium, et quidem contentiosum, ad quod per accusatores reus vocabatur. Et magnum certe discrimen inter utriusque fori sententiam et procedendi modum : in foro pœnitentiali pronuntiabatur, post peractam pœnitentiam, sententia absolutionis : in foro conten-

tioso pronuntiabatur, post probatum crimen, vel condemnatio ad pœnas pœnitentiæ publicæ, vel excommunicatio, vel (si reus esset de clero) suspensio, depositio aut degradatio.

Fori pœnitentialis exercitium in eo erat, ut Episcopus (et postea Pœnitentiarius) invigilaret et procuraret, pœnitentem (sive ultro crimina sua confitentem, sive de iis in judicio convictum), pœnis a canonibus statutis subdi; quo peracto, Episcopus aut Pœnitentiarius absolutionem impertiendo, pœnitentem Ecclesiæ reconciliabat. Fori autem contentiosi exercitium in eo erat, ut de aliquo facinore accusatus, vel pro causa civili in judicium vocatus, a judice ecclesiastico ad comparendum vocaretur, auditisque testimoniis et contestata lite, sententia pronuntiaretur. Quo certe patet utrisque fori discrimen et diversa conditio. Nec dicatur sententiam in foro, quem nos contentiosum dicimus, pronuntiatam, nihil aliud fuisse quam condemnationem ad subeundam publicam pœnitentiam: nam *primo*, sæpe diversa erat; ut quando, verbi gratia, Reus aliquis clericus officio privabatur et gradu. *Secundo,* etiam quando damnabatur Reus ad subeundam pœnitentiam publicam, aliud erat judicium forense et contentiosum, quod per talem sententiam finiebat, et aliud ipsa pœnitentia publica et fori pœnitentialis exercitium, quæ tunc dumtaxat incipiebant, quando absoluta et definita causa fuerat in foro contentioso.

## § III.

### Argumentum ex variis hac de re definitionibus.

Quamvis alicujus universitatis, conciliive particularis decreta dogmatica, non sint infallibiles definitiones, non abs re tamen erit nonnulla saltem præmittere ejusmodi documenta; ad proprie dictas inde Ecclesiæ definitiones gressum facturi.

Concilium Senonense anni 1528 (*Concilia Harduini,* tom. 9,

col. 1929) : « Is (1) hostiliter Ecclesiam insectatus, et terre-
« nis principibus impie applaudens, omnem prælatis adimit
« exteriorem jurisdictionem, ea dumtaxat excepta, quam sæ-
« cularis largitus fuerit magistratus. »

Concilium Cameracense anni 1565 (apud Labbe, tom. 20, col. 1411, editio Venet.) : « Nihil dubitandum est, duplex
« esse forum ecclesiasticum, a Christo nomine clavium nobis
« insinuatum : alterum sacramenti pœnitentiæ, quod ad cons-
« cientiam spectat, in quo Reus nonnisi ex propria confes-
« sione solvitur et ligatur : alterum vero jurisdictionis et regi-
« minis externi, in quo Reus, non solum ex propria confessione,
« sed etiam per testes convincitur et judicatur. »

Anno 1617, die 15 decembris, ab universitate parisiensi damnata est quædam propositio Marci Antonii de Dominis cum hac censura : *Hæc propositio, qua parte veram jurisdictionem, id est vim coactivam et subjectionem externam Ecclesiæ denegat, est hæretica et totius ordinis hierarchici perturbativa.*

Exhibendæ nunc sententiæ, quæ utpote ab Apostolica Sede pronuntiatæ, omnimodam habent vim definitionum proprie dictarum.

I. Damnatio Marsilii Patavini et Joannis Janduni, per constitutionem *licet juxta doctrinam*, Joannis Papæ XXII, anni 1327 (apud Rainaldum, ad annum 1327, n. 28) :

« Quinto, adhuc isti blasphemi dicunt, quod tota Eccle-
« sia simul juncta nullum hominem punire potest punitione
« coactiva, nisi concedat hoc imperator; quod utique doc-
« trinæ evangelicæ noscitur obviare. Constat enim, quod a
« Christo, Petro et in persona Petri Ecclesiæ, potestas coac-
« tiva concessa, vel saltem permissa extitit : *Quodcumque li-*
« *gaveris super terram*, etc. Ligantur enim, non solum volun-
« tarii, sed inviti. »

« Adhuc constat, sicut ibi legitur in Matthæo, quod si
« aliquis damnum alicui indebite dederit, illudque ad manda-

(1) Agitur ibi de Marsilio Patavino.

« tum Ecclesiæ noluerit emendare, quod Ecclesia per potes-
« tatem a Christo sibi concessam, ipsum ad hoc per excommu-
« nicationis sententiam compellere potest : quæ quidem po-
« testas est utique coactiva. »

« Circa quod est advertendum, quod cum excommuni-
« catio major, nedum excommunicatum a perceptione sacra-
« mentorum removeat, sed etiam a communione fidelium
« ipsum excommunicatum excludat, corporalis est a Christo
« coactio Ecclesiæ permissa ; cum etiam secundum leges im-
« periales gravius reputetur inter homines conversari, ipso-
« rumque privari suffragiis, quam ab hominibus separari, se-
« quitur potestatem coactivam, non ab imperatore terreno, sed
« ab ipso Christo fuisse originaliter Ecclesiam consecutam. »

« Præterea B. Petrus post ascensionem Domini, in perso-
« nam Ananiæ et Saphiræ uxoris suæ, sine imperiali conces-
« sione aliqua, hac usus est potestate : in quos, quia de pretio
« agri Deo oblato fraudaverant, mortis sententiam promul-
« gavit : quæ quidem sententia non processit de ipsorum con-
« jugum voluntate. »

« Item B. Paulus Elimam magum, Sergium Paulum a fide
« quærentem abducere, ad tempus luce corporali privavit.
« Illum quoque fornicatorem Corinthium in carnis interitum
« tradidit satanæ, ut ejus spiritus salvus esset. »

« Item Corinthiis scribens idem apostolus dixit : *Quid*
« *vultis? In virga ad vos veniam, an in charitate et in spiritu*
« *mansuetudinis?* In quo satis expresse coactivam potestatem
« supposuit se habere. »

« Item scribens eisdem alibi dixit : *Arma militiæ nostræ*
« *non sunt carnalia, sed potentia Deo, id est a Deo concessa,*
« *destructionem munitionum consilia destruens, et omnem mul-*
« *titudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Et sequi-
« tur : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.*
« Ex quibus patet Paulum, non ab imperatore, sed a Deo
« habuisse potestatem etiam coactivam ; cujus contrarium
« blasphemi præsumunt dicere supradicti. »

» Rursum advertant isti nequam homines, quomodo au-
» deant dicere, quod ab imperatore terreno Ecclesiarum præ-
» lati coactivam vel aliam receperint originaliter potestatem,
» cum, ut supra dictum est, imperatores usque ad Constanti-
» num III, fere omnes pagani fuerint seu idololatræ et perse-
» cutores, imo exterminatores, quantum fuit in eis, Ecclesiæ
» sanctæ Dei. Quomodo ergo illi talibus coactivam, vel aliam
» potestatem concederent, utique nullus sapiens credere de-
» bet. »

Sequitur postea expressa condemnatio tum hujus, tum aliorum errorum hoc modo :

» Ad laudem et gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis, con-
» solationemque fidelium et fidei catholicæ firmamentum, de
» fratrum nostrorum consilio, Dei invocato nomine, articulos
» prædictos, videlicet : ... *Quod Papa vel tota Ecclesia simul*
» *sumpta nullum hominem quantumcumque sceleratum potest*
» *punire pœnitione coactiva, nisi imperator daret eis auctorita-*
» *tem ;* volui sacræ Scripturæ contrarios, et fidei catholicæ
» inimicos, *hæreticos seu hæreticales et erroneos ;* necnon et
» prædictos Marsilium et Joannem hæreticos, immo hæresiar-
» chas fore manifestos et notorios sententialiter declaramus. »

Unde certum omnino est propositionem, qua Ecclesiæ denegatur potestas coercitiva, tanquam hæreticam fuisse jam dudum damnatam.

II. Breve *ab exordio* Benedicti XIV ad Primatem, Archiepiscopos et Episcopos regni Poloniæ directum :

» Licet universalis nostræ inquisitionis decreto, die 5 augusti
» anni 1753 edito, confixum damnatumque fuerit opusculum
» gallice editum hoc titulo : *Principes sur l'essence, la distinction*
» *et les limites des deux puissances spirituelle et temporelle, ou-*
» *vrage posthume du père La Borde de l'Oratoire ;* rursus ta-
» men idem opusculum prodiisse, tam gallico quam polonico
» idiomate impressum, nuper accepimus. Quod quidem vel
» ob solam ignorationem prælaudati decreti contigisse arbi-
» tramur, vel quod satis explorata atque comperta vobis non

« fuerint exitiosa ac perversa dogmata quæ in eo traduntur : « alioquin dubitare vix possumus de fraternitatum vestrarum « zelo ac vigili studio, quo certe in fidelium manus non inci- « disset, si oculos judiciumque vestrum antea subiisset. Eo « enim tendere ac collimare vidissetis execrandi fœtus auc- « torem, ut collatam a Christo Domino et Salvatore nostro « Ecclesiæ suæ potestatem, non solum dirigendi per consilia « et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contuma- « cesque exteriore judicio et salubribus pœnis coercendi atque « cogendi, labefactet, convellat et prorsus eliminet ; ecclesias- « ticum ministerium ita sæculari dominationi subjiciens, ut ad « hanc spectare pronuntiet, de externa omni et sensibili gu- « bernatione cognoscere ac judicare. *Pravum ac perniciosum « systema, jam pridem ab Apostolica Sede, præsertim vero a « Joanne XXII prædecessore nostro, constitutione incipiente,* « Licet juxta doctrinam, *reprobatum, ac pro hæretico expresse « damnatum,* fallacibus ratiunculis... impudens scriptor ob- « trudit. » (In bullario Benedicti XIV, n. 44, tom 4, p. 266, Romæ 1757.) Liquet ex hoc brevi dogmatico, non solum a Joanne XXII *expresse pro hæretico* damnatum fuisse systema quo vis coactiva Ecclesiæ denegatur, sed etiam eamdem damnationem fuisse a Benedicto XIV confirmatam.

III. Bulla *Auctorem fidei :*

Inter propositiones synodi Pistoiensis in hac bulla condemnatas, occurrit et ista sub numero quarto : « Propositio « affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo « illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo « ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a « persuasione et corde ;* tum etiam, *multo minus ad eam per- « tinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decre- « tis :* — Quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad « res exteriores,* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, « usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet « apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda, « *hæretica.* — Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere

« auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter « quam per media quæ pendent a persuasione; quatenus in- « tendat Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem, « non solum dirigendi per consilia, sed etiam jubendi per le- « ges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus « pœnis coercendi, atque cogendi;* — inducens in systema alias « damnatum ut hæreticum. »

IV. In brevi dogmatico *ad apostolicæ*, quo Pius IX feliciter regnans opera Joannis Nuytz damnavit die 22 augusti 1851, inter reprobatas propositiones recensetur opinio qua asseritur, *Ecclesiam vis inferendæ potestatem non habere, neque potestatem ullam directam vel indirectam.*

Ergo revera Ecclesiæ competere vim coactivam, id est, cogendi et coercendi veram potestatem, non tantum est vera et certa doctrina, sed etiam multoties expresse definita; et de contraria opinione pariter expresse definitum est eam esse *hæreticam.*

## § IV.

### Diluuntur objectiones quædam.

Plures quæ ab heterodoxis obtrudi solent objectiones, jam supra vidimus in constitutione Joannis XXII confutatas. Cæteris autem fere omnibus ita facilis est responsio, ut ab eis commemorandis abstineamus. Unde unam dumtaxat aut alteram, quæ difficultatem aliquam præ se ferunt, subjicimus.

*Objicies* 1. Dictum Lactantii; *non est opus vi et injuria, quia religio cogi non potest; verbis potius quam verberibus res agenda est. Itaque nemo a nobis retinetur invitus: inutilis est enim Deo, qui devotione et fide caret.* (*De Divinis institut.*, lib. 5.) Item illam apud Cassiodorum sententiam: *religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur ut credat invitus* (Cassiod. Varior., lib. 2, epist. 27). — Respondeo hæc et alia quædam similia quorumdam patrum dicta extra quæstionem vagari;

quia nempe spectant ad infideles, seu ad eos qui christiani non sunt; et verum est non debere nec posse eis coactive fidem imponi. At vero ab Ecclesia non posse judicari et pœnis coerceri christianos male viventes, sancti patres non asserunt; sed contrarium eorum communis doctrina adstruit.

*Objicies* 2. Textum Chrysostomi : « Christianis minime om-
« nium licet delicta peccantium vi emendare. Exteri quidem
« judices facinorosos homines qui secundum leges capti sunt,
« magna cum auctoritate cohibent, ac vel invitos a moribus
« pristinis arcent. Hic autem non vi adactum, sed persuasum
« hujusmodi hominem oportet ad meliorem frugem revocare.
« Non enim tanta nobis facultas a legibus datur ad delinquentes
« coercendos : imo etiamsi dedissent, non possemus illa uti;
« quandoquidem Deus non eos coronat, qui vi abacti a nequitia
« abstinent, sed eos qui ex libero proposito ab ea declinant.
« Quamobrem multa quidem arte opus est, ut ægri sacerdo-
« tum remediis libenter se subjicere suadeantur; neque id
« solum, sed ut etiam illis medelæ gratiam habeant. Nam si
« quis vinctus resiliat (id enim penes ipsum est) gravius sibi
« malum efficit : si monentis verba, ferri more secantia, res-
« puerit, contemptu suo aliud sibi vulnus adjicit : ac medelæ
« occasione, vehementioris morbi causa nascitur, neque enim
« est qui vim afferat, nec qui curare invitum possit. Quid
« igitur agendum? Etenim si mitius agas cum eo, qui magna
« sectione opus habet, neque profundam opus habenti plagam
« infligas, partem vulneris abstulisti, partem reliquisti : sin
« requisitam sectionem prorsus adhibueris, sæpe ille doloris
« impatientia animum despondens, omnibus confestim rejectis,
« tum medicina, tum ligamine, seipsum præcipitem dabit,
« contrito jugo, ac confracto vinculo. » (*De Sacerdotio,* lib. 2, editio Benedictinorum, tom. 1, pag. 374.)

Respondeo : vim quidem probandi dogmatis habet sententia communis sanctorum Patrum in eodem tradendo articulo concordantium. Atvero si quis forte ipsorum nonnihil alicubi scripserit, quod communi cæterorum doctrinæ et totius traditionis

testimonio adversari videatur, id benigne esse interpretandum, est regula apud theologos certa et unanimi consensu admissa. Cum ergo Ecclesiæ externum forum vimque coactivam aperte asserat tota antiquitas, communisque Patrum traditio, et perpetua praxis, citatus sancti Chrysostomi textus in hunc etiam sensum erit interpretandus. Cæterum idem sanctus doctor, homilia 13, in caput 4, primæ ad Timotheum, ea enumerans quæ ecclesiastica potestas procurare debet via persuasionis, et ea quæ *cum imperio*, sic sententiam claudit: *vides ut imperare sacerdotum necesse sit*. Ubi certe forum externum et vim coactivam Ecclesiæ tribuit, cum ei non persuasionem dumtaxat, sed et *imperium* ex professo adscribat.

## CAPUT IV.

### POTESTAS ECCLESIÆ COERCITIVA INTELLIGENDA EST ETIAM DE PŒNIS TEMPORALIBUS ET CORPORALIBUS.

In superiori capite dum Ecclesiæ vindicavimus judiciariam potestatem cum aliqua vi coactiva, quænam foret ea *vis coactiva* non determinavimus: quæstionem scilicet, an per solas spirituales pœnas Ecclesia coercere possit, an etiam per temporales et corporales castigationes, intactam reliquimus. Ea vero nunc hic separatim excutienda venit. Nec putet lector abundare disquisitionem hujusmodi, eo quod evidens sit Ecclesiæ potestatem non posse dici vere coactivam, nisi per temporales et corporales pœnas. Nam quantumvis id patere videatur, non desunt qui negari posse existiment, salvis omnibus Ecclesiæ hac de re decretis. Subscribunt nempe supra-memoratis Ecclesiæ definitionibus, vim coactivam ecclesiasticæ potestati vindicantibus; atvero simul volunt eam coactionem intelligendam esse de solis spiritualibus pœnis, verbi gratia, de excommunicatione, suspensione, interdicto, depositione a clericali officio, beneficii privatione, et in clericos degradationis

sententia. Coercere autem posse Ecclesiam jure proprio per temporales et corporales pœnas, verbi gratia, per carcerem, flagellationem, mulctas, exilium et alias hujusmodi animadversiones, non admittunt.

Contra opinionem illam posita est hujus capitis thesis, quam sequenti argumentorum serie veram probamus.

## § I.

### Argumentum est Ecclesiæ praxi.

Ecclesia a primis sui initiis excommunicationum pœna in delinquentes usa est : excommunicatio autem erat simul et indivisim pœna temporalis : nam excommunicatus honore et fama cadebat apud catholicos ; a quibus nempe tanquam malefactor habebatur ; nec tantum famæ detrimentum hodie patitur qui a tribunali sæculari criminis reus declaratus est, quam qui prioribus Ecclesiæ sæculis excommunicatione plectebatur. Jam vero famam esse bonum temporale negabit nullus. Præterea excommunicatio secum trahebat externam quandam separationem a societatis fidelium consortio : illa autem separatio et ab Ecclesia ejectio erat profecto pœna corporalis et temporalis, qua excommunicatus, quantumvis invitus, efficaciter afficiebatur. Ergo ipse excommunicationum usus probat, Ecclesiam sibi perpetuo tribuisse per pœnas temporales et corporales coercendi potestatem.

Atvero non excommunicationum dumtaxat, sed et aliarum pœnarum ab initio usus in Ecclesia viguit. Nam in clericos criminis convictos depositione, seu privatione officii, substractione fructuum, seu stipendii ratione muneris eisdem debiti, et etiam degradatione animadvertebatur. Eas autem pœnas temporales et corporales fuisse quis non videat ?

Nihilominus, cum auctores qui Ecclesiæ denegant potestatem per pœnas *corporales et temporales* coercendi, hac denominatione intelligant eas quæ directe corpus vel bona fortunæ

afficiunt, eodem et nos sensu thesim sustinendam aggredimur. Prætermissis ergo excommunicatione, suspensione, officii et fructuum privatione, nec non degradatione, dicimus Ecclesiam perpetuo usam esse etiam pœnis corporalibus et temporalibus proprie dictis; nempe, verberibus, carcere, jejuniis, muletis, exilio, et similibus; excepta tamen sanguinis, idest, mutilationis et mortis pœna. Dicta autem exceptio quoad pœnam sanguinis certa est; nam Ecclesia semper habuit tanquam spiritui suo contrarium ut ipsa sententiam mortis mutilationisve pronuntiaret aut exequeretur. Unde id etiam expresse judicibus ecclesiasticis interdixit : *sententiam sanguinis* (ait concilium Lateranense œcumenicum anni 1216), *nullus clericus dictet aut proferat... In curiis principum hæc sollicitudo, non clericis, sed laicis committatur* (cap. *sententiam* 9, tituli 50, libri 3 decretalium). Videri etiam potest in capite *novit* (27, *de Verborum signif.*) et in capite *novimus* (27, tituli 40, libri 5 decretalium), quomodo clericus, si flagitium morte dignum patraverit, debeat a judice ecclesiastico degradari, et postea sæculari brachio tradi, ut per laicam potestatem debita ipsi sanguinis pœna infligatur. Hinc nullo tempore reperitur Ecclesia sententiam mortis aut membrorum mutilationis per seipsam proferens aut exequens : ex quo adagium in jure receptum, *Ecclesia abhorret a sanguine*. Seposita autem illa corporali pœna, dicimus Ecclesiam cæteris omnibus fuisse usam, quod nunc monumentis firmandum est.

Probatur 1°. *Ex disciplina pœnitentiæ publicæ.* — Certum est ab ipsis Ecclesiæ exordiis viguisse pœnitentiæ publicæ disciplinam. Item certum est præter pœnitentiam spontaneam, cui ultro se peccatores quandoque subjiciebant, viguisse insuper pœnitentiam coactam; cui nempe, sub excommunicationis et expulsionis ab Ecclesia pœna, certorum flagitiorum rei adigebantur. Id fatetur et ipse Morinus : *quando peccatum erat publicum, ad pœnitentiam publice agendam peccatores excommunicatione et omnimoda ab Ecclesia expulsione adigebantur* (*de Sacramento Pœnit.*, l. 5, c. 17, n. 7, pag. 298, edit. Bruxelles 1685). *Ad eam co-*

*gere mos fuit* (ibid., n. 8). Si ergo probetur a pœnitentia publica inseparabiles fuisse plures corporales et temporales pœnas, concludendum erit Ecclesiam, dum sibi jus tribuebat ad pœnitentiam publicam cogendi, hoc ipso sibi simul tribuisse per pœnas corporales et temporales coercendi potestatem. Jam vero facile demonstrari potest pœnitentiam publicam sibi inseparabiliter annexos habuisse plures effectus, qui pœnæ temporales et corporales proprie dictæ fuerunt. Pœnitentibus nempe non conjugatis interdicebatur in perpetuum matrimonium : conjugatis vero matrimonii usus. Item omnibus in perpetuum interdicebatur quodlibet sæculare munus seu officium, veluti militia bellica, mercimonia, forenses causæ, judicia civilia et hujusmodi. Quas certe pœnas corporales et temporales fuisse nemo inficias ibit. Quod autem certo annexæ fuerint pœnitentiæ publicæ, fateri coactus est Morinus, licet (pro gallicanis suis opinionibus) non parum de hoc obstupescens : sic rem in thesim ipse posuit : *militiæ et negotiorum sæcularium exercitium, matrimonii in conjugatis usum, in non conjugatis contractum, publice quacumque de causa pœnitentibus... a sæculo quarto ad octavum interdicta fuisse* (*de Sacramento Pœnit.*, l. 5, c. 21, pag. 307, edit. Bruxel.).

De quibus Pœnitentiæ publicæ effectibus alibi disserens sic habet : *stupenda illa Pœnitentiæ adjuncta, multiplicia quidem sunt, sed in duo capita facile colligi possunt. Prius est matrimonii quoad torum attinet perpetua separatio, et mortuo conjuge ne altero matrimonio jungantur severa interdictio. Posterius, a militia sæculari cui antea vacabant, hoc est ab officio sæculari..., ut militia bellica, mercimonia, forenses causæ, judicia civilia et ejusmodi, perpetua cessatio, non tantum eo tempore quo pœnitentiam agebant. Hæc nisi testatissimis auctoritatibus demonstrarentur, incredibilia plane, et merito viderentur. Sed testimoniis adeo evidentibus, frequentibus et augustis fulciuntur, ut nulla vel tenuissima dubitationis umbra superesse possit* (ibid., cap. 18, pag. 301). E monumentis quæ Morino etiam rem omnino certam fecere, unum aut alterum dumtaxat, speciminis gratia, adducemus. Anno 385 ad Hime-

rum Tarraconensem Episcopum scribebat S. Siricius Papa : *de his vero non incongrue dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et ad volutabra redeuntes, et militiæ cingulum, et ludicras voluptates, et nova conjugia, et inhibitos denuo appetivere concubitus... De quibus, quia jam suffugium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacræ mysteriorum celebrati, quamvis non mereantur, intersint : a dominicæ autem mensæ convivio segregentur... Quos tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatici munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam et circa mulieres, quæ se post pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, servandam esse censemus* (*Concilia Coleti,* tom. 2, pag. 1214). Anno vero 452, sic statuebat Arelatense concilium : *Pœnitens quæcumque defuncto viro alii nubere præsumpserit..., cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceatur. Hoc etiam de viro in pœnitentia posito placuit observari* (concilium Arelatense, anni 452, canone 21). Anno 440, ad Rusticum Episcopum Narbonensem scribebat sanctus Leo Papa : *Contrarium est omnino ecclesiasticis regulis, post pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem.* In vetustissimo libro *de Vera et falsa Pœnitentia,* qui olim S. Augustino tribuebatur : *In his omnibus dolens, aut sæculum derelinquat, aut saltem illa quæ sine admistione mali non sunt administrata, ut mercatura et militia... Abstineat a multis licitis, qui per libertatem arbitrii commisit illicita.* (Apud Morinum, loco citato, pag. 302.) Concilium Aurelianense anni 538, canone 25 : *Si quis pœnitentiæ benedictione suscepta, ad sæcularem habitum militiamque reverti præsumpserit, viatico concesso, usque ad exitum excommunicatione plectatur.* (*Concilia Coleti,* tom. 2, pag. 1280.) Omissis autem, brevitatis causa, cæteris hac de re documentis, legitima jam lectori videbitur hæc conclusio : ergo Ecclesia sibi potestatem vindicavit per pœnas corporales et temporales coercendi; et quidem per pœnas *stupendas,* ut eas vocat Morinus, a quarto sæculo usque ad octavum. Sed et ante an-

num 300 usque ad apostolorum ævum, viguit pœnitentia publica; atque ei annexas etiam tunc fuisse ejusmodi pœnas merito supponitur. At vero, etiamsi pœnæ illæ *stupendæ* anno dumtaxat 300 induci cœpissent, certum omnino remanet nunquam fuisse pœnitentiam publicam absque pœnis temporalibus et corporalibus, verbi gratia, absque jejuniis, sequestratione, prostrationibus et hujusmodi; ex quibus etiam pœnitentiæ nomen ortum. Unde sic tota ratiocinatio contrahi potest : jam ab Apostolicis temporibus Ecclesia cogebat ad pœnitentiam publicam; sed cogere ad pœnitentiam publicam, idem erat ac cogere ad temporales et corporales pœnas; ergo Ecclesia jam a suis exordiis coercitionem per corporales et temporales pœnas exercuit.

Probatur 2°. *Ex antiquissimo carcerum ecclesiasticorum usu.* — A remotissima nempe antiquitate penes Ecclesiam fuisse carceres, qui *decanicæ* vocabantur, probarunt eruditi, et ipsemet fatetur Gothofredus, auctor certe hac in re minime suspectus : « Decanicæ, inquit, præbuerunt quondam usum carceris « et custodiæ ecclesiasticæ. Justinianus novella 79, capite 3 : « καθειργέσθωσαν ἐν τοῖς καλουμενοῖς Δεκάνικοῖς, ποινὰς τὰς προσηκούσας ὑφέξοντες; quod ita apud Julianum (capitularium « lib. 5, titulo 225) affertur : *In Decanicis ecclesiarum recludatur, competenter pœnas luiturus.* In Græcorum paratitlis, ita : « εἰς τὴν ἐκκλησίαστικην ἔγκλειστραν (1). Basilius diaconus in libello apud Theodosium et Valentinianum : κακεῖθεν τυπτομένοι « ἀπηγόμεθα ἐν τῷ Δεκανικῷ; κακεῖ γυμνοὺς ἡμᾶς, ὡς δημίους καὶ « ὑπευθύνους τιμωρία ἐκόλασαν (2). Ergo in Decanicis, quæ procul dubio loca conclusa fuere, in quibus immorigeri clerici « asservabantur. » (Jacobus Gothofredus, comment. in l. 30 codicis Theod. *de Hæreticis.*) Qui autem plenius compertum habere cupit quam veri carceres essent ejusmodi *Decanicæ*, le-

(1) In ecclesiasticum carcerem.

(2) Et inde verberati ducti sumus in Decanicam; atque ibi nudos nos tanquam captivos et supplicio addictos asservabant.

gat dictum libellum Basilii diaconi (Labbe, tom. 3, col. 976, edit. Venet.), qui hisce carceribus ab impio Episcopo Nestorio detrusus fuerat, et quid sibi tolerandum fuerit enarrat. Usum carceris probant insuper hæc S. Gregorii Magni verba : *Si vero sunt liberi, inclusione digna districtaque sunt in pœnitentiam redigendi* (l. 6 epistolarum, ep. 65). *Et ideo, quia tanti facinoris iniquitas, districta atque subtili investigatione quærenda atque plectenda est, hac tibi auctoritate præcipimus, ut vigilanti studio et diligenti omnino cura perquiras ; et si qua indicia apprehendere hujus rei potueris, eum in custodiam districtam, quousque nobis renunties, redigas ; ut qualiter immanissimum facinus discuti debeat ac puniri, deliberare possimus* (epistolarum lib. 10, epist. 4, juxta edit. Benedict.).

Probatur 3°. *Ex virgarum pœna, quam ab antiquissimo ævo Ecclesia infligere solita fuit.* — Sanctus Augustinus Marcellinum tribunum hortando, ut verberibus dumtaxat, non vero durioribus tormentis in Donatistas animadvertat, adnotat solitam fuisse verberum pœnam ab Episcopis adhiberi : *Noli*, inquit, *perdere paternam diligentiam, quam in ipsa iniquitate servasti, quando tantorum scelerum confessionem non extendente eculeo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eruisti : qui modus coercitionis et a magistris liberalium artium, et ab ipsis parentibus, et sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhiberi.* (Epist. 132, n. 2, juxta editionem Benedict.) In actis S. Cæsarii Arelatensis Episcopi, ab ipsius discipulo Cypriano conscriptis : *Solebat vir sanctus id accurate observare, ut nemo ex illis qui ipsi parebant, si pro culpa sua flagellandi essent, amplius triginta novem ictibus ferirentur ; ita tamen, ut si quis in gravi culpa esset deprehensus, permitteret ut post dies paucos vapularet iterum.* (*Vita S. Cæsarii Arel.*, apud Surium, ad diem 27 augusti.)

Anno 506, concilium Agathense, canone 38 : *Clericum aut monachum sine commendatitiis vagum, si verborum increpatione non emendetur, etiam verberibus statuimus coerceri.*

Anno 567, concilium Turonense, canone 20 : *Qui ex septem*

*diaconis, lectoribus, aut laicis, ad archipresbyterum observandum concessis, si septimanam cum eo facere distulerit, fustigetur.*

Anno 589, concilium Narbonense sub Reccaredo rege, canone 12 : *Presbyteri increpentur ut redeant ; diaconos et execrandos* (id est degradandos) *et stipendio privandos ; reliquos flagris cædendos.*

Sanctus Gregorius Magnus in sua ad Januarium Calaritanum Episcopum epistola : *Paulum vero clericum, qui sæpe dicitur in maleficiis deprehensus, qui despecto habitu suo ad laicam reversus vitam, in Africam fugerat ; si ita est, corporali prius præveniente vindicta, providimus in pœnitentiam dari ; quatenus et secundum apostolicam sententiam, ex carnis afflictione spiritus salvus fiat : et terrenas peccatorum sordes, quas pravis contraxisse fertur operibus, lacrymarum possit assiduitate diluere* (epistolarum lib. 4, ep. 27, t. 2, pag. 707, edit. Benedict.).

*Quos tamen si emendare se a talibus atque corrigere nolle repereris, ferventi comprehendere zelo te volumus : et si quidem servi sunt, verberibus cruciatibusque, quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare : si vero sunt liberi, inclusione digna districtaque sunt in pœnitentiam redigendi* (ibid., lib. 6, epist. 65, edit. Benedict.).

Ejusmodi autem corporales pœnas, cum et a sæculari potestate adhiberi ubique solerent, mirum non videbatur ab ecclesiasticis etiam judicibus infligi. Atque idem dicendum venit de muletis pecuniaris, aliisve pœnis temporalibus.

Probatur 4°. *Ex antiquo usu pœnæ exilii.* — In concilio Romano anni 503, ita decretum fuit : *Hi qui adversa eis moliuntur, sicut a sanctis Patribus dudum statutum est, et hodie synodonali et apostolica auctoritate firmatur, penitus abjiciuntur, et exilio, suis omnibus sublatis, perpetuo tradantur.* (Labbe, tom. 5, col. 504, edit. Venet.) In quo textu notanda sunt hæc verba, *sicut a sanctis Patribus dudum statutum est :* probant enim jam tum antiquam fuisse disciplinam per pœnam exilii et confiscationis bonorum procedendi. Item in concilio Aurelianensi, anni 541, canone 29 : *Si quæ mulieres fuerint in adulterio cum*

*clericis deprehensæ, de clericis districtione habita, mulieres ipsæ, prout Sacerdoti* (nempe Episcopo) *visum fuerit, districtioni subjaceant, et a civitatibus, ut Sacerdos præceperit, repellantur.* Item S. Gregorius Magnus (lib. 11, epist. 71, edit. Benedict.) jubet per Paschasium Episcopum verberibus castigari et postea in exilium trudi subdiaconum quemdam calumniæ criminis reum : *Quia ergo,* inquit, *tantæ nequitiæ malum sine digna non debet ultione transire, supra-scriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, ut eumdem Hilarum, prius subdiaconatus (quo indignus fungitur) privet officio; atque verberibus publice castigatum, faciat in exilium deportari.* Item in concilio Toletano 12, anni 681, canone 11 : *quod si ingenuorum personæ his erroribus fuerint implicatæ, et perpetua excommunicationis sententia feriantur, et arctiori exilio ulciscantur.*

Probatur 6°. *Ex antiquo usu mulctas pecuniarias imponendi.* — « A primis temporibus reperimus id moris viguisse, ut Ec- « clesiæ Prælati, delinquentes ad pœnitentiam publicam con- « demnando, sæpe ipsis injungerent notabilem pecuniæ sum- « mam pauperibus distribuendam. » (Bianchi, *Politia della Chiesa,*, lib. 2, c. 4, § 9, n. 9, tom. 4, pag. 697.)

In concilio Carthaginensi quod vulgo quintum vocatur, anni 398 aut 400, canone 2 : *Et illud statuendum est, ut si quis cujuslibet honoris clericus judicio Episcoporum pro quocumque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab ecclesiis quibus præfuit, sive a quolibet homine defensari, imposita pœna damni pecuniæ atque honoris ; quo nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipimus* (apud Labbe, tom. 2, col. 1454, edit. Venet.). Jam supra citavimus concilium Romanum anni 503, in quo statuitur de quibusdam delinquentibus, ut exilio tradantur, *suis omnibus sublatis.* Qua etiam mulctarum pœna procedi solitum fuisse tempore S. Gregorii Magni, plura scriptorum ipsius loca testantur; e quibus unum satis sit adduxisse : *Jam vero,* inquit, *si rusticus tantæ fuerit perfidiæ et obstinationis inventus, ut ad Dominum Deum venire minime consentiat, tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad*

*rectitudinem festinare* (lib. 4 epistolarum, epist. 25, juxta editionem Benedict.).

Nono sæculo, rex Angliæ Alvredus (sive Alfredus), in proloquio ad leges suas sic habet : *Ubi propagato Dei Evangelio plurimæ nationes, atque adeo Angli verbo Dei fidem adjunxerant, nonnulli per orbem terrarum cœtus (atque etiam in Anglia) Episcoporum, aliorumque clarissimorum sapientum conventus agebantur : atque hi, divina edocti miseratione, cuique jam primum peccanti, pœnam imperabant pecuniariam ; ejusque (absque omni divinæ offensionis concitatione) exigendæ munus magistratibus, data prius venia, deferebant* (*Concilia Harduini,* tomi 6, parte 1, col. 380).

Nonnulla alia de antiquo ejusmodi mulctarum usu recensita reperies apud Benedictum XIV (*de Synodo diœc.,* l. 10, c. 9).

Probatum ergo remanet Ecclesiam per sex priora sæcula temporales et corporales pœnas in emendationem delinquentium adhibuisse : quod autem ea praxis postea vigens pariter reperiatur, negat nullus. Hinc, nisi dicatur Ecclesiam in praxi sua universali et perpetua sibi indebita usurpasse, concludendum est, ad ipsam pertinere per pœnas etiam temporales et corporales coercendi potestatem.

## § II.

### Argumentum ex Conciliis œcumenicis.

Concilium Lateranense tertium anni 1179, in hæreticos pœnam privationis bonorum et servitutis decernit ; atque hæreticorum subditos ab obligatione fidelitatis absolvit : *Relaxatos autem se noverint a debito fidelitatis et hominii ac totius obsequii (donec in tanta iniquitate permanserint) quicumque illis aliquo pacto tenentur annexi... Confiscenturque eorum bona, et liberum sit principibus hujusmodi homines subjicere servituti* (*Concilia Mansii,* t. 20, pag. 232). In eos vero qui Sarracenis auxilium

ferrent ita decernitur : *Tales igitur a communione Ecclesiæ præcisos..., rerum suarum, per sæculi principes catholicos et consules civitatum, privatione mulctari, et capientium servos, si capti fuerint, fore censemus* (loco citato, pag. 230).

Concilium Lateranense quartum anni 1215, capite 3, *de Hæreticis : Damnati vero, sæcularibus potestatibus præsentibus, aut eorum bailivis, relinquantur animadversione debita puniendi ; clericis prius a suis ordinibus degradatis : ita quod bona hujusmodi damnatorum, si laici fuerint, confiscentur... Si vero Dominus temporalis, requisitus et monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per metropolitanum et cæteros comprovinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc Summo Pontifici, ut extunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denuntiet absolutos, et terram exponat catholicis occupandam... Salvo jure Domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat : eadem nihilominus lege servata circa eos qui non habent dominos principales.* Videri possunt ibidem multæ aliæ pœnæ corporales et temporales sancitæ contra hæreticos ; quas brevitatis causa omittimus.

Concilium Lugdunense anni 1245, imperatorem Henricum II regno privavit, sententiam *auctoritate apostolica* pronuntiante Romano Pontifice, et toto concilio, non tantum præsente, ut vult Bossuetius, sed approbante ; siquidem tribus exemplaribus sententiæ hujusmodi appensa sunt singula patrum sigilla (ut fuse probamus in tractatu *de Jure Ecclesiæ relative ad potestates civiles*).

Concilium Constantiense, sessione 15, prohibitionem quamdam sancit sub pœna excommunicationis et *carceris duorum mensium* in quoscumque, etiamsi reges fuerint.

Item pœnas corporales et temporales decernit sessione 17, 31, et 37, ut videre est in collectione conciliorum Coleti (tom. 16, p. 241, 279, 586, 681). Licet autem illud concilium in omnibus suis sessionibus pro œcumenico non sit habendum, allegari saltem potest tanquam argumentum ad

hominem contra eos auctores quos hic confutamus, quique omnimodam ejus œcumenicitatem sustinent. Atvero pro decreto œcumenico habenda certo est bulla *Inter cunctas* Martini V, quæ lata est *sacro approbante concilio Constantiensi*. In ea autem contra eos qui aliter docent ac tenet sancta universalis Ecclesia Romana, statuitur procedendum, non tantum excommunicatione, sed privatione *etiam bonorum et dignitatum temporalium.., etiam per captiones et incarcerationes et alias corporales* pœnas; nulla excepta delinquentium classe, *etiamsi regali... aut alia quavis mundana præfulgeant dignitate*. Quod mandatum exequi debent Archiepiscopi, Episcopi et Inquisitores : *per apostolica scripta committimus et mandamus quatenus vos, Archiepiscopi, Episcopi et electi... Corrigatis et puniatis*.

Concilium Tridentinum ita contra duellantes decrevit : *Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptione, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant; et ut homicidæ juxta sacros canones puniri debeant*. (Sess. 25, *de Ref.*, cap. 19.)

Certum ergo omnino est prædicta quinque concilia sibi potestatem per pœnas temporales et corporales coercitivam tribuisse. Quam autem inane sit effugium, id juris Ecclesiæ ex principum sæcularium concessione accessisse, demonstramus alibi (in tractatu de *Jure Ecclesiæ relative ad civiles societates*).

## § III.

Argumentum ex doctrina Suaresii, quatenus sententiam communem doctorum scholæ exhibente.

Longius ab intento progrederemur, si ad exponendam communem doctorum scholæ doctrinam, eorum sententias hic colligere vellemus. Ast omnibus notum est totam scholam, ut aiebat Bossuetius, in Suaresio quodammodo personare et audiri. Illum ergo dumtaxat clarissimum auctorem, cæterorum

veluti nomine, de præsenti quæstione disserentem proferemus.

1° Probat Suarez hanc generalem thesim : *Punire hæreticos, apostatas a fide quam in baptismo professi sunt, licitum est et sanctum, dummodo fiat ab habente potestatem.* (*Tractatus de Fide*, disput. 20, sect. 3, n. 6.)

2° Puniendi hæreticos potestatem asserit Ecclesiæ propriam hoc modo : *Dico secundo : Ecclesia habet potestatem ad puniendos et coercendos hæreticos. Dixi in præcedenti assertione justam esse hanc coactionem hæreticorum, si potestas non desit ; et ideo nunc addimus non deesse in Ecclesia hanc potestatem ; quod tanquam certum de fide tenendum est.* (Ibid., n. 10.)

3° Rem magis determinans, et ad coercitionem per pœnas temporales et corporales deveniens, addit : *Dico tertio : Ecclesiæ non tantum est data potestas ad coercendos hæreticos per spirituales pœnas, sed etiam per temporales et corporales. Hæc assertio etiam est de fide.* Allegata in probationem Ecclesiæ traditione et praxi, subjicit : « Denique necessitas vel utilitas « hujusmodi coactionis, maxime in his pœnis cernitur : Nam « sine illis solæ spirituales parum movere solent carnales ho- « mines ; quia licet revera graviores sint, earum nocumen- « tum non ita sensibiliter percipitur : Isti autem vulgares ho- « mines sensu maxime ducuntur et coguntur. Atque hoc « præcipue locum habet respectu hæreticorum ; quia tota vis « et efficacia pœnarum spiritualium pendet ex fide, per quam « et Ecclesiæ potestas et veritas censurarum creditur. Unde « cum hæretici fidem abjecerint, quasi nihil reputant hujus- « modi pœnas : Et ideo quoties Augustinus hanc hæreticorum « coactionem defendit et persuadet, de hac quæ corporaliter « fit loquitur. » (Ibid., n. 16.) « Potestas ad puniendos ma- « lefactores est necessaria in omni republica bene instituta... ; « quod adeo evidens est, ut seclusa etiam fide et revelatione « divina, ex vi rationis omnes homines intellexerint hanc po- « testatem esse connatam et datam ab auctore naturæ, eo ipso « quod homines in corpus mysticum unius reipublicæ congre-

« gantur : Sed Christus Dominus instituit suam Ecclesiam, ut « esset unum corpus mysticum, per unam fidem perducendum « ad unum supernaturalem finem; ergo reliquit in illa potes- « tatem ad puniendos et coercendos malefactores, qui « maxime huic corpori nocere possunt. » (Ibid., n. 11.)

4° Confutandus remanebat eorum error qui concedunt quidem ad Ecclesiam pertinere coercitionem delinquentium per corporales pœnas, sed ex concessione sæcularis principis. Quem errorem sic exponit Suarez : « Est alia sententia quæ « distinguit inter illa duo genera coactionum; et spiritualem « tribuit prælatis Ecclesiæ, et præsertim Summo Pontifici; « temporalem vero et corporalem principibus temporalibus. « Hæc fuit sententia Marsilii Patavini, quam postea defendit « Guillelmus Barclaius : et novissime de hac re scripsit in fa- « vorem principum temporalium quidam ementito nomine « Rogerus Anglus; qui se catholicum profitetur, et nihilominus « dicit, in prælatis Ecclesiæ ex vi juris divini solum esse po- « testatem ad spiritualem correctionem : ad temporalem vero, « solum quatenus eis a regibus permittitur ac conceditur. » (Ibid., n. 19.) Quo in antecessum adnotato, sic thesim contrariam adstruit Suaresius : *Nihilominus censeo hanc sententiam erroneam, et defensores ejus* (1) *ad minimum esse valde suspectos de hæresi, et manifestos hæreticorum fautores. Dico ergo, potestatem puniendi hæreticos, etiam temporalibus et corporalibus pœnis, jure divino esse in pastoribus Ecclesiæ, et præsertim in Romano Pontifice; quamvis secundario etiam pertineat ad catholicos principes, præsertim ut Ecclesiæ protectores, juxta ejusdem Ecclesiæ*

(1) Cum Gallicani hanc eamdem erroneam sententiam sustinere soleant, perpendant quid de ipsis senserit Suaresius: et quam falsum sit quod in eorum libris perpetuo occurrit, Gallicanismum nempe esse opinionem in Ecclesia liberam et licitam, atque in hoc agnoscendo concordare etiam romanæ doctrinæ defensores. Romæ, et ubique a probatis romanæ doctrinæ defensoribus e contra docetur, Gallicanismi systema esse opinionem certo erroneam et certo illicitam; eam tamen, utpote expressis terminis nondum condemnatam, non debere nota hæreseos percelli; et tandem ob ignorantiam et bonam fidem posse absolutionem in foro pœnitentiali eis impertiri, qui illam sustineant.

*determinationem.* (Ibid., n. 21.) Id probat Suarez ex Scriptura sacra, ex jure canonico, ex Ecclesiæ praxi, et ratione.

Eam autem Suaresii doctrinam, fuisse communem per plura sæcula doctorum scholæ sententiam, testantur eorum, quibus bibliothecæ opplentur, opera. Si hæreticos et damnatos auctores excipias, nullum fere reperies ante exorti Jansenismi tempora, qui dictam Ecclesiæ ex jure divino coercitivam potestatem pro indubitata non habeat. Erroneum autem esse nequit aliquid dogmatis quod communiter tenent doctores scholæ, ut, cum Melchiore Cano, tanquam certum ab omnibus admittitur. Concludendum ergo ad Ecclesiam revera jure proprio pertinere per pœnas etiam corporales et temporales coercendi potestatem.

## § IV.

### Argumentum ex Ecclesiæ definitionibus.

Vidimus supra (capite 3) damnatam fuisse ut hæreticam Marsilii Patavini opinionem, qua vim omnem coactivam Ecclesiæ denegabat, excepta ea quam ex concessione sæcularium principum obtinuisset. Porro ex ista damnatione sequitur Ecclesiæ competere etiam per pœnas corporales et temporales coercitivam potestatem. Nam, dum hæreticus ille asseruit, ab Ecclesia *puniri non posse ullum hominem punitione coactiva,* minime intellexit per ista verba, *punitione coactiva,* excommunicationem aliasve spirituales pœnas : ipsius e contra systema totum in id collineabat, ut Ecclesiæ potestatem intra pœnarum mere spiritualium exercitium circumscriberet; ita scilicet, ut pronuntiatis hujusmodi pœnis, reus conscientiæ suæ relinquendus esset; nec Ecclesiæ fas esset ulla vi externa, corporali proinde vel temporali, eum cogere ad satisfaciendum. Eam fuisse Marsilii Patavini mentem, et omnes qui de eo disserunt veteres auctores intellexerunt, et ipsa ejus verba aperte testantur. Absonum autem est dicere ejus systema

damnatum fuisse in sensu quod illud ipsum systema aperte excludit. Ergo non damnatum fuit ut hæreticum, eo quod negaret Ecclesiæ potestatem excommunicandi, aliasve pœnas mere spirituales infligendi; siquidem nedum eam potestatem negaret, ex professo e contra eam affirmabat : ergo damnatum fuit dumtaxat eo quod negaret vim per pœnas temporales et corporales coactivam : ergo ea damnatione damnati sunt ii omnes, qui postestatem per temporales et corporales pœnas coercendi Ecclesiæ denegant.

Item supra vidimus (cap. 3) a Benedicto XIV damnatum pariter ut hæreticum fuisse systema patris La Borde, eo quod *impudens ille scriptor convelleret a Christo Ecclesiæ collatam potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios exteriore judicio et salubribus pœnis coercendi atque cogendi.* Atvero dictus auctor non denegabat Ecclesiæ excommunicandi et in reos aliis pœnis spiritualibus animadvertendi postestatem; sed tantum volebat Ecclesiam, prolatis hujusmodi sententiis, inermem esse, ac proinde non posse reum externe, idest pœnis corporalibus aut temporalibus, ad satisfaciendum cogere. In eo erat dicti scriptoris systema; in illud ergo systema damnatio directa est; ergo revera cecidit condemnatio in opinionem quæ Ecclesiam spoliatam vult omni potestate per corporales et temporales pœnas coercitiva.

Item supra (dicto capite 3) vidimus damnatam fuisse synodi Pistoiensis doctrinam, quatenus insinuat Ecclesiæ non competere a Christo collatam potestatem *contumaces exteriori judicio et salubribus pœnis coercendi atque cogendi.* Sed illa synodus non denegabat Ecclesiæ potestatem excommunicandi, aliasve pœnas spirituales decernendi; sed tantum potestatem *per vim exteriorem subjectionem suis decretis exigendi.* Vel ergo inutiliter et sine causa eam damnatam fuisse dicendum est, vel certe ideo damnationem subiit, quod negaret per temporales et corporales pœnas coercitivam Ecclesiæ postestatem.

Et tandem (loco citato) supra vidimus, ideo nuper a Pio IX

confixum fuisse heterodoxi Joannis Nuytz systema, quod sustineret Ecclesiam *vis inferendæ potestatem non habere*. Dictus autem professor Ecclesiæ non denegavit vim excommunicationes et alias mere spirituales pœnas decernendi. Ergo in eo sensu damnatus est, quod potestatem per temporales et corporales pœnas coercitivam negaverit.

Attentis autem prædictis definitionibus, non videtur etiam tanquam probabilem sustineri ullatenus posse opinionem, quæ Ecclesiæ vim quamlibet per pœnas temporales et corporales coactivam, et a Christo acceptam denegat : imo videtur opinio illa, ad minus erronea et temeraria, dicenda. Non tamen videtur ipsi inuri posse notam hæreseos, quamvis Suaresius contrariam doctrinam dicat *esse de fide:* Nam in præallatis definitionibus declaratur quidem Ecclesiæ competere potestatem *externe et exteriore judicio et salubribus pœnis coercendi atque cogendi;* non tamen expressis terminis additur, *per temporales et corporales pœnas.* Et quamvis apertissime sensus ille in dictis definitionibus includatur, cum tamen propriis terminis non exprimatur, uno saltem syllogismo opus est ad eum deducendum. Atque ideo, modo quis *coactivam* Ecclesiæ potestatem admittat, etiam si sustineat non esse coactivam *per temporales et corporales pœnas,* hæreticus non erit dicendus : Non tamen, ut diximus, licite istiusmodi opinioni adhærebit, cum saltem ut erronea et temeraria habenda sit.

# SECTIO III.

## De Judiciorum ecclesiasticorum Materia seu objecto proprio.

Duplex in mundo principatus, ecclesiasticus et *saecularis*. Duplex proinde judiciaria potestas, *saecularis* et ecclesiastica. Cum vero utraque a Deo sit ordinata, debet unaquaeque proprium habere objectum, ita ut certa causarum genera ab una jurisdictione pendeant; cetera vero alteri *subjiciantur*. Nisi enim unaquaeque determinatam materiam tanquam sibi propriam vindicare posset, non ordinate et sapienter duas mundo simultanee praesse potestates instituisset Deus; sed humanas res aeternis collisionibus, perturbationibus et flagitiis mala mente subdidisset, quod dicere impium et blasphemum est.

Hinc tractanti de judiciis ecclesiasticis occurrit, inter gravissimas, quaestio de secernendis causis, quae ad forum ecclesiasticum pertineant, ab iis quas sibi merito vindicat *saecularis* jurisdictio. Cui recte determinando discrimini, atque inter proprias utriusque jurisdictionis causas deducendo distinctionis et separationis sulco, in hac sectione nobis est incumbendum.

### CAPUT I.

#### DE PRINCIPIIS EX QUIBUS DETERMINARI DEBET QUÆNAM CAUSÆ AD FORUM ECCLESIASTICUM PERTINEANT, ET QUÆNAM AD FORUM SÆCULARE.

Quatuor indicabimus principia, tanquam omnino tuta, ad discernendum quaenam causae ecclesiasticae jurisdictioni, et quae-

nam sæculari attribuendæ sint : duo priora desumemus ex ipsa Ecclesiæ essentia, id est, ex prærogativa quadam quam a Christo accepit, et quæ ad ipsius fundamentalem constitutionem pertinet : tertium hauriemus ex fine Ecclesiæ proprio : quartum denique ex certa et communiter apud catholicos recepta doctrina.

PRIMUM PRINCIPIUM. — *Ab omnibus admittendum est eas causas ad forum ecclesiasticum pertinere, quas Ecclesia, sive per expressas definitiones, sive per sufficientem suam praxim, declaraverit jurisdictioni suæ subjacere.* — Omnes enim homines tenentur veram Christi Ecclesiam ingredi, seu esse catholici, ac proinde catholicam fidem profiteri. Est autem articulus fidei, Ecclesiam in docendo et definiendo dogmate infallibilitate pollere : Christus enim dixit : *portæ inferi non prævalebunt adversus eam ;* prævalerent autem si Ecclesia in docendo quid credendum sit, errare posset. Præterea Christus voluit et imperavit ut omnes Ecclesiæ docenti crederent : *euntes docete... qui non crediderit condemnabitur ;* non potuit autem Christus exigere ut Ecclesiæ docenti crederetur, nisi Ecclesiam fecerit in docendo infallibilem. Præterea tota patrum traditio tenuit Ecclesiam a Christo cum prædicta infallibilitate fuisse constitutam, et ea fuit omnium sæculorum fides ; quæ si erronea foret, sequeretur a tempore Apostolorum usque nunc Sponsam Christi fuisse perpetuo fœdatam, et contra ipsam portas inferi prævaluisse. Præterea articulus de prædicta Ecclesiæ infallibilitate fuit multoties expresse definitus. Quæ omnia in tractatu de Ecclesia fuse a theologis demonstrari solent. Inconcussum ergo est, et ab omnibus admittendum, Ecclesiam esse in dogmate definiendo infallibilem. Jam vero, definire talem causarum speciem ad tale forum pertinere, est definire dogma : ergo quando Ecclesia definit certas causas jurisdictioni suæ subjacere, infallibilis est ejusmodi definitio : ergo omnes debent tanquam certum admittere eas causas ad forum ecclesiasticum pertinere, quas sibi subjacere Ecclesia definierit.

Atvero Ecclesia infallibilis est, non tantum in suis dogma-

ticis definitionibus, sed etiam in sua universali praxi et disciplina. Nam quando Ecclesia aliquid in sua generali praxi et disciplina usurpat, hoc ipso id tanquam bonum, ac proinde tanquam nec fidei nec bonis moribus contrarium judicat, et publice proponit, et declarat. In quo judicio si erraret, iterum contra ipsam portæ inferi prævalerent, nec esset columna et firmamentum veritatis. Non potest ergo Ecclesia pro generali praxi et disciplina statuere quod esset veritati vel sanctitati oppositum. Quæ prærogativa tanquam ad dogma catholicam pertinens debet etiam ab omnibus admitti. Ergo eas causas ad forum Ecclesiaticum pertinere admittendum est, quas generali praxi sua ut sibi proprias tribuit Ecclesia. Aliunde eidem foro subjectæ censendæ sunt causæ quas expresse sibi subjacere eadem Ecclesia definit; ergo sive quas expressa definitione, sive quas sufficienti sua praxi ad se pertinere causas declarat Ecclesia, eæ revera ipsius foro subjacent: ergo verum et tutum est quod posuimus principium.

*Objicies.* — Nullus esse potest in propria causa legitimus judex; atqui Ecclesia esset legitimus judex in propria causa, si materiæ quas sui fori esse contendit sæcularis potestas, foro ecclesiastico accensendæ forent, hoc ipso quod ita per suam sententiam aut praxim declararet Ecclesia; ergo ut causæ debeant foro ecclesiastico attribui, non sufficit ita declarar per Ecclesiæ definitionem aut praxim. — Respondeo: distinguo majorem: nullus ex iis, qui infallibilitate in judicando carent, potest esse legitimus in propria causa judex, concedo: etiam ille, qui divina inerrantiæ prærogativa pollet, non potest esse judex in propria causa, nego. Nullum scilicet adest inconveniens, Ecclesiam judicare in propria causa, posito quod certum sit eam nunquam sibi posse tribuere quæ sua non sunt: porro talis est, ob suam in judicando infallibilitatem, Ecclesiæ conditio. Imo, cum duas supremas potestates Deus in mundo constituerit, necesse est alterutram posse conflictus jurisdictionis inter utramque dirimere, cum non instituta fuerit tertia aliqua potestas, duobus aliis superior, quæ judi-

cem agere possit. Jam vero si altera, nempe ecclesiastica, ita a Deo instituta sit, ut non possit errare sibi tribuendo quæ sua non sunt, sæculari vero hæc infallibilitas data non fuerit, palam fit ad Ecclesiam pertinere supremam decisionem dubiorum circa utriusque competentiam. Nimirum Ecclesia ita a Christo in terris instituta fuit, ut et sua jura infallibiliter cognosceret ac declarare posset, et pari infallibilitate cæteros homines, atque ipsam sæcularem potestatem, circa ipsorum respectiva jura et officia doceret; voluitque idem Christus hæc omnia docenti Ecclesiæ ab omnibus, atque ab ipsis etiam sæcularibus potestatibus, obtemperari. Id qui negant, divinam Ecclesiæ institutionem catholice non intelligunt. Ii, verbi gratia, qui timent ne Ecclesia ea quæ sæcularis potestatis sunt sibi usurpet, vel admittunt Ecclesiæ in suis definitionibus et generali disciplina infallibilitatem, vel non : si prius, absurdum esse eorum timorem fateantur, cum nunquam accidere possit, ut Ecclesia, quod ad ipsam non pertinet, vel suum definiat, vel praxi usurpet : si posterius, desinant sese vocitare catholicos; a fide enim et doctrina catholica aperte deficiunt.

Secundum principium. — *Ad distinguendas proprias fori ecclesiastici et sæcularis causas, tuta regula sunt decreta pontificia et conciliorum, quæ hanc distinctionem clare enuntiant, et in generalem Ecclesiæ disciplinam seu legislationem transierunt.* — Sequitur ex superius stabilito principio : diximus scilicet Ecclesiam non posse per disciplinam generalem aliquid non suum sibi usurpare aut suum declarare; eo quod etiam in disciplina generali divinitus adjuvetur, ne errorem practice infundat, et quod injustum et pravum est perpetret. Porro decreta romanorum pontificum et conciliorum quæ per modum legis generalis feruntur, ad disciplinam generalem pertinent. Si ergo per ista decreta declaretur, tales et tales causas tanquam ad Ecclesiam proprio jure pertinentes, esse a judice ecclesiastico dirimendas, quisque catholicus pro certo tenere debet ejusmodi causas revera esse fori ecclesiastici. Qui autem contrarium sentiret, et sustineret aliquas exdictis causis

injuste a foro sæculari fuisse distractas, hoc ipso admitteret Ecclesiam generali sua disciplina injustitiam sanxisse ; quod certe temerarium est, et a doctrina catholica prorsus alienum.

In præsenti autem materia nihili refert præfata decreta pontificia et conciliaria antiquis aut recentioribus temporibus fuisse lata ; quia cum non minus olim quam nunc infallibilis extiterit in sua disciplina generali Ecclesia, decreta hæc, quocumque fueruit ævo lata, probant revera ad forum ecclesiasticum pertinere eas materias quas ei tanquam proprias attribuunt.

Dum ergo infra afferemus ejusmodi decreta ad probandum aliquam causarum speciem esse fori ecclesiastici, pro rigorosa et sufficienti habenda erit talis probatio, modo adductum in probationem decretum perspicue et sine ambiguitate causas illas jurisdictioni ecclesiasticæ tanquam proprias adjudicet.

TERTIUM PRINCIPIUM. — *Eæ causæ ad forum ecclesiasticum pertinere censendæ sunt, quas necesse est judici ecclesiastico, et non judici sæculari, subjacere, ut Ecclesia finem sibi proprium, salutem nempe animarum, convenienter attingere possit.* — Qui enim vult finem, vult hoc ipso media ad finem illum assequendum necessaria ; non potuit ergo Christus Dominus universalem eam societatem, quæ Ecclesia nuncupatur, in terris instituere in hunc finem, ut per ejus actionem homines ad supernaturalem visionis intuitivæ beatitudinem pervenirent, quin simul ipsi opportunam contulerit potestatem, qua divinam hancce missionem explere possit. Si ergo ad assecutionem finis propter quem Ecclesia divinitus instituta fuit, necessarium aut etiam conveniens et opportunum sit, aliquas causarum species ecclesiasticæ potiusquam sæculari jurisdictioni subjacere, censenda est Ecclesia hujusmodi potestate instructa, et tales causæ revera ad forum ipsius sunt referendæ.

Quod magis etiam patefit, si cum fine Ecclesiæ, civilis societatis finis conferatur. Non enim vult Deus homines sub protectione sæcularis potestatis tranquillam et commodam vitam agere (quod est societatis civilis finis proprius), ad hoc

præcise ut pace et materiali præsentis vitæ felicitate fruantur, sed ut, mediante hac tranquillitate et securitate, quam promovet civilis societas, unusquisque possit ea cogitare et agere quibus æternam beatitudinem mereatur et aliquando assequatur. Non ergo Ecclesiæ finis fini sæcularis societatis subordinatur, sed contra sæcularis societatis finis Ecclesiæ fini. Proinde quando ad finem Ecclesiæ proprium expedit certas materias ecclesiasticæ jurisdictioni potiusquam sæculari subjici, merito concluditur velle Deum ut cedat sæcularis judex, et Ecclesia quæ fini suo utilia sunt possit peragere.

QUARTUM PRINCIPIUM. — *Ad forum ecclesiasticum pertinent eæ causæ quas illi tanquam proprias tribuunt communiter doctores catholici.* — Quando nempe omnes moraliter doctores catholici tanquam certum tenent et docent aliquid ad dogma pertinens, erronea esse nequit eorum doctrina. Ea enim generaliter in Ecclesia solet prævalere doctrina, quam communiter tanquam certam docent universitates catholicæ, et cæteri scholæ doctores. Nisi ergo Deus communem doctorum sententiam circa res dogmaticas immunem ab errore divina sua providentia perpetuo servaret, ipsius Ecclesiæ infallibilitati sufficienter non providisset. Quod fusius expositum vide apud Melchiorem Canum (de locis theologicis). Hinc ille doctorum communis consensus inter locos theologicos merito recensetur. Porro utrum talis species causarum jure proprio ad forum ecclesiasticum pertineat, est quæstio dogmatica, et non mere disciplinaris aut historica. Valebit ergo præfata doctorum consensio ad certo discernendas proprias utriusque fori causas.

Hæc quatuor principia sive regalas præmisimus, ut iis tanquam præeunte quadam face instructi, facilius gravissimam de utriusque fori competentia quæstionem enodare possimus. Remanet ut varias causarum species recenseamus, et quænam Ecclesiæ, ex jure ipsi proprio, subjaceant indigitemus.

## CAPUT II.

### DE CAUSIS SPIRITUALIBUS.

Spirituales dicuntur causæ illæ « quæ ex objecto suo sacræ « sunt, seu quæ versantur circa rem sacram et spiritualem. » (Schmalzgrueber, in titulum *de Judiciis,* libri 2 decretalium, n. 50.) Tales sunt quæ ad fidem, sacramenta, absolutionem a votis et juramentis, sacrificium, sacramentalia, ritus sacros, censuras et alias pœnas mere ecclesiasticas, aliaque his similia pertinent.

Spiritualium etiam causarum nomine veniunt illæ, quæ licet intrinsece spirituales non sint, eo quod earum objectum in se dumtaxat consideratum sit quid temporale, spiritualibus tamen adnectuntur, et ratione hujus adnexionis spiritualibus annumerari debent : cujusmodi sunt, verbi gratia, causæ circa redditus ecclesiasticos, circa decimas, etc. « Ratio est, quia « magis dignum trahit ad se minus dignum (arguitur capite « *Quod in dubiis* 3, *de Consec. eccl. vel altar.*); et res tempo- « ralis desinit esse talis, quamprimum spirituali annexa fuerit, « prout elucescit non tantum ex jure sacro (can. *Si quis ob-* « *jecerit* 7, caus. 1, q. 3), sed etiam ex jure prophano, § *Sa-* « *cræ* 8, inst., *de Rer. divis.* » (Schmalzgrueber, in titulum 1 *de Judiciis,* libri 2 decretalium, n. 50.)

Qua præmissa de causis spiritualibus notione, sit,

Propositio I^a^. — *Causæ spirituales ad forum ecclesiasticum exclusive et proprio jure pertinent.* — Probatur *primo*, ex uno e quatuor supra præmissis principiis. Vidimus nempe eas causas esse foro ecclesiastico accensendas, quas suæ jurisdictioni subjacere, per decreta universalem disciplinam constituentia Ecclesia declaraverit. Atqui id maxime verificatur de causis spiritualibus; ut plane liquet ex sequentibus decretis, quæ tanquam leges Ecclesiæ generales auctoritate apostolica collecta sunt et publicata :

*Decernimus ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant. Sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi et alii ecclesiarum prælati de negotiis ecclesiasticis, maxime de illis quæ spiritualia esse noscuntur, laicorum judicio non disponant : nec propter eorum prohibitionem, ecclesiasticam dimittant justitiam exercere* (c. *Decernimus* 2, tituli 1, *de Judiciis*, libri 2 decretalium).

*Causa vero juris patronatus ita conjuncta est et connexa spiritualibus causis, quod nonnisi ecclesiastico judicio valeat definiri* (c. *Quanto* 3, tituli 1, *de Judiciis*, libri 2 decretalium). In quo textu æquivalenter edicitur, causas spirituales non posse nisi ecclesiastico judicio definiri.

*Tuam non credimus latere prudentiam, causam natalium reginæ Cypri ad examen nostrum (utpote quæ ad forum ecclesiasticum pertinet) esse delatam. Quia vero antequam natalium causa terminata esset, dependentem ex illa successionis causam incipere nihil aliud esset quam diversis processibus intricare negotium..., si forte ab ipsa regina fueris super hoc requisitus, donec jam dicta causa natalium apostolico judicio finem acceperit, patienter expectes.* Ita Honorius III Ludovico Francorum regi (c. *Tuam* 3, tituli *de Ordine cognitionum* 10, libri 2 decretalium). Cujus decretalis sensus ut melius introspiciatur, casus expositionem ex glossa subjungimus : « Mortuo comite Campaniæ sine prole, « regina Cypri dicebat quod debebat illi succedere in comi- « tatu tanquam proximior. Quidam alius hoc intelligens acces- « sit ad dominum Papam, proponens quod, cum ipsa regina « non fuisset de legitimo matrimonio nata, dicto comitatui suc- « cedere non debebat, sed ipse : quod paratus erat probare « in præsentia domini Papæ; petens ab ipso ut mandaret regi « Franciæ, ut si forsitan dicta regina super successione comi- « tatus prædicti, coram ipso proponeret quæstionem, non au- « diret eamdem, donec causa natalium (ex qua illa depende- « bat) fuerit terminata : quod Papa non distulit adimplere. » Ergo agebatur de quæstione, utrum talis persona ex legitimo matrimonio nata sit; et hæc causa, eo quod alicui rei sacræ, sacramento nempe matrimonii adnexa sit, a Pontifice decla-

ratur ecclesiastica et ad forum ecclesiasticum pertinere. Eamdem autem natalium causam, ex generali Ecclesiæ legislatione foro ecclesiastico adcenseri, probatur etiam plenissime ex capite *Lator* 5, tituli *Qui sint legitimi* 17, libri 4 decretalium ; et ex capite *Causam* 4, ejusdem tituli.

*Prohibemus quoque districtius potestatibus, dominis temporalibus et rectoribus, eorumdemque officialibus supra dictis, ne ipsi de hoc crimine* (1), *cum mere sit ecclesiasticum, quoquomodo cognoscant vel judicent, sive captos pro eodem crimine absque dictorum Episcoporum sive inquisitorum, aut saltem alterius eorumdem licentia vel mandato, a carcere liberent, aut executionem sibi pro hujusmodi crimine a diœcesano vel inquisitoribus seu inquisitore injunctam, prompte* (*prout ad suum spectat officium*) *facere seu adimplere detrectent : vel alias diœcesanorum aut inquisitorum judicium, sententiam seu processum, directe vel indirecte impedire præsumant. Si quis vero de prædictis potestatibus, dominis temporalibus, rectoribus, vel eorum officialibus seu ballivis contra prædicta fecerit... excommunicationis se noverit mucrone percussum : quam si per annum animo sustinuerit pertinaci, ex tunc velut hæreticus condemnetur.* Ita Bonifacius VIII (capite *Ut inquisitionis* 8, tituli *de Hæreticis* 2, libri 5, in 6). Ergo per decretum, ad universalem Ecclesiæ legislationem et disciplinam pertinens, Ecclesia tanquam ex jure proprio ad se pertinentes sibi attribuit causas fidei.

Ex citatis decretalibus, satis patet Ecclesiam, generali sua praxi, disciplina, et legislatione, sibi ut proprias tribuisse spirituales causas : ex principio autem in superiori capite firmato, erroneum aut injustum esse nequit quod eo modo sibi adjudicat Ecclesia ; ergo spirituales causæ revera ad forum ecclesiasticum pertinent.

Probatur *secundo*, ex altero e quatuor principiis in superiori capite præmissis. Ibi nempe probavimus eas causas foro ecclesiastico adcensendas esse, quas ad forum illud pertinere

(1) Nempe de crimine hæreseos, de quo sermo est in tota hac decretali.

necessarium est aut opportunum ut finem sibi proprium Ecclesia convenienter possit promovere. Inde porro sequitur spirituales causas ecclesiasticæ jurisdictioni subjici debere : nam Ecclesia finem sibi proprium, salutem nempe animarum, præcipue promovet per rerum sacrarum dispensationem et ordinationem : eas vero recte ordinare et dispensare non posset, nisi simul causas et lites de iisdem ortas ipsa dirimeret, ut satis per se patet.

Probatur *tertio*, ex ultimo e quator principiis sub capite superiori expositis. Ibi enim pro regula discernendarum utriusque fori causarum, assignata est communis doctorum catholicorum sententia : isti porro, ad forum ecclesiasticum spirituales causas pertinere, unanimi consensu tenent.

Propositio II^a^.— *Ad forum ecclesiasticum pertinent spirituales causæ, etiamsi temporalis societatis interesse attingant.* — Sæpe evenit ut causæ spirituales dirimi nequeant ab Ecclesia, quin aliquis ex decisione redundet in societatem civilem effectus, et quin proinde attingatur interesse potestatis sæcularis. Quando, verbi gratia, ventilantur causæ fidei, et Ecclesia potestatem suam judiciariam exerit in suspectos de hæresi vel in schismaticos, eosque ut tales damnat, et vitandos decernit, non tantum ii ordinaria, qua forte antea fruebantur, æstimatione apud catholicos cadunt, sed et abrumpitur cum ipsis consuetum salutationis, collocutionis, mensæ et aliarum relationum commercium; qui effectus externus est, et societatem temporalem eo magis afficit, quo cives sic damnati altiora gerunt sæcularia munera. Pariter quando ecclesiastica potestas aliquem librum ob pravam ipsius doctrinam damnat, impeditur hoc ipso libri istius apud catholicos diffusio et venditio : qui externus effectus nuperrime in Gallia locum habuit. Confixo nempe a sacra Indicis Congregatione opere quodam domini Guettée, Blæsensis diœcesis presbyteri, tribunal sæculare Parisinum pronuntiavit non valere pactum editorem inter et typographum de hoc libro initum ; ea sola de causa, quod prædictæ Congregationis superveniens sententia, objectum

contractus substantialiter immutaverat. Item Ecclesia judicando de sacramento matrimonii, hoc ipso judicat de matrimonii legitimitate vel nullitate; et consequenter judicat de legitimitate prolis ex tali matrimonio ortæ : ex illegitimitate autem natalium sequuntur civiles maximi momenti effectus ; ita etiam ut, si agatur de principe cui alias competeret jus succedendi in paterno solio, posita Ecclesiæ sententia de illegitimo ex quo ortus est matrimonio, eum a successione excludendum esse ipso facto sequatur. Imo nulla fere pronuntiari possunt de rebus spiritualibus judicia ecclesiastica, quæ magis minusve directe aliquem effectum in societate sæculari secum non trahant. Cum ergo civiles hujusmodi effectus spiritualium causarum definitio plerumque producat, quæritur an propterea sæcularis potestas possit de iis cognoscere et pronuntiare. Negative esse respondendum facile probatur, applicatione principiorum sive regularum quas superiori capite præmisimus. Nempe,

1° Ostendimus eas causas ad forum ecclesiasticum pertinere, quas sibi subjici, per leges generales, et generalem disciplinam constituentes decrevit Ecclesia eo quod scilicet non possit Ecclesia ob divinam inerrantiæ prærogativam per modum generalis legislationis et disciplinæ aliquid erroneum aut injustum statuere. Jam vero prædicto modo Ecclesia sibi attribuit, tamquam sibi proprias, causas spirituales omnes, absque distinctione earum quæ aliquos civiles effectus secum trahunt; imo has etiam ipsius decretis comprehendi, ex eorum tenore omnino liquet. In supra citato capite *Decernimus* (2, tituli *de Judiciis* 1, libri 2 decretalium) universaliter sancitur *ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant* ; quæ prohibitio districtius adhuc enuntiatur, dum additur : *maxime de illis quæ spiritualia esse noscuntur*. Errasset ex parte Ecclesia hanc prohibitionem ita universaliter sanciendo, si causæ aliquæ spirituales, illæ scilicet quæ effectus civiles secum trahunt, jure possent a sæculari judice cognosci et dirimi. Imo prævisum fuit in hoc decreto, aliquando accidere posse, ut

sæcularis potestas, sub prædictorum effectuum civilium prætextu, judices ecclesiasticos jubeat a judicandis quibusdam causis ecclesiasticis abstinere : quibus ideo injungitur ne propter talem *prohibitionem, ecclesiasticam dimittant justitiam exercere.*

In citato pariter capite *Tuam* (3, tituli 10, libri 2 decretalium) agitur nominatim de causa quæ magni momenti effectum civilem trahebat ; de quæstione scilicet an regina Cypri ex matrimonio legitimo esset orta, a qua pendebat jus ipsius in quemdam comitatum succedendi. De ea tamen causa sic pronuntiat Honorius III : *ad forum ecclesiasticum pertinet.* Illud autem decretum, utpote in libros decretalium auctoritate apostolica insertum, ad generalem Ecclesiæ legislationem et disciplinam pertinet.

Item causæ de crimine hæreseos effectus societatem civilem attingentes producunt. Et de iis nihilominus generali ecclesiastica lege sic decernitur : *prohibemus districtius dominis temporalibus, ne ipsi de hoc crimine, cum mere sit ecclesiasticum, quoquomodo cognoscant vel judicent.* Imo in eodem decreto sæcularibus potestatibus sub pœna excommunicationis præcipitur, ut prompte brachii sæcularis auxilium præstent, et exequantur quod fuerit pro dicti criminis repressione a judicibus ecclesiasticis injunctum. Omissis ergo multis aliis quæ addi possent hujusmodi documentis, tanquam certum concludendum est, Ecclesiam generali sua legislatione et disciplina jurisdictioni suæ tanquam proprias vindicasse spirituales causas omnes, non exceptis iis quæ aliquem civilem effectum secum traherent. Ergo etiam eæ causæ ad forum ecclesiasticum pertinent.

2° In superiori etiam capite firmavimus ecclesiasticæ jurisdictioni accensendas esse causas, quas finis Ecclesiæ proprius postulat a judice ecclesiastico dirimi. Porro finis ille, sanctificatio nempe et salus animarum, a rebus sacris et spiritualibus maxime pendet. Ut ergo possit Ecclesia finem sibi proprium convenienter promovere, debet posse de rebus illis statuere et pronuntiare, ac proinde causas spirituales judicare. Causæ

vero spirituales non desinunt in salutem animarum influere eo quod aliquos secum trahant in societate sæculari effectus ; imo ad animarum bonum spirituale, æternamque salutem expedit, ut hujusmodi effectus sequantur, quia alioquin nociva foret fini Ecclesiæ temporalis societas. Ergo Deus qui Ecclesiam in terris instituendo, voluit eam posse ordinare, quæ fini suo attingendo necessaria sunt et opportuna, voluit etiam ipsi non deesse hanc potestatem, quando ex ipsius decretis et judiciis aliqui sequuntur temporalem societatem attingentes effectus ; et ex ipsa Ecclesiæ, prout locum habuit, institutione sequitur, debere potestatem sæcularem hos effectus suscipere, et eis sese et regimen suum accommodare.

Præterea, non posset sæcularis potestas, sub dictorum effectuum prætextu causas spirituales sibi vindicare et dirimere, quin vice versa sequerentur in societate ecclesiastica effectus : ii autem, ob deficientem in principe sæculari infallibilitatem circa determinandas res spirituales et ad fidem pertinentes, in discrimen perpetuum adducerent religionis et ipsius Ecclesiæ integritatem. In crimine hæreseos, verbi gratia, nulla speciali prærogativa divinitus accepta pollet Index sæcularis, qua præmuniatur a judicando tanquam hæretico, eum qui hæreticus non est, aut non hæretico, eum qui tamen hæreticus est. Ergo aut a nullo judicari poterunt causæ spirituales quæ effectum aliquem civilem trahunt, quod absurdum est ; aut dicendum a judice ecclesiastico eas esse dirimendas.

3° Accedit doctorum catholicorum communis sententia. Nam præter quosdam, janseniana, aut gallicanismi parlamentarii labe infectos, cæteri omnes causas spirituales absque exceptione jurisdictioni ecclesiasticæ vindicant.

Propositio III[a]. — *Quando dubium est utrum causa spiritualis sit, an vero temporalis, ad potestatem ecclesiasticam pertinet pronuntiare, et huic decisioni se submittere debet sæcularis potestas.* — Deus enim utramque potestatem in hoc mundo constituendo, unam constituit in docendo infallibilem, non vero alteram. Ad eam vero quæ in docendis et determinandis

juribus et cæteris veritatibus infallibilis est, hoc ipso pertinet edicere, et quæ sua sint jura, et quæ aliorum; ac proinde pronuntiare an aliquid sit fori sui, an vero alterius. Hac porro prærogativa gaudet ecclesiastica, non sæcularis potestas.

Præterea eæ causæ ad ecclesiasticum forum pertinent, ut dictum est supra, quas sibi subjacere per disciplinam et legislationem suam generalem declaravit et sancivit Ecclesia; quippe quæ legibus suis universalibus et disciplinam universalem constituentibus, nunquam potest aliquid erroneum, sive injustum et pravum decernere. Porro causam illam, utrum nempe aliqua causa spiritualis sit an temporalis, suæ jurisdictioni vindicavit Ecclesia lege universali, id est, capite *Si judex* 12, *de Sententia excommunicat.*, in 6 : ibi enim agitur de malefactore capto, qui se dicit clericum, et de quo adhuc incertum est utrum revera clericus sit. Decernit autem Bonifacius VIII eum ad tribunal ecclesiasticum, non sæculare, esse trahendum : *Ad judicem ecclesiasticum, quia de re ecclesiastica et spirituali..., cognitio pertinebit.*

Accedit communis doctorum catholicorum sententia, quam satis testatur hoc modo Schmalzgrueber : « Dicendum hoc « casu decisionem ad judicem ecclesiasticum pertinere : ita « Cavarruvias... Marta... Oliva..., et, hoc teste, receptissima « traditio omnium. Sumitur clare ex capite *Si judex* 12, *de* « *Sententia excommunicationis,* in 6, ibi : *quia de re ecclesiastica* « *et spirituali*. Ratio est quia judex sæcularis judicando de re « spirituali excedit limites suæ potestatis : non excedit limi- « tes suæ potestatis judex ecclesiasticus judicando de re tem- « porali; nam hic non est incapax jurisdictionis temporalis, « sicut tamen ille est incapax jurisdictionis spiritualis. Atqui « periculo sic excedendi limites potestatis suæ se objiceret « judex sæcularis, si judicaret, quando dubium est an causa « sit spiritualis : nam forte spiritualis est : ergo. » (In titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n° 55.)

Propositio IV^a^. — *Potest laicus, ex delegatione Summi Pon-*

*tificis, non vero ex delegatione alterius prælati ecclesiastici, de causis spiritualibus cognoscere.* — « Pars prima (nempe quod id « possit ex delegatione Summi Pontificis) patet ex plenitudine « potestatis quam universalissimam Papa habet, ut per se vel « per alios cognoscat de omni causa spirituali, modo illi per « quos cognoscit, non sint jure divino inhabiles. Atqui laicus « non est jure divino inhabilis ad cognoscenda spiritualia, si « id agat, non proprio sed alieno nomine. Igitur per illos tan- « quam delegatos suos poterit ea Papa cognoscere et judicare. « —Pars secunda (nempe quod laicus non passit ad hoc delegari « ab alio quam Romano Pontifice) constat ex eo, quia Episco- « pus, vel alius Papa inferior, nequit id, quod jure superiori « constitutum est, abrogare; atqui superiori jure, pontificio « nempe, constitutem est ne laici immisceant se negotiis spi- « ritualibus, per caput *Decernimus* 2, *de Judiciis* et alios textus; « ergo. » (Schmalzgrueber, in titulum *de Judiciis*, n. 56.)

Ex præsenti thesi, quæ est doctrina communis doctorum catholicorum, quisque facile eruet quam absurdum sit gallicanismi parlamentarii ratiocinium, quo potestatem regum Galliæ sese spiritualibus negotiis immiscendi, concludunt ex eo quod de facto olim in iis intervenerint. Utique causis spiritualibus judicandis sese aliquando intromiserunt reges, etiam Pietate conspicui; at consentiente Romano Pontifice, qui id muneris, pro hujus ævi consuetudine, eis demandabat. Cumque ii principes minime somniarent hoc sibi jure regio deberi, non periculosa, sed Ecclesiæ utilissima quandoque evadebat hæc frequens, et permanenter forte ex consuetudine introducta, delegatio. Quod ergo legitime a prædictis regibus, ob delegatam ipsis a Romano Pontifice potestatem, peractum, id nulliter et illegitime fuit attentatum ab eorum successoribus, qui eadem sibi jure proprio, et renitente Papa, vindicare ausi sunt.

## CAPUT III.

### DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS.

Distinguendæ sunt causæ matrimoniales proprie dictæ, ab improprie dictis. Quando in quæstionem venit contractus matrimonialis valor, aut aliquid juris ex ipsius valore vel nullitate fluens, est causa matrimonialis proprie dicta : Cujusmodi est, verbi gratia, quæstio utrum tale impedimentum sit dirimens, an vero dumtaxat impediens; aut etiam an aliquid sit necne verum impedimentum; an de facto tale matrimonium cum impedimento nullitatis contractum fuerit; an ex tali vel tali motivo licitum sit vero matrimonio conjunctis divortium; an tales filii sint necne legitimi, cum ea legitimitas sequatur ex quæstione de ipsius matrimonii valore, etc. At præter ejusmodi quæstiones, quæ vel circa matrimonii substantiam versantur, vel circa obligationes et jura a substantia matrimonii necessario dependentia, sunt et aliæ, quæ respiciunt varias solemnitates substantiæ et valori matrimonii extrinsecas : cujusmodi sunt quæstiones de dote, de hæreditate, de pompa matrimoniali, etc. Eæ porro vocari possunt causæ matrimoniales improprie dictæ. Quo prænotato, sit.

Propositio I^a^. — *Causæ omnes matrimoniales proprie dictæ, quoad matrimonia fidelium, ad forum ecclesiasticum exclusive pertinent.* — Probatur 1°. Ex canone 42 sessionis 24 Tridentini concilii : *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.* Dum ibi dicitur *causas matrimoniales*, idem intelligendum est ac si positum fuisset, causas matrimoniales *omnes*. Constat ex eo quod per modum propositionis universalis enuntiatio fiat. Constat præterea ex authentica interpretatione Pii VI, qui in brevi dogmatico ad Motulensem Episcopum directo, reprobat interpretationem sensus universalis restrictivam, qua scilicet contenderetur canonem

intelligendum esse de *aliquibus* tantum, non de *omnibus* causis matrimonialibus. Item, dum dicitur *ad judices ecclesiasticos*, intelligendum est ad eos *solos* : tum quia is est genuinus sensus; tum quia interpretationem contrariam pariter in dicto brevi reprobavit Pius VI; quod vide fuse probatum in eximio opere patris Martin societatis Jesu, *de potestate sæcularium principum dirimentia impedimenta constituendi.*

Probatur 2°. Aliis decretis legem universalis disciplinæ constituentibus, quibus Ecclesiæ sibi ejusmodi causas vindicavit : *Multorum relatione cognovimus te propriam velle abjicere uxorem et adhærere alteri, prætendentem consanguinitatis occasionem. Unde Apostolica auctoritate interdicendo mandamus tibi, ut hanc quam nunc habes uxorem nullatenus præsumas dimittere, vel aliam ducere, donec Episcoporum religiosorum concilium causam istam examinaverit* (canone *Multorum* 10, causæ 35, quæstionis 6). Pariter supra citato capite *Tuam* (3, *de Ordine cognitionum* 10, libri 2 decretalium), et capite *Causam* (4, tituli *Qui filii sint legitimi* 17, libri 4 decretalium), et capite *Lator* 5, prædicti tituli, videmus Ecclesiam sibi tribuere causam de valore vel nullitate matrimoniorum : plurimaque alia extant in corpore juris variorum sæculorum decreta, quibus Ecclesia de causis matrimonialibus tanquam ad se pertinentibus suprema auctoritate decernit. Quod autem eas sibi jure proprio, non autem tanquam ex aliqua principum concessione, ut quidam heterodoxi somniarunt, vindicaverit, patet, tum ex eo quod hujusmodi leges suas applicaverit ipsismet principibus valde renitentibus, atque eo ipso in prætensam illam concessionem minime consentientibus, tum ex ipso dictarum legum stylo. In decretali *Causam*, verbi gratia, Alexandri III (capite 7, tituli *Qui filii sint legitimi* 17, libri 4 decretalium), agebatur simul de legitimitate cujusdam matrimonii, et de possessionibus ex illa legitimitate vel nullitate pendentibus. Porro Pontifex Episcopis quidem committit judicium de causa principali, idest, de valore matrimonii; quæstionem vero de possessionibus ad regem remittit : *Nos attendentes quod ad regem pertinet*,

*non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus judicare, ne videamur juri Regis Anglorum detrahere, qui ipsarum judicium ad se asserit pertinere, fraternitati vestræ mandamus, quatenus Regi possessionum judicium relinquentes, de causa principali, videlicet utrum mater prædicti R... de legitimo sit matrimonio nata, plenius cognoscatis et causam hujusmodi terminetis.* Quis non videt Pontificem illum, dum tam luculenter causam possessionum *ad regem, non ad Ecclesiam* pertinere pronuntiat, æquivalenter edixisse alteram, de valore nempe matrimonii, non minus proprio jure, ecclesiastico foro subjici? Cum ergo in praxi et disciplina ac legislatione sua generali nequeat Ecclesia quidquam erroneum aut injustum decernere, et sibi ut proprias hoc modo causas matrimoniales omnes vindicaverit, dicendum causas illas ad ipsam revera exclusive pertinere.

Probatur 3°. Ex nuper habita in consistorio Pii Papæ IX allocutione, 27 septembris 1852 : sic orditur allocutio illa : « Acerbissimum vobiscum, venerabiles fratres, hodie commu-« nicamus dolorem, quo jamdiu intime premimur ob maxima « et nunquam satis lugenda damna, quibus plures abhinc an-« nos, catholica Ecclesia in Neogranatensi republica miserau-« dum in modum affligitur. »

Post enumerata autem multa a dicto gubernio in detrimentum Ecclesiæ attentata, sic prosequitur Pontifex : « Nihil di-« cimus de alio illo decreto, quo matrimonii sacramenti mys-« terio, dignitate, sanctitate, omnino despecta, ejusque « institutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque « Ecclesiæ in sacramentum idem potestate penitus spreta, « proponebatur juxta jam damnatos hæreticorum errores, « atque adversus catholicæ Ecclesiæ doctrinam, ut matrimo-« nium tanquam civilis tantum contractus haberetur, et in « variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnes-« que matrimoniales causæ ad laica deferrentur tribunalia, et « ab illis judicarentur; cum nemo ex catholicis ignoret aut « ignorare possit matrimonium esse vere et proprie unum ex « septem evangelicæ legis sacramentis a Christo Domino ins-

« titutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non « posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum ; atque « idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, « præter sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam « civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque « exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum ; « ac proinde a conjugali fœdere sacramentum separari nun- « quam posse ; et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem « ea omnia decernere, quæ ad idem matrimonium quovismodo « possunt pertinere. Atque hæc omnia omittimus, propterea « quod etiamsi hæ leges ab aliquibus e deputatorum concilio « fuere propositæ, tamen plerique deputati ac senatores, Deo « bene juvante, eas leges rejiciendas esse decrevere. » (Inserta fuit allocutio illa in publicatione periodica la *Civilta cattolica*, n. 62, anno 3, tom. 11.)

Ad rem prorsus faciunt, ut patet, ea Pii IX verba, *omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere quæ ad idem matrimonium quovismodo possunt pertinere :* non enim luculentius exprimi et tenendum declarari poterat quod hic sustinemus, *omnes* scilicet proprie dictas matrimoniales causas a foro pendere ecclesiastico. Nec minus aperte prædictis verbis feritur erroneum et periculosissimum systema eorum qui sæculari principi tribuunt, saltem tanquam probabilem, dirimentia matrimonii impedimenta constituendi potestatem. Si enim ea *omnia* quæ ad matrimonium *quovismodo* possunt pertinere, a jurisdictione pendeant ecclesiastica, ab eadem procul dubio pendebunt *omnia* etiam impedimenta dirimentia. Magnam autem inesse consistorialibus ejusmodi allocutionibus auctoritatem dogmaticam neminem fugit. Fiunt enim in hunc scopum ut totus mundus (quemadmodum in modo citata expresse declaratur) eas cognoscat, et authentica publicitate donantur. Quamvis autem in iis Pontifex novas fidei definitiones non emittat, emissas tamen tanquam Ecclesiam docens interpretatur et declarat. Ita ut temeritate non careat hoc modo declaratorum dogmatum impugnatio.

Eamdem præterea doctrinam omnino tenendam declarat prælaudatus Pontifex in sua ad regem Sardiniæ epistola, 19 septembris 1852 (in diario l'*Univers* publicata, 22 decembris 1852) :

« C'est un dogme de foi que le mariage a été élevé par « Jésus-Christ Notre-Seigneur à la dignité de sacrement, et « c'est un point de la doctrine de l'Église catholique, que le « sacrement n'est pas une qualité accidentelle surajoutée au « contrat, mais qu'il est de l'essence même du mariage, de « telle sorte que l'union conjugale entre des chrétiens n'est « légitime que dans le mariage-sacrement, hors duquel il n'y « a qu'un pur concubinage.

« Une loi civile qui, supposant le sacrement divisible du « contrat de mariage pour des catholiques, prétend en régler « la validité, contredit la doctrine de l'Église, usurpe ses droits « inaliénables, et, dans la pratique, met sur le même rang le « concubinage et le sacrement de mariage, en les sanctionnant « l'un et l'autre comme également légitimes.

« La doctrine de l'Église ne serait pas sauve, et les droits « de l'Église ne seraient pas suffisamment garantis par l'adop- « tion, à la suite de la discussion qui doit avoir lieu au Sénat, « des deux conditions indiquées par les ministres de Votre « Majesté, savoir : 1° que la loi reconnaîtra comme valides les « mariages célébrés régulièrement devant l'Église, et 2° que « lorsqu'un mariage dont l'Église ne reconnaît pas la validité « aura été célébré, celle des deux parties qui voudrait plus « tard se conformer aux préceptes de l'Église ne sera pas te- « nue de persévérer dans une cohabitation condamnée par la « religion.

« Quant à la première condition, on entend par mariages « valides les mariages régulièrement célébrés devant l'Église, « et, dans ce cas, non-seulement la distinction de la loi serait « superflue, mais il y aurait une véritable usurpation sur le « pouvoir légitime, si la loi civile prétendait connaître et juger « des cas où le sacrement de mariage a été ou n'a pas été cé-

« lébré régulièrement *devant l'Église;* ou bien on entend par « mariages valides devant l'Église les seuls mariages contractés « *régulièrement,* c'est-à-dire conformément aux lois civiles, et, « dans cette hypothèse, on est encore conduit à la violation « d'un droit qui est exclusivement de la compétence de l'É- « glise.

« Quant à la deuxième condition, en laissant à l'une des « deux parties la liberté de ne pas persévérer dans une co- « habitation illicite, attendu la nullité du mariage qui n'au- « rait été célébré ni devant l'Église, ni conformément à ses « lois, on n'en laisserait pas moins subsister comme légitime « devant le pouvoir civil une union condamnée par la reli- « gion.

« Au reste, les deux conditions ne détruisent, ni l'une ni « l'autre, la supposition que le projet de loi prend pour point « de départ dans toute ses dispositions, savoir : que dans le « mariage le sacrement est séparé du contrat, et par cela « même elles laissent subsister l'opposition déjà indiquée « entre ce projet de loi et la doctrine de l'Église sur le « mariage.

« Que César, gardant ce qui est à César, laisse à l'Église ce « qui est à l'Église; il n'y a pas d'autre moyen de conciliation. « Que le pouvoir civil dispose des effets civils qui dérivent du « mariage, mais qu'il laisse l'Église régler la validité du ma- « riage même entre chrétiens. Que la loi civile prenne pour « point de départ la validité ou l'invalidité du mariage comme « l'Église les détermine, et partant de ce fait, qu'elle ne peut « pas constituer (cela est hors de sa sphère), qu'elle en règle « les effets civils. »

Probatur 4°. Ex communi probatorum doctorum sententia. Si qui enim reperiantur qui causas *omnes* matrimoniales proprie dictas ad forum ecclesiasticum non referant, ii simul reperientur de eo numero esse, vel quorum libri auctoritate Apostolica confixi sunt, ut Marcus Antonius de Dominis, Launoius, Van Espen et alii similes; vel quorum scripta jansenis-

ticam aut Gallicanismi parlamentarii labem aperte redolent; vel remotioris ævi qui, re nundum in scholis plene eliquata, scripserunt; qui tamen ultimi pauci numerantur.

Probatur 5°. Ex eo quod causæ matrimoniales proprie dictæ, inter causas vere spirituales reputandæ sint. — Nam causæ matrimoniales proprie dictæ, sunt illæ quæ versantur circa ipsummet matrimonium, seu circa ipsummet contractum matrimonialem, non vero circa solemnitates matrimonio extrinsecas. Jam vero contractus matrimonialis fidelium est quid sacrum seu spirituale : nam ille contractus est certissime materia sacramenti, atque adeo sacramenti aliqua pars : porro pars quælibet sacramenti est aliquid sacrum seu spirituale. Imo prædictus fidelium contractus est simul totum sacramentum : nam ita tenendum est, si nullum existere possit inter fideles matrimonium, quod non sit simul sacramentum; atqui hanc esse catholicam doctrinam declaravit Pius IX in citata allocutione his verbis : *Cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit... inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum ; atque id circo quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris præter sacramentum conjunctionem... nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum.* Si ergo matrimonium fidelium sit necessario et indivisim ipsummet sacramentum, est profecto res sacra et spiritualibus annumeranda. Cum ergo superiori capite probatum sit ad forum ecclesiasticum pertinere de rebus sacris seu spiritualibus judicium, eidem foro causæ matrimoniales proprie dictæ tribuendæ sunt.

Propositio II^a^. — *Causæ matrimoniales improprie dictæ, quæ nempe versantur circa res temporales et substantiæ matrimonii extrinsecas, ad forum sæculare jure proprio pertinent.* — « Quia, ait « Schmalzgrueber, hæc nihil spirituale continent. » (In titulum *de Judiciis*, n. 53.) Unde nihil obstat quin sæcularis princeps, et de iis causis cognoscat, et justis legibus de iis decernat. Quod etiam positive constat ex modo citata decretali Alexandri III, in qua ad regem, non ad Ecclesiam pertinere pronuntiatur

quæstio de possessionibus, licet cum quæstione de valore matrimonii colligata.

## CAPUT IV.

### DE CAUSIS TEMPORALIBUS QUÆ, RATIONE PERSONÆ CONTRA QUAM PROPONUNTUR, FIUNT ECCLESIASTICÆ, — SEU DE CAUSIS TEMPORALIBUS CLERICORUM.

Causas contra clericos intentatas, quantumvis cæteroquin temporales, ad forum ecclesiasticum pertinere, tradit communis doctorum catholicorum sententia.

« Indubitabilis apud omnes catholicos veritas est (ait Schmalz-« grueber, in titulum *de Judiciis*, n. 73), quæ docet clericorum « personas a jurisdictione sæculari exemptas esse.» Unde vero clericis oriatur illud fori privilegium, an ex jure divino, an ex propria ita statuendi Ecclesiæ potestate, an ex quadam dumtaxat principum sæcularium concessione, magni momenti quæstio est, quam fuse expendimus in tractatu *de Jure Ecclesiæ relative ad potestates civiles*. Ibi nempe, agendo de Ecclesiæ immunitatibus, ostendimus 1° nulla theologica nota carpi debere opinionem quorumdam catholicorum doctorum, qui docent ex mera dumtaxat principum concessione suum clericis obvenisse fori privilegium in causis temporalibus ; modo tamen simul sustineatur, non posse Ecclesiam hoc jure semel accepto unquam legitime spoliari (posse enim principes hoc privilegium repetere, communiter a doctoribus catholicis tanquam omnino falsum reprobatur) ; et modo prædicta opinio Romanum Pontificem non comprehendat : « Inter catholicos, ait Suarez, Palatius as-« serere ausus est Papam non esse exemptum a potestate civili « jure divino vel canonico, sed jure tantum civili, seu ex privi-« gio imperatorum... Idem sentit de aliis ecclesiasticis, et nihil « singulare Pontifici quoad hoc privilegium attribuit. Verumta-« men hæc sententia, quatenus totum hoc privilegium revocat in

« solam donationem imperatorum, etiam de aliis clericis Summo « Pontifici inferioribus, perniciosa est et minime probanda...; « de Summo autem Pontifice, omnino reprobanda et minime « toleranda est. » (*Defensio fidei*, lib. 4, *de Immun. Eccl.*, cap. 4, n. 2.) 2° Ibidem probamus, dictam opinionem, quæ clericale fori privilegium a sola imperatorum concessione repetit, etsi nequeat censura theologica percelli (eo quod nonnulli scholæ doctores ei patrocinentur, et nondum expresse ab Ecclesia damnata fuerit), esse tamen omnino falsam, perniciosam (1) et deserendam ; veram autem in hac re esse doctrinam, quæ jure divino a potestate sæculari exemptos in causis temporalibus clericos defendit. Ne ergo bis eadem in nostris institutionibus occurrant, ad citatum tractatum nostrum gravissimam hancce quæstionem remittimus.

## CAPUT V.

### DE CAUSIS TEMPORALIBUS QUÆ AD FORUM ECCLESIASTICUM PERTINENT RATIONE NEGLIGENTIÆ SÆCULARIS JUDICIS.

PROPOSITIO I^a^. — *Si justitiam administrare negligat sæcularis potestas, causa, licet mere temporalis, ad forum ecclesiasticum legitime defertur.* — Ita canonistæ communiter dum interpretantur decretalem *Licet* Innocentii III (capite 10, tituli 2, libri 2 decretalium). Probatur autem 1° ex dicta decretali, seu ex eo quod Ecclesia, quæ per disciplinam suam universalem nihil indebitum sibi tribuere potest, hanc revera potestatem sibi de facto vindicet per illud decretum inter leges

(1) Potest aliqua propositio, quin ipsi ulla inuratur censura theologica, impugnari tanquam falsa et perniciosa. Scriptor nempe, qui ratiociniorum suorum serie devenit ad hanc conclusionem, *ergo falsa est et perniciosa illa propositio*, non censetur notam theologicam inurere, sed dumtaxat quid ipse sentiat exprimere, salva opinionis contrariæ libertate.

universales insertum : sic nempe decernit Innocentius III ad Vercellensem Episcopum scribens :

« Licet ex suscepto servitutis officio simus omnibus in justi-
« tia debitores, sic tamen in jure suo nos quibusdam convenit
« providere, ne aliis injuriam facere videamur ; ne, quod ab-
« sit, inde sumatur materia scandali, unde provida debet con-
« sideratione sedari. Ex insinuatione sane dilectorum filiorum
« consulum communis Vercellensis nos noveris accepisse,
« quod cum de singulis quæstionibus, quæ motæ fuerant con-
« tra eos coram consulibus justitiæ, juxta consuetudinem
« approbatam velint cuilibet conquerenti justitiæ plenitudi-
« nem exhibere, laici quidam ut eorum jurisdictionem eva-
« cuent, et fatigent eos laboribus et expensis super rebus quæ
« judicium ecclesiasticum non requirunt, litteras Apostolicas
« impetrant ; et sic, præter jurisdictionem consulum quam me-
« ruerant, eos cogunt multipliciter laborare. Volentes igitur
« sic eorum utilitati consulere, ne patiamur justitiam aliorum
« deperire, mandamus quatenus, si quando a laicis Vercellen-
« sibus litteras, super rebus præcipue quæ forum sæculare
« contingunt, a Sede Apostolica contigerit impetrari, decernas
« auctoritate nostra irritas et inanes, dummodo consules et
« Commune de se conquerentibus in judicio sæculari exhi-
« beant justitiæ complementum.

« Liceat tamen ipsis qui sub eisdem consulibus taliter duxe-
« rint contendendum, si se in aliquo senserint prægravati, ad
« tuam (sicut hactenus servatum est) vel ad nostram si maluc-
« rint audientiam appellare ; hoc præsertim tempore, quo va-
« cante imperio ad judicem sæcularem recurrere nequeunt,
« qui a superioribus in sua justitia opprimuntur. Si vero con-
« sules justitiæ tanquam merito suspecti fuerint recusati, co-
« ram arbitris communiter electis, de causa suspicionis agatur :
« quæ si probata fuerit esse justa, ad te, vel ad Nos pro jus-
« titia recurratur, sicut superius est expressum. » Notandum sedulo est qua de causa hæc decretalis prodierit. In judicium vocabantur consules et Commune (la commune) Vercellensium,

super rebus temporalibus ; quæ proinde pertinebant ad judices sæculares ordinarios hujus loci, *consules justitiæ* ibi nuncupari solitos. Actores autem tentabant declinare hoc ordinarium tribunal, ut causam ad ecclesiasticum judicem pertraherent; et in hunc scopum litteras Apostolicas impetraverant. Id quidem tanquam abusivum corrigit Pontifex, decernens prædictas Apostolicas litteras, si quando impetrentur, fore irritas; at simul decernit causam quibusdam in casibus ad forum ecclesiasticum esse deferendam : si nempe consules justitiæ, id est, ordinarii judices sæculares, merito tanquam suspecti recusentur, vel justitiam postulantes opprimant, et non sit superior judex sæcularis qui eos corrigat et ad quem recurri possit. Inde autem sequitur generatim ad forum ecclesiasticum transire causam, quando a sæculari potestate obtineri nequit justitia.

Probatur 2°. Ex fine Ecclesiæ proprio. Probavimus nempe supra, capite hujus sectionis primo, eas causas foro ecclesiastico esse adscribendas, quas Ecclesiæ jurisdictioni subjici necesse atque opportunum est, ut finem sibi proprium Ecclesia convenienter assequatur. Porro ad bonum spirituale fidelium pertinet ut ipsis de materia etiam mere temporali litigantibus justitia reddatur : si ergo judex sæcularis, ad quem tales causæ pertinent, justitiam exercere negligat, necesse est ut Ecclesia ejus defectum supplere possit ; et censeri debet talis potestas Ecclesiæ a Christo data.

Propositio II^a^. — *Ut causa temporalis ad forum ecclesiasticum de jure transeat, non sufficit negligentia judicis sæcularis inferioris, sed requiritur etiam negligentia judicis sæcularis superioris.*— Quæstionem sic ponit Schmalzgrueber (in titulum *de Judiciis*, n. 58) : « Quorum judicum sæcularium negligentiam « supplere judex ecclesiasticus possit? » Ad quam ita respondet : « Aliqui quidem loquuntur generaliter : melius tamen « videntur sentire qui distinguunt inter magistratus et judices « sæculares qui superiorem in temporalibus non cognoscunt, « et inter eos qui talem superiorem cognoscunt. De *prioribus*

« affirmant ; de *posterioribus* negant, sed volunt horum negli-
« gentiam a superiore, quem recognoscunt in temporalibus,
« supplendam et corrigendam esse : qui si et ipse in defectu
« supplendo aut inferiore corrigendo negligens sit, tunc pri-
« mum recurrendum ad Ecclesiam. Ita Innocentius IV (in
« caput *Licet* 10, *de Foro competenti*, n. 1), Abbas, Oliva, Sua-
« rez (*de Censuris*, disp. 20, sect. 1, a n. 15), Engel, Konig,
« et alii ab his citati. Ratio est quia Ecclesia administrationi
« justitiæ in temporalibus se non intromittit, quando recursus
« est ad superiorem qui inferioris defectum supplere potest et
« vult. Casu autem quo nullus est superior ad quem recurra-
« tur, ad bonum spirituale pertinet ut justitia administretur;
« ac per consequens id fieri potest per potestatem spiritualem,
« quæ superior est, cuique omnia temporalia in ordine ad suum
« finem servire debent. »

Propositio IIIª.—*Ad sæcularem potestatem non pertinet ecclesiastici judicis negligentiam supplere in causis ecclesiasticis.* — Probatur 1° decretali *Qualiter* Innocentii III, in qua sic legitur : *nec pro defectu justitiæ, clerici trahantur a laicis ad judicium sæculare, quod omnino fieri prohibemus* (capite *Qualiter* 17, tituli *de Judiciis* 1, libri 2 decretal.). Ergo per legem quæ in universalem disciplinam transiit sibi vindicavit Ecclesia potestatem prohibendi ne sæcularis potestas, in casu deficientis ex parte judicis ecclesiastici justitiæ, cognosceret de causis etiam temporalibus clericorum : quæ prohibitio a fortiori intelligenda est de causis quibuslibet spiritualibus. Cum ergo, ut sæpe dictum est, non possit Ecclesia per modum universalis legis et disciplinæ quidquam injustum sibi usurpare, dicendum ad jus Ecclesiæ pertinere, ut sæcularis potestas non sese immisceat causis ecclesiastici fori propriis, etiamsi judex ecclesiasticus a recte exercenda justitia deficeret.

Probatur 2°. Ex bulla *Cœnæ* et aliis ejusmodi universalibus decretis, in quibus tanquam summum flagitium reprobatur et gravissimis censuris coercetur quilibet recursus ad potestatem sæcularem in causis ecclesiasticis. Si enim fas esset principi

sæculari de hujusmodi causis cognoscere, in casu negligenter aut nequiter administratæ a judice ecclesiastico justitiæ, nullatenus peccaret qui, apud tribunal ecclesiasticum justitiam non obtinens, ad sæculare recurreret. Cum ergo per suam universalem disciplinam contrarium statuerit et sanxerit Ecclesia, certum est prædicta facultate carere potestatem sæcularem.

Probatur 3°. Ex fine utrique potestati proprio. Nam ideo Deus voluit homines super terram aliquantisper degere, ut, rectam fidem docente et sacramenta dispensante Ecclesia, supernaturalem visionis intuitivæ beatitudinem mereantur et consequantur. Ad quod tanquam medium prærequiritur, ut necessarias ad vivendum temporales res, et sufficientem quandam tranquillitatem et securitatem temporalem habeant. Commoda autem hæc temporalia illis tribuere, est proprius societatis civilis finis. Ex intento ergo Dei in constituenda utraque societate, finis unius (id est sæcularis), fini alterius (id est ecclesiasticæ) subordinatur. Ex subordinatione autem finium, sequitur ipsa societatem, subordinatio. Jam vero absurdum est potestatem quæ alteri subordinatur posse illius judicia reformare, illam corrigere, propriasque ipsius causas ad se trahere. Si enim id valeret sæcularis potestas, jam non ipsa ecclesiasticæ, sed ipsi ecclesiastica subordinaretur.

Attento ergo utrique potestati proprio fine, recte quidem concluditur posse Ecclesiam, ratione boni spiritualis fidelium, negligentiam sæcularis potestatis in causis temporalibus juste judicandis supplere; atvero perperam concluderetur sæcularem vicissim principem idem quoad ecclesiasticas causas posse: hoc ipso quippe tolleretur finium utriusque potestatis subordinatio. Ea autem de qua loquimur subordinatio, minime impedit quin utraque societas a Deo immediate instituta fuerit, et sua utrique sint *propria* jura, a Deo et non ab altera accepta. Unde sæcularis potestas, licet Ecclesiæ subordinata in iis quæ requirit bonum spirituale hominum, nequaquam est minister tantum aut pars alterius; sed est ab ea omnino distincta, et

omnino remanet ipsi vera *independentia* quoad *proprietatem* suorum jurium (quia ea habet a Deo non ab Ecclesia), licet independens non sit quoad *subordinationem* in iis quæ finem Ecclesiæ proprium simul attingunt. Quod vide fusius expositum in meis tractatibus *de Jure liturgico*, et *de Jure Ecclesiæ relative ad civiles societates*.

Præterea nemo non videt, quot perpetuis periculis et perturbationibus quateretur Ecclesia, si laica potestas, sub pretextu quod neque inferiora tribunalia ecclesiastica, neque ipse Papa justitiam recte in causis ecclesiasticis exerceant, posset eas causas sibi vindicare et supremo judicio definire. Sæpe sæpius enim sæculares principes pro infenso suo in Ecclesiam animo, aut jam titubante eorum catholica fide, injustas vocarent ecclesiasticas sententias, quæ injustæ minime essent. Sæpe sæpius ipsorum de rebus sacris et de causis spiritualibus sententiæ schismati et hæresi faverent.

Præterea semper poterit Sedes Apostolica sæcularis principis in causa ecclesiastica judicium judicare; quia hæc causa, an competenter et juste pronuntiaverit sæcularis potestas circa res ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinentes, est et ipsa causa ecclesiastica. Unde si admittatur in Papa et principe reciproca potestas alter alterius judicia reformandi, nullus dari poterit conflictui finis, sed æterna remanebit statuta pugna. Potest quidem admitti, et admittenda probatur Ecclesiæ potestas judici sæculari supplendi, quando id requirit spirituale fidelium bonum; et hinc summus ordo : atvero admitti nequit reciproca, quia inde summa confusio, quam voluisse Deum supponi nequit.

Hinc omnino concludenda illegitimitas appellationum tanquam *ab abusu*, a sententia ecclesiastica ad sæcularem principem; sed hæc ad tractatum *de Jure Ecclesiæ relative ad societates civiles* remittimus.

*Objicies* 1°. Admissa hujusmodi doctrina, nullum remaneret remedium, casu quo judex ecclesiasticus, et etiam ipse Papa ad quem recurreretur, ex errore aut nequitia inique pronun-

tiaret; qui tamen casus, etiam quod Papam dari potest, cum in causis particularibus judicialiter expediendis, neque infallibilis neque impeccabilis sit. — Respondeo *primo*, casum rarissime eventurum, ut satis patet. *Secundo*, a doctrina opposita non tolli inconveniens, sed multiplicari. *Tertio*, posse catholicos principes cum debita reverentia Romanum Pontificem admonere et deprecari, ut, quod ipsis videtur injuste judicatum, dignetur ad examen revocare et corrigere; quod, ordinarie saltem, plane sufficiens remedium erit. *Quarto*, si quando tamen casus ille injusti papalis judicii occurrat, inconveniens esse patienter ferendum, utpote cui nullo remedio obviari posse in hoc mundo voluit Deus. Parti autem oppressæ patientia hujusmodi majora bona conferet quam si causa vicisset. *Quinto*, cæterum id commune esse cuilibet supremæ in suo genere humanæ potestati, quæ semper fallibilis et peccabilis remanet, et cujus tamen judicia a superiore corrigi nequeunt, cum ex hypothesi superiorem in terris non habeat. Unde Ecclesia, non quælibet injusta judicia supremæ sæcularis potestatis corrigit, sed quando tantum id requirit bonum spirituale fidelium; in cæteris partem oppressam ad patienter ferendum exhortans. Unde inanis prorsus est objectio.

*Objicies* 2°. Æquum videtur ut, sicut potest Papa judici sæculari supplere in causis temporalibus quando id requirit bonum spirituale fidelium, ita possit princeps supplere judici ecclesiastico in causis ecclesiasticis, quando id requirit bonum temporale subditorum civium. — Respondeo id quidem æquum fore si neutra potestas alteri subordinaretur, et posset utraque, quod suum finem aliquo modo tangit, pari jure sibi judicandum vindicare et definire : at tunc Deus perpetuum in mundo Manichæismum æternamque pugnam instituisset. Imo hæc utraque potestas nulli potestati æquivaleret, cum eadem causa supponatur utriusque finem proprium tangens, ac proinde ad utriusque forum pertinens, ac proinde nequeat ab altera potestate sine injuria alterius dirimi. Porro non posse judicare causam sine injuria alterius jurisdictionis, est simpli-

citer non habere potestatem illam causam judicandi. Admittenda ergo inter duas potestates præfata subordinatio; et tunc non æquum, sed iniquum deprehenditur, quod in objectione proponitur.

*Objicies* 3°. Canonem *Nos si incompetenter* (41, causæ 2, quæstionis 7) in quo Leo Papa IV sic Ludovicum imperatorem alloquitur : *Nos si incompetenter aliquid egimus, et in subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio.* Et postea mitti ab imperatore postulat judices, testans se velle ab eis examinari et judicari. Ergo agnovit Leo IV ad sæcularem potestatem pertinere de causis ecclesiasticis, imo et in ipsum Papam, sententiam ferre. — Respondeo prædictum Pontificem sese, ex humilitate et ut suspiciones et querelas contra ipsum ortas melius repelleret, submisisse judicio imperatoris *arbitrario*, non autem *coactivo*. Potest autem quilibet superior sibi assumere subditos suos tanquam arbitros ad examinandam accusationem contra ipsum prolatam, quin per hoc ullam eorum in seipsum jurisdictionem agnoscat. Non dixit Leo IV, vestro *debemus* emendare judicio, sed *volumus;* utique libere : nam si noluisset, tale judicium sibi vindicare non potuisset imperator. Atque idem dicendum venit de quibusdam aliis Romanis Pontificibus, qui simile humilitatis exemplum, ob majus animarum bonum, exhibere voluerunt.

*Objicies* 4°. Canonem *Filiis* (31, causæ 16, quæstionis 7) in quo sic decernit concilium Toletanum IX : *Quod si talia Episcopus agere tentet, metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si autem metropolitanus talia gerat, regis hæc auribus intimare non differant.* Ergo agnoscitur potestas regis metropolitanum judicandi, in causis de quibus hoc canone agitur, id est, in casu quo bona Ecclesiæ dissipasset. — Respondeo *primo :* stabilivimus supra, posse principem sæcularem a Sede Apostolica delegari ad dirimendas causas ecclesiasticas; nec improbabile est, tempore quo hic canon conditus est, Hispaniæ reges solitos fuisse, ex tali delegatione, quædam jurisdictionis ecclesiasticæ

jura exercere : quo posito, mirum non est decerni, ut ad regem perferantur accusationes de metropolitanis, bona ecclesiarum dilapidantibus. Inde autem non probatur a patribus Toletanis agnitam fuisse in rege veram et ipsi propriam de talibus causis cognoscendi potestatem. Respondo *secundo :* velle quidem dictum concilium ut tales accusationes *regis auribus intimentur ;* an autem ut eas ipse per se judicet, an vero tantum ut, tanquam Ecclesiæ defensor, curet eas a judicibus legitimis dirimi, non exprimit synodus ; et nihil impedit quin in posteriori sensu verba canonis intelligantur. Respondeo *tertio :* canonem supra citatum *qualiter,* expresse decernere ne *clerici trahantur a laicis ad judicium sæculare.* Unde si admittendus esset contrarius in lege Toletana sensus, lex illa censeri deberet quoad hoc per legem pontificiam *qualiter* correcta.

*Objicies* 5°. Caput *Si quis* (2, *de Regularibus* 31, libri 3 decretalium), in quo supponitur in causa quadam ecclesiastica reclamari posse *ad principem, aut proprium Episcopum, vel ad missum dominicum.* — Respondet Glossa, et post ipsam canonistæ, ibi per *principem* intelligi Papam. Sed etiamsi per *principem* intelligenda esset sæcularis potestas, et per *missos dominicos* legati regii, rediret sub objectione præcedenti allata responsio ; nimirum tunc temporis eam extitisse Ecclesiam inter et imperium concordiam, ut ex tacita et usu inducta Sedis Apostolicæ delegatione, nonnulla de facto competeret sæcularibus principibus jurisdictio ecclesiastica ; atvero nequaquam proprii et ordinarii ipsorum juris id fuisse, sed concessi et delegati.

Item objici solet quædam lex Justiniani ; sed Justinianus in hac re nullam auctoritatem habet ; eumque sibi indebita quandoque tribuisse satis notum est.

Item objicitur praxis Galliæ, Hispaniæ, etc., vi cujus reges de causis ecclesiasticis cognoscunt : sed hæc praxis, vel privilegio Sedis Apostolicæ nititur, vel injusta et abusiva dicenda est.

## CAPUT VI.

AN ET QUATENUS CAUSÆ DE PUBLICA JUVENTUTIS EDUCATIONE, NECNON DE EJUSDEM INSTRUCTIONE, TUM RELIGIOSA, TUM ETIAM LITTERARIA ET SCIENTIFICA, AD FORUM ECCLESIASTICUM PERTINEANT.

PROPOSITIO Iª. — *Per plura sæcula generalis fuit persuasio publicam juventutis educationem, ejusdemque instructionem, tum religiosam, tum etiam litterariam et scientificam, Ecclesiæ auctoritati subjacere.* — Factum istud probant documenta innumera, e quibus sequentia transcribimus :

« Les universités sont des compagnies de maîtres et d'éco-
« liers, établies depuis environ l'an 1200, pour la commodité
« des études... Le pape Innocent III fut le premier qui,
« dans des bulles qu'il donna pour établir une police entre les
« maîtres de ces écoles, les qualifia d'*universités;* en quoi il
« fut suivi par Honorius III, Innocent IV... En 1244, on per-
« mit aux maîtres ou docteurs ès-arts d'enseigner partout où
« ils voudraient, et dans les maisons qu'ils trouveraient plus
« commodes, ce qui formait autant de pédagogies ou pen-
« sions. Ces pédagogues ou maîtres étaient la plupart ecclé-
« siastiques. Ils enseignaient la grammaire et les humanités.
« A l'égard de la rhétorique, il y avait des maîtres qui fai-
« saient particulièrement profession de l'enseigner. Les écoles
« de philosophie à Paris étaient à la rue du Fouarre. Chaque
« nation avait les siennes. On ne commença à enseigner la
« philosophie dans les colléges que vers le milieu du quin-
« zième siècle, lorsqu'on y admit des pensionnaires autres que
« des boursiers et qu'on y ouvrit des classes publiques pour
« la grammaire, les humanités et la rhétorique.

« Le chancelier de Notre-Dame avait seul, au commence-
« ment, l'inspection sur toutes les écoles... Ce qui confirme

« bien que l'université tire son origine de l'école de l'église « cathédrale de Paris. Les écoles publiques s'étant étendues « sur la montagne de Sainte-Geneviève, l'abbé prétendit que « celles-ci dépendaient de lui; et de là vient l'usage que le « chancelier de Sainte-Geneviève donne la bénédiction de « licence (ou partage l'inspection et la présidence des exa- « mens) dans la faculté des arts, concurremment avec le « chancelier de l'église de Paris, chacun pour les colléges de « leur lot, et ils changent de lot alternativement... Les pre- « miers statuts de l'université furent dressés en 1215, par « Robert de Courçon, légat du Saint-Siége. » (Fleury, *Institution au droit ecclésiastique*, tom. 1, chap. 20.) Ergo ante Parisiensis universitatis institutionem, scholas ibi regebat ecclesiastica auctoritas, cancellarius nempe Ecclesiæ cathedralis sub Episcopo. Eadem postea auctoritate, nempe Apostolica, instituitur universitas, et ejus conduntur statuta; penesque eamdem auctoritatem permanet scholarum, magistrorumque inspectio, et tota denique juventutis educandæ et litteris scientiisque imbuendæ ratio. Nullas vero sibi partes in hac re vindicat sæcularis potestas.

Quod expressius narratum reperitur apud dictæ universitatis historicum Crevier :

« Les Papes, inquit ille, étaient ses *souverains législateurs* « (nempe universitatis); et, *sous leur autorité*, elle faisait elle- « même les règlements qui lui paraissaient nécessaires.... « L'université, à la fin du quinzième siècle, n'avait reçu que « des Souverains Pontifes soit réforme, soit règlement de dis- « cipline. » (*Histoire de l'université*, tom. 1, pag. 294, et tom. 4, pag. 171.)

« Le cardinal d'Estouville était légat en France, *avec pou-* « *voir de visiter et réformer les colléges, chapitres et universités.* « Les affaiblissements qu'avait soufferts l'ancienne discipline « dans l'université de Paris par les malheurs des temps, frap- « pèrent son attention... Le roi joignit son autorité à *l'auto-* « *rité apostolique*. Il associa au Cardinal-Légat des commis-

« saires royaux, encore étaient-ils presque tous ecclésiastiques: « Guillaume Chartier, évêque de Paris; Jean, évêque de « Meaux; Robert Cibolle, chancelier de l'église de Paris, etc. « Le pouvoir même de ces commissaires ne s'étendait *qu'à la « réforme des priviléges royaux :* c'est l'expression originale. Le « Cardinal prit leur conseil; mais c'est *lui seul* qui parle dans « toute la pièce ou statut... Le zèle pour le maintien de la dis- « cipline inspira au cardinal d'Estouville l'établissement d'une « nouvelle magistrature dans les facultés des arts, dont la charge « propre et spéciale fut de veiller à l'observation des lois et des « statuts. Il ordonna que tous les ans, dans le mois d'octobre, « on créât quatre censeurs, un pour chaque nation, gens de « bonne réputation, craignant Dieu et intelligents en affaires. « Leur commission est de visiter les colléges et pédagogies où « sont rassemblés des suppôts dépendant de la faculté des « arts, et d'y examiner soigneusement quelle est la vie que « l'on y mène, et si elle est conforme à l'honnêteté des « mœurs; si tous y vivent en commun, si les maîtres ensei- « gnent habilement la jeunesse, et la tiennent dans le bon « ordre; en un mot, quelle discipline on y observe en tout ce « qui concerne l'éducation : et les censeurs sont autorisés à « réformer et améliorer selon Dieu et justice tout ce qu'ils « trouveront avoir besoin de réformation. Le Cardinal avait « tellement à cœur cet établissement, qu'il ordonne que si « les censeurs nommés par les nations font négligemment leur « emploi, l'Évêque de Paris puisse leur en substituer d'autres « qui aient les qualités requises, et sur le rapport desquels il « statuera, *en vertu de l'autorité apostolique,* ce qu'il jugera de « plus expédient. » (Crevier, opere citato, tom. 4, pag. 176, 187.) Ergo iterum, teste celeberrimæ Universitatis Parisiensis historico Crevier, juventutis æducationem et instructionem religiosam, litterariam et scientificam regendi et gubernandi, plenum sibi jus vindicabat et exercebat Ecclesia. Porro quod de universitate et scholis parisiensibus testantur documenta, idem in toto orbe catholico obtinuisse constat :

« Vers le même temps (ait P. Deschamps, *du Paganisme dans « l'éducation,* pag. 63), et avec des statuts semblables, étaient « fondées ou instituées, l'université de Caen par le Pape Eu- « gène IV, à la prière des états de Normandie (1437); celle de « Bordeaux, par le même Pontife (1441); celle de Valence, par « Nicolas V (1452); celle de Nantes, par le Pape Pie II, à la prière « de François II, dernier duc de Bretagne ; celle de Bourges, « par le même Pontife (1469); et, plus tard, celle de Reims, « par Paul III (1547): et un grand nombre d'autres aux mêmes « époques en Italie, en Allemagne, en Espagne ; comme celle « de Rome fondée par Eugène IV, au commencement du quin- « zième siècle...; celle de Bâle par Pie II (1459); celle d'In- « golstad, par Pie II et Paul II ; celle de Huesca, par le Pape « Paul II (1464), sur les instances du roi Jean II ; de Valence, « par Alexandre VI (1499); de Tolède, par Léon X (1520); de « Grenade, par Clément VII (1531). Au milieu du seizième « siècle, c'est encore par l'ordre du Cardinal Duprat, légat du « Pape Clément VII, que fut faite une nouvelle réforme de « l'université de Paris (*Histoire de l'université*, tom. 5, pag. 263); « et le président et conseiller d'état Ribier rapporte qu'en 1557 « le roi Henri II demanda encore au Pape Paul IV des commis- « saires apostoliques pour réformer la même université, et que « le Cardinal de Lorraine fut nommé chef et arbitre de ce tri- « bunal, avec pouvoir de subdéléguer et de substituer (*Mém.*, « tom. 11, pag. 684)... L'on trouve cité dans les *Mémoires du « Clergé de France* (tom. 2, p. 1042), un édit de 1595, qui re- « connaît encore, *d'après toutes les lois civiles et canoniques, les « droits qu'ont toujours eus les Évêques de diriger l'enseignement ; « en sorte qu'il n'est permis à personne*, ce sont les termes du dé- « cret, *de s'y ingérer, ni de tenir les colléges et écoles, qu'ils n'aient « obtenu l'approbation et la permission de l'Évêque diocésain.*»

Universale scholarum gubernium, et plenum jus educandæ bonisque artibus informandæ juventutis Ecclesiam exercuisse, et suæ potestati proprium existimasse, testantur pariter hæc concilii Turonensis anni 1583 præclara verba : « Nulli omnino,

« *quocumque honoris aut dignitatis titulo fulgeat*, regendis scholis « aliquem præficere, absque approbatione Episcopi licere vo- « lumus : cui hoc negotium ita provide curam mandat hæc sy- « nodus, ut juvenes a vera religione non deflectant, sed bonis « moribus honestisque disciplinis et litteris instituantur. Ne vero « hæc nostra constitutio alicujus municipalis legis vel juris præ- « texta impediatur, volumus eos, cujuscumque sint status vel « conditionis, qui scholis magistrum præficiendi jus se habere « prætendunt, eos quos præponendos existimaverint, Episcopo « nominare et præsentare ; ut diligenti super eorum fide, reli- « gione, litteratura et moribus inquisitione facta, capaces et « idonei reperti erudiendæ juventuti, *per ipsum Episcopum* præ- « ficiantur, atque ita de eorum sufficientia a nemine dubitari « possit. » (Conciliorum Labbe, tom. 15, p. 1051.) Cujus sy- nodi decreta, a Gregorio XIII recognita et approbata fuerunt.

Item concilium Tolosanum anni 1590 : « Academiarum « professores statodie quotannis, ex Pii IV bulla, publicam fidei « professionem facient... Scholas veteres Episcopi instaurare « curent, atque in eos qui earum bona injuste possident, cen- « suris ecclesiasticis agant... Nullæ, ne ministrandi quidem « inserviandique gratia, fœminæ in collegiis habitent ; sed nec « puellarum scholis viri, at solæ tantum *ab Episcopo approbatæ* « fœminæ præsint. Nullos aut hæreticæ pravitatis reos aut fa- « cinorosos, aut demum a seipsis præmisso diligenti examine « non approbatos homines, scholis Episcopi præesse patiantur. « Quibus vero magistri præficiendi jus est, hunc illi Episcopo, « accurata vitæ morumque inquisitione cognoscendum *admit-* « *tendumque* offerant. Qui libri in *Indice* Sedis Apostolicæ auc- « toritate, ex Tridentino concilio, decreto confectoque prohi- « bentur, ii nec legantur, nec teneri possint. Id vero imprimis « diligenter curabunt, ut Christianæ doctrinæ rudimentis « juventus sibi credita informetur. » (Labbe, tom. 15, pag. 1405.)

Item concilium Rhemense anni 1585 : « In scholis nulli « libri prælegantur qui in *Indice* librorum prohibitorum conti-

« nentur ; sed nec ii, qui aliquod turpe aut obcœnum conti-
« nent. Dictæ scholæ sæpe *visitentur* a scholasticis cathedra-
« lium et collegiatarum ecclesiarum ; et iis deficientibus, a
« decanis ruralibus, qui ordinariis fideliter et diligenter refe-
« rant quæ *eorumdem auctoritatem* desiderare intellexerint. »
(Concilia Harduini, tom. 10, pag. 1474.)

Certe legislatores qui ita decernunt, non a regibus concessam, sed ad se jure proprio pertinentem existimarunt universalem illam in scholas regiminis auctoritatem.

Adde quod in Basilcensi concilio asserebat Joannes a Ragusio : « Auctoritate Ecclesiæ universitates et studia fundata
« sunt, gradus magistrales et doctorales in omni facultate or-
« dinati et concessi sunt in iisdem. » (Labbe, tom. 12, pag. 1148.)

Hinc anno 1562 Parisiensis curia (le parlement) decreto suo prohibet civilibus magistratibus, ne ad litigandum coram se admittant collegiorum rectores, capellanos magistrosve, de rebus collegia respicientibus, *pour raison des principalités, chapelles, bourses et régences de colléges, mœurs et discipline scolastique, et de tout ce qui en dépend ;* sed vult eos remitti ad audientiam cancellarii Ecclesiæ et universitatis Parisiensis, *mais de les renvoyer devant le chancelier de l'Église et Université de Paris.* (*Mémoires du Clergé de France,* tom. 1, pag. 929.)

Hinc anno 1606 simile decretum Henrici IV : « Les régents
« précepteurs ou maîtres d'écoles des petites villes ou vil-
« lages (alii nempe ab universitatibus, et universitates ab
« Episcopis et Sede Apostolica pendebant), seront approuvés
« par les curés des paroisses, ou personnes ecclésiastiques
« qui on droit d'y nommer. Et où il y aurait plainte desdits
« maîtres régents ou précepteurs, y sera pourvu par les Ar-
« chevêques et Evêques, chacun en leur diocèse. » (Loco citato, pag. 976.)

Hinc anno 1680 celebre curiæ Parisiensis arrestum contra magistratus Ambianenses, et in favorem scholastri episcopalis. In qua causa demonstratum fuit, *par les saints décrets*

*et constitutions canoniques, par les sentences et les arrêts, qu'il appartient à l'Évêque et à son écolâtre de commettre aux écoles et d'y proposer les maîtres, de les régenter, régir et gouverner, de les visiter comme chef, comme supérieur, comme surintendant et comme maître des écoles ; que telle était la police des écoles de la ville de Paris et de l'Église gallicane ; que comme on ne peut concevoir un curé qui n'aurait pas l'institution et les lettres de son Évêque, aussi ne peut-on concevoir un maître d'école qui n'aurait pas celles de son écolâtre, qui a l'honneur de représenter son Évêque pour le fait des écoles.* (Loco citato, tom. 1, pag. 999, 1013 et suiv.)

Hinc tandem die 8 martii anni 1695 consilii regis Galliæ decretum, quo expresse declaratur : *De tout temps les lois canoniques et civiles ont particulièrement commis au soin des Évêques l'instruction de la jeunesse ; en sorte qu'il n'est permis à personne de s'y ingérer, ni de tenir les colléges et écoles, qu'ils n'aient obtenu l'approbation et permission de l'Évêque diocésain.* (Loco citato, pag. 1642.)

Allata porro documenta, aliaque quamplurima, quæ subnecti possent, abunde palam faciunt, quam alte omnium mentibus in toto orbe catholico insita fuerit persuasio hæc, de jure Ecclesiæ in regenda publica juventutis institutione, non tantum religiosa, sed litteraria etiam atque scientifica.

Propositio IIa. — *Tradendæ doctrinæ sacræ ratio omnino et exclusive ecclesiasticæ potestati subjacet.* — Nam illi exclusive tribuendum est tradendæ sacræ doctrinæ regimen, ad quem solum pertinet de recta fide decernere, et cæteros homines, atque ipsos etiam sæculares principes, docere, quænam sit vera religio, quidve credendum et agendum sit ad æternam consequendam salutem. Tradere enim seu docere doctrinam sacram, id est, theologiam, jus canonicum, divinæ scripturæ sensum, aliasque ejusmodi sacras disciplinas, nihil aliud est quam de fidei dogmatibus et morum regula disserere, et quid probandum quidve rejiciendum sit edocere. Jam vero ecclesiasticæ potestati, non vero sæculari, dictum est *euntes docete.*

Ecclesiæ nempe fuit a Christo commissa cura omnes homines erudiendi de recta tenenda fide et sequenda morum regula.

Hinc in tradenda doctrina sacra, penes ecclesiasticam potestatem omnino et exclusive censenda est magistrorum deputatio, librorum adhibendorum electio, et tota denique disciplinarum ejusmodi ordinatio atque gubernatio.

Confirmatur conclusio, ex eo quod jus illud tanquam proprium sibi Ecclesia perpetuo vindicaverit, prout testantur quamplurima Sedis Apostolicæ acta, e quibus in medium duntaxat afferemus breve *gratum nobis* a Clemente XIV ad Stanislaum Poloniæ regem directum, 18 decembris anni 1773. Ibi nempe dictus Pontifex præfatum Ecclesiæ jus sic declarabat et defendebat : *Illud tibi potissimum prospiciendum, ut quæ facultates ad religionis dogmata ac disciplinam referantur, sacra nimirum theologia et canonicum jus, Ecclesiæ auctoritati subsint... Præter facultates has duas, cæteras etiam, seu privatis seu publicis in scholis, studia subjecta esse Episcoporum curæ debent, iis omnibus in rebus, quæ ad religionem morcsque pertinent ; neque magistro cuiquam docendi potestas fieri, quin prius fidei professionem in manus Ordinarii sui emiserit, quæ quotannis erit renovanda, ut sacri canones, ac ipsa etiam generatim recepta inter catholicos consuetudo præscribunt.* (*Epistolæ et breva Clementis XIV*, ab Augustino Theiner edita, pag. 275, edit. Parisiis 1852.)

Propositio IIIª. — *Ergo nequit sæcularis potestas independenter ab Ecclesia, facultates sacras, aut universitates in quibus facultates sacræ comprehendantur, instituere aut regere.* — Sequitur ex præcedenti propositione : si enim tradendæ doctrinæ sacræ ratio tota exclusive ab ecclesiastica pendeat potestate, nequibit sæcularis princeps scholas instituere et regere, in quibus sacra doctrina tradatur : porro facultates sacræ, necnon universitates (posito quod veræ universitates sint, ac proin facultates etiam sacras complectantur), sunt scholæ in quibus doctrina sacra traditur.

Propositio IVª. — *Clericorum in magnis et parvis seminariis institutionem ecclesiasticæ potestatis regimini subjacere certum est,*

*atque omnino tenendum.* — Constat 1° ex capite 18 sessionis 23 Tridentini concilii : illius enim synodi patres adeo tanquam certum et inconcussum supponunt Ecclesiæ jus clericorum seminaria habendi atque regendi, ut jubeant in singulis diœcesibus *certum puerorum numerum religiose educari et ecclesiasticis disciplinis institui, ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit.* Nec minus aperte totum ejusmodi collegiorum regimen Episcopis tribuit : postquam enim ordinandorum seminariorum normam præscripserunt, ita subjungunt : *quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria, Episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus Sanctus suggesserit, constituent; eaque ut semper observentur, sæpius visitando operam dabunt.*

Constat 2° ex brevi Clementis XIV *Magnopere*, 18 decembris 1773, ad Ignatium, Vilnæ in Polonia Episcopum, in quo sic legere est : *Magnopere gavisi sumus, venerabilis frater, cum te in eorum esse numero intelleximus, quibus ordinandorum studiorum ratio atque statuenda, qua in Poloniæ regno institui juventutem oporteat, gravissimum nuper est munus demandatum... A te itaque petimus, venerabilis frater, teque quam maxime in Domino possumus adhortamur, ut omnem industriam tuam in eo colloces, ut ne quidpiam vestris decretis ac legibus de Episcoporum debita vigilantia detrahatur, quibus rerum ad religionem spectantium omnino omnis attributa esse opera debet. Propterea tibi vehementer est sategendum, ut qui juventutem instituunt, Episcoporum curæ atque auctoritati subjaceant; præsertim in iis rebus ac disciplinis, quæ cum religionis ac fidei institutis magis nexæ et colligatæ sint. Proinde, ut sui erga religionem officii identidem commonentur, illud etiam curandum, ut omnes disciplinarum magistri, in inchoanda institutione, et singulis deinde annis, prout in aliis etiam lyceis fit, coram Episcopis fidem catholicam profiteri debeant. Cum vero scholæ, pro Episcoporum seminariis, ex Tridentini concilii legibus institutæ, in Episcoporum item potestate sint positæ, hoc etiam diligentiæ tuæ erit, ne quid huic constanti in Ecclesia legi dero-*

*getur.* (*Epistolæ et brevia Clementis XIV,* ab Augustino Theiner edita, pag. 216, edit. Parisiis 1852.)

*Constantem* revera fuisse *in Ecclesia legem* (prout asserit laudatus Pontifex) ut *scholæ pro Episcoporum seminariis in Episcoporum potestate sint positæ,* adeo notum est, ut prætermittenda existimemus alia quamplurima, quæ ad id firmandum adduci possent, documenta. Memorabimus dumtaxat breve Leonis XII ad reverendissimum de Pins, Archiepiscopatus Lugdunensis Administratorem Apostolicum, in quo laudatus Pontifex potestati regiæ *jus inspectionis* in seminaria (le droit de surveillance) aperte denegat, et nequaquam ab Episcopis Galliæ agnosci seu concedi posse decernit. Nonnulli nempe Galliarum Præsules, ut ex decretis gubernii diei 16 junii 1828, circa parva seminaria, subortam gravissimam litem componerent, putarunt quædam ex iis quæ sibi gubernium vindicabat, posse, salvis ecclesiasticæ potestatis juribus, concedi; unde et collegis suis suadebant, ut negotiorum ecclesiasticorum regio ministro scriberetur in hunc modum : « Monseigneur, je per-« siste à professer, sur la jurisdiction et l'autorité spirituelle, « les principes consignés dans le mémoire du 1^er^ août, qui a « été présenté au roi, au sujet des ordonnances du 16 juin, « relatives aux écoles secondaires ecclésiastiques... Je suis « cependant loin de méconnaître *les droits de surveillance* et « de protection qui appartiennent au roi sur les établisse-« ments de son royaume, quels que soient leur *nature* et leur « *objet*.....

« P. S. On joindrait à cette lettre un exposé libre de la « situation des petits séminaires, qui contiendrait : 1° le nom-« bre actif des élèves, le nombre présumé nécessaire; 2° le « nom des supérieurs ou directeurs, qui seraient qualifiés de « prêtres séculiers; 3° enfin, un mot général sur les ressources « pécuniaires des séminaires... » (*Notice historique sur les ordonnances du* 16 *juin* 1828, Lyon 1846, page 136.)

Cui dictorum præsulum suasioni, antequam assensum præberet reverendissimus de Pins, consultam voluit Sedem Apos-

tolicam. Ex responsione autem ad ipsum directa, hæc, quæ ad rem nostram faciunt, excerpimus :

« Leo P. P. XII. — Venerabilis frater, salutem et aposto-
« licam benedictionem. Accepimus litteras fraternitatis tuæ...
« Nunc ad rem ipsam quod attinet, sic habeto : probe Nos in-
« tellexisse *notarum* vim, scripto typis impresso, quod nobis
« misisti, tua manu appositarum ; verum animadvertendum
« tibi esse, aliquid etiam in eo fuisse adnotandum, quod tuam
« effugit diligentiam. Quid illud sit, ex *nota* tuis simili agnos-
« ces, quam nostra manu scripto eidem adjecimus. Cadit illa
« in vocabulum, quod sane *adeo lato sensu, quo ibi accipi potest,*
« *ferendum non est in Ecclesia Christi,* quodque *non uno in con-*
« *cilio una voce rejectum est.* Idem vocabulum nunc a corpore
« adeo insigni Episcoporum admitti et usurpari, id quidem
« fieri *sine gravi scandalo et Ecclesiæ detrimento* non potest.

« Gubernium docere quod pertinet ad seminaria de alum-
« norum numero, qui in illis sit, quique eo major numerus
« putetur necessarius, nomina illi patefacere superiorum et
« moderatorum, eos designando *presbyteros sæculares ;* subsidia
« pecuniaria, cæteraque temporalia adjumenta, quibus opus
« sit, aperire ; hoc profecto præstare (præter quam quod ratio-
« nem Episcopis, quæ omni licita industria quærenda ipsis est,
« suppeditat ad seminaria ipsa conservanda), res est per se
« innocua, eaque (ut nunc sunt tempora) inevitabilis, si ali-
« qua saltem pars juventutis servari, et a teneris (ut aiunt)
« unguiculis educari sanctuario velis. De his igitur, quæ quo-
« dammodo temporalia sunt, gubernium doceas licet, nihil du-
« bitans : sed ne cures his ea adjicere, quæ fratres Episcopi
« suaserunt ; quippe quæ nec necessitas postulat, nec senten-
« tiæ ad rectum exactæ judicium commendant... Datum Romæ
« apud S. Petrum, die decima quinta novembris anni 1828,
« Pontificatus nostri anno sexto. » Integrum illud breve habes in citato scripto (*Notice historique sur les ordonnances du* 16 *juin* 1828, pag. 220), cujus opusculi jam notum est auctorem extitisse reverendum Cattet, Archiepiscopi

Lugdunensis Vicarium generalem. Authentica autem esse documenta ibi inserta, testatur (*ibidem,* pag. 224) reverendissimus de Pins, hac formula : *Je déclare que toutes les pièces officielles contenues dans cet écrit sont authentiques. Lyon, le 2 novembre* 1845. — † *J.-P. Gaston de Pins, archevêque d'Amasie.*

Jam vero vocabulum a Leone XII sublineatum, et ipsius judicio rejiciendum, esse vocabulum *surveillance* (hujus nempe phraseos, *je suis cependant bien loin de méconnaître les droits de surveillance et de protection qui appartiennent au roi sur les établissemcnts de son royaume, quels que soient leur nature et leur objet*), nos tanquam ocularis testis edocet laudatus Vicarius generalis hoc modo : « Quel est ce mot si grave, qui a offusqué « les regards de Sa Sainteté, et qui, aux termes du bref, ne « peut être reçu dans l'Église de Dieu : *mot,* dit-il, *condamné « tout d'une seule voix par plus d'un concile, et qu'un corps épis- « copal aussi illustre que celui de France ne peut admettre ou « employer sans scandale, et sans une atteinte profonde aux droits « de l'Église ?* Ce mot, marqué et deux fois souligné par la « main de Léon XII, est celui de *surveillance,* admis comme « base des ordonnances, et qui figure dans cette phrase : Je « suis cependant bien loin, etc. Les gouvernements civils « n'ont donc pas le droit de *surveillance*, sur tous les établis- « sements, quels que soient leur *nature* et leur *objet ;* par con- « séquent sur les séminaires en particulier, et sur l'enseigne- « ment de la religion catholique en général. Reconnaître un « tel droit.., en acceptant pour examinateurs, pour inspec- « teurs, pour réviseurs, et par suite pour juges de l'ensei- « gnement religieux, les recteurs ou les doyens dans les « facultés universitaires de théologie, tous agents du gou- « vernement, quels qu'ils soient, c'est, aux termes du bref, « faire une chose condamnée tout d'une voix par plus d'un « concile, donner au monde un grave scandale ; c'est recon- « naître le principe par lequel Henri VIII a fait le schisme « d'Angleterre, et d'où procède aujourd'hui l'Empereur

« Nicolas pour forcer la Pologne à l'apostasie. » (Ibidem, page 169.)

Constat 3°. Ex ipsa Ecclesiæ constitutione atque ipsius fine. Cum enim Christus sacerdotium in sua Ecclesia instituerit, cujus actione, et supernaturali conficiendorum sacramentorum potestate, homines ad rectam fidem, morumque sanctitatem et æternam salutem informarentur et dirigerentur, voluit hoc ipso posse Ecclesiam ejusmodi sacerdotium in seipsa perpetuum et idoneum servare, ac perenniter renovare. Id autem apte exequi Ecclesia non valeret, nisi in ipsius simul potestate positum fuisset, juvenes ad sacerdotalem Ordinem promovendos instituere, ac disponere; cum de idoneitate et opportunis ad sacerdotium præparationibus, non ad sæcularem, sed ad ecclesiasticam potestatem judicium pertineat.

Propositio V^a^. — *Sæcularium juvenum scholæ, quoad religiosam institutionem, Ecclesiæ regimini subjacere debent.* — Nam religiose juvenes instituere, est rectam fidem genuinamque morum regulam eosdem edocere, necnon aptis religionis exercitiis illos ad recipiendam Dei gratiam supernaturalemque charitatis vitam disponere et informare. Porro nedum ad potestatem sæcularem pertineat de fide et morum regula, aptisve ad sanctitatem mediis pronuntiare, debet ipsa hæc ab Ecclesia edoceri.

Confirmatur conclusio ex supra citatis Clementis XIV verbis. Cum nempe ageretur de *statuenda ratione qua in Poloniæ regno institui juventutem oporteret,* sic admonet laudatus Pontifex : *Ne quidpiam vestris decretis ac legibus de Episcoporum debita vigilantia detrahatur, quibus rerum ad religionem spectantium omnino omnis attributa esse opera debet. Propterea... satagendum, ut qui juventutem instituunt, Episcoporum curæ atque auctoritati subjiciantur, præsertim in iis rebus ac disciplinis, quæ cum religionis ac fidei institutis magis nexæ et colligatæ sunt.* Ibi profecto, non de clericorum dumtaxat, sed de totius juventutis institutione agitur; et nihilominus eam Episcoporum auctoritati subjacere declarat præfatus Pontifex, *præsertim* in iis rebus ac

disciplinis quæ cum religionis ac fidei institutis magis nexæ sunt.

Propositio VI[a]. — *Litteraria etiam ac scientifica juventutis institutio aliquatenus Ecclesiæ auctoritati subesse debet; quantum nempe satis est, ut in tuto sit religiosa ejusdem juventutis informatio.* — Et 1° quidem res facile evincitur quoad litterariam juvenum institutionem : Nam licet litteraria disciplina, a religiosa vere diversa sit, prioris tamen traditio a tradenda posteriore abstrahere et abstinere nequit; sed qui juventuti litteras tradit, hoc ipso in ipsius religionem et mores necessario influit : quod facile patebit si perpendatur tum objectum ipsum dictæ litterariæ disciplinæ, tum ejusdem a magistris tractandæ methodus. Ad tradendas scilicet juvenibus litteras ponendi sunt præ eorum manibus libri : oratores nempe, historici, poetæ et hujusmodi. Tradenda exempla et sententiæ; cumque latinæ præsertim et græcæ linguæ peritia ad id prærequiratur, inducendi juvenes sunt in litterarium utriusque idiomatis promptuarium, paganorum scriptis præcipue refertum. Porro ejusmodi quotidiani per multos annos studii objectum, religionem et morum sanctitatem vehementer attingit : historia, verbi gratia, sive ab ipso professore tradatur, sive e libris desumatur, necessario erit, vel cum dogmate catholico concordans, vel idem dogma subvertens; idque occurret quotidie, non tantum quoad factorum historicorum veritatem, sed quoad modum etiam de gestis et personis variorum temporum sentiendi et dijudicandi. Item poetici libri juvenibus traditi, sententiis doctrinam aliquam recondunt; poeticis vero ornamentis et artibus, mores attingunt, sive honesta sive prava imaginationi et passionibus alimenta præbeant : atque ipsa de poesi præcepta, alia religioni ancillantia, alia eidem adversa esse possunt. Idem dicatur de oratoribus et arte rhetorica; imo et de præeunte grammatices et linguarum studio. Unde tale est ex natura sua disciplinæ litterariæ *objectum,* ut necessario in religionem morumque sanctimoniam influat; nec possit ulla, quoad religionem, et finem Ecclesiæ proprium indifferenti, litteratura juventus

imbui. Quod magis adhuc patefit, si consideretur ipse actus seu methodus tradendæ rei litterariæ christianis juvenibus : quando enim ocurret aliqua in poetis, historicis, cæterisve auctoribus sententia, rectæ fidei et bonis moribus concordans, vel opposita, vel dubia, quid aget magister? Tacebit-ne? Ergo juvenes perpetuo urgebuntur periculo subversionis morum et fidei. An doctorem aget, et quid catholice sentiendum sit discipulis edicet? Ergo ipsi quotidie de orthodoxa fide et morum sanctitate disserendum et pronuntiandum erit. Quod quidem si faciat ex accepta ab Ecclesia missione, postquam nempe ecclesiastica potestas de ipsius fide, et aptis ad docendum dotibus, judicaverit, et ita ut invigilans eadem ecclesiastica potestas eum, si quando in transversum deflectat, possit a munere amovere, optime res procedet : si vero a sæculari potestate deputetur et pendeat, perpetuum instabit pervertendæ juventutis periculum; cum præsertim quotidie accidere possit, ut sæcularis potestas a recte æstimanda orthodoxa fide et morum sanctitate ipsa deficiat; et in hoc non debeat judicare, sed ab Ecclesia, sicut cæteri fideles, judicari, edoceri et corrigi. Ergo, nisi erudiendæ in litteris juventutis ratio, et scholarum magistrorumque in hunc scopum statuendorum ordinatio et gubernatio penes Ecclesiam resideat, non poterit Ecclesia juvenes ad finem sibi proprium promovere et perducere.

2° Idem a fortiori dicatur de scientiarum disciplina. Et de philosophia quidem, satis per se patet. Licet enim exstet aliqua naturalis scientia, seu complexio conclusionum e principiis, naturali mentis lumine notis deductarum, quæ a notionibus revelatis et theologia differat, et proprio philosophiæ nomine merito donetur, ea tamen, prout vera vel falsa est, religionem catholicam juvat vel subvertit. Utrum autem vera et innocua, vel falsa et pestilens sit aliqua doctrina philosophica decidere, est de ipsa recta fide simul et inseparabiliter pronuntiare; quæ certe pronuntiatio et definitio, ad ecclesiasticam, non sæcularem potestatem pertinet. Ast et aliæ scientiæ, quæ ex objecto sibi proprio, ut physica, mathesis et aliæ,

magis a religione abstrahere videntur, eam tamen multipliciter attingunt. De quo testes abunde sunt tot libri, de hisce disciplinis ex professo tractantes, qui putidissima impietate fætent, et fidei catholicæ negationem frequenti audacia obtrudunt. Ecquis non videat posse magistrum acatholicum, ejusmodi scientias tradendo, incredulitatis venenum discipulis suis quotidie propinare? Quem certe in tradendis juventuti scientiis abusum, præterito præsertim sæculo, in factum transiisse, et late obtinuisse, notorium est: ut proinde possibilem eum demonstrare pene sit ridiculum.

Confirmatur autem conclusio ex citato brevi Clementis XIV. Cum enim dicat Episcoporum auctoritati subjici debere magistros, *præsertim* in iis rebus et disciplinis quæ cum religione et fide nexæ sunt, utique implicite declarat subjici etiam in cæteris eos debere, aliquatenus saltem, id est, quantum satis est ut in tuto sit fides et religio.

Propositio VII^a^. — *Ergo in scholis etiam sæcularium juvenum, non debent magistri, libri, et tradendarum disciplinarum ratio, independenter a potestate ecclesiastica, eligi, constitui et ordinari.* — Aperte sequitur ex præcedentibus conclusionibus. Nam magistri, libri, et docendi ratio, religionem intime et vehementer attingunt: atqui, ex dictis, ecclesiastico regimini subesse debet juventutis institutio, in iis omnibus quæ interesse religionis tangunt; ergo ad ecclesiasticam auctoritatem pertinet curare et exigere, ut idonei et vere catholici eligantur et deputentur magistri; invigilare ut catholice munere suo fungantur; ponendos præ manibus juvenum libros approbare vel rejicere; præscriptam juvenibus vivendi normam inspicere, et, si quid religioni contrarium inductum sit, corrigere.

Hinc in ordinandis publicis scholis, tenetur sæcularis potestas quoad hæc omnia assentientem ecclesiasticam potestatem habere, atque eidem in his omnibus, inspiciendi, decernendi et regendi, liberam facultatem relinquere.

Et de facto, ut supra ostendimus, Ecclesia jus illud perpetua sua praxi et disciplina sibi vindicavit; neque ad decimum

septimum usque sæculum, catholici, etiam in Gallia, quidquam usurpatæ sæcularis potestatis, aut factæ principibus liberæ concessionis, in hac Ecclesiæ agendi ratione somniarunt.

Gubernia vero, quæ ex tunc eo regimine Ecclesiam violenter spoliarunt, jura ecclesiastica usurpasse dicenda sunt. Quod patet quotidie ex permanenti et inextricabili, in quam sese projecerunt, contradictione : dum enim ex una parte fatentur ad se non pertinere de dogmatibus et vera religionis et morum notione judicium, aliunde tamen modo magistrum expellere coguntur eo quod catholici clamitent heterodoxa et inhonesta ab ipso discipulis infundi, modo certos libros admitti posse, alios vero ut pravos rejici decernunt. In quo certe ista gubernia de fide et dogmatibus et morum sanctitate pronuntiant, quantumvis id negent; ac proinde Ecclesiæ se substituunt, et in supremam sese spiritualem potestatem erigunt.

Ex præmissis autem propositionibus soluta remanet quæstio initio præsentis capitis posita, *an et quatenus causæ de juventutis educatione, necnon de ejusdem tum religiosa, tum litteraria et scientifica instructione ad forum ecclesiasticum pertineant*. Tunc nempe causa fori ecclesiastici censenda erit, quando de iis rebus agetur, quas Ecclesiæ regimini subjacere ostendimus.

## CAPUT VII.

### DE CAUSIS JURIS PATRONATUS.

Pertinent ejusmodi causæ directe et per se ad judicem ecclesiasticum, ut expresse constat ex decretali *Quando* (cap. 3, *de Judiciis* 1, libri 2 decretalium) Alexandri III, quæ sic habet : *Causa vero juris patronatus ita conjuncta est et connexa spiritualibus causis, quod nonnisi ecclesiastico judicio valeat definiri*. Estque de hoc communis doctorum catholicorum sententia. « Ratio est, ait Schmalzgrueber, quia jus hoc, vel secundum « se et ex objecto suo est spirituale, ut plures doctores putant,

« vel saltem est aliquid antecedenter annexum spirituali, cum « ordinetur ad spiritualem beneficii collationem vel institutio- « nem præsentati...; atqui de connexis et accessoriis idem debet « esse judicium ac dispositio (capite *Translato* 3, *de Constit.*)...; « ergo cum de beneficiis laici non possint esse judices, neque « in causis jurispatronatus, quod beneficiis annexum est, esse « poterunt. » (In titulum *de Judiciis,* n. 51.)

Dictum est *directe* et *per se :* « Nam, ait ibidem Schmalzgrue- « ber, accessorie et secundario laicus judex de jure patrona- « tus cognoscere et judicare potest; ut fieret, si judex sæcu- « laris per sententiam condemnet possessorem castri alicujus, « ut illud domino suo reddat una cum omnibus juribus ei « annexis; nam si ei etiam annexum sit jus patronatus ad cer- « tum vel certa beneficia, etiam hoc cum cæteris vi talis sen- « tentiæ tradere possessor debet. »

## CAPUT VIII.

### DE CAUSIS FORO SÆCULARI PROPRIIS.

Omnes generaliter causæ mere temporales, præter illas quas modo excepimus et jurisdictioni eccclesiasticæ vindicavimus, ad forum sæculare pertinere certum est, tum ex jure divino, tum ex multis etiam juris ecclesiastici declarationibus, tum ex communi de hac re doctorum sententia.

Unde ex dictis in tota hac sectione colligi potest, ad Ecclesiam pertinere, non tantum spirituales omnes causas, sed etiam certas quasdam causarum temporalium species; ita scilicet exigente fine Ecclesiæ proprio seu animarum spirituali bono et supernaturali beatitudine. Ad judicem vero sæcularem spectant dumtaxat causæ temporales, nunquam vero spirituales; et non omnes omnino causæ temporales, sed cum exceptione earum quas Ecclesiæ subjici probatum est.

Hinc synonymæ non sunt hæ voces *causæ spirituales* et *causæ*

*ecclesiasticæ;* quia licet omnes causæ spirituales sint simul ecclesiasticæ, sunt tamen quædam ecclesiasticæ et ad forum Ecclesiæ pertinentes, quæ spirituales non sunt, sed temporales.

## CAPUT IX.

### DE CAUSIS MIXTI FORI.

1° « Causæ *mixti fori* dicuntur, quæ in utroque foro, tam « ecclesiastico scilicet quam civili, tractari possunt, ita ut præ- « ventioni locus sit. Ita desumitur ex canone *Sunt quædam* 23, « q. 5, et capite 1 *de Offic. ordinar...* Dantur etenim aliquæ « causæ, quæ licet ex se et ex natura sua sæculares sint, ni- « hilominus propter certam adjunctam qualitatem spiritualem « etiam respiciunt forum ecclesiasticum, aut e contra : ac proin, « sic suadente æquitate canonica, lege, seu consuetudine, in « utroque foro agitari possunt; ita tamen ut qui prævenit, ab « altero impediri amplius in judicando non possit. » (Reiffens- « tuel, in titulum 2, libri 2 decretalium, n. 151.)

2° « Sunt autem causæ istæ aliæ *civiles*, aliæ criminales.

3° « Causæ civiles mixti fori perhibentur quæ quidem ori- « ginaliter sunt *sæculares,* propter certam tamen qualitatem « spiritualem habent respectum ad forum ecclesiasticum; vel « quæ originaliter sunt ecclesiasticæ; propter qualitatem ta- « men temporalem adjunctam, etiam forum sæculare respi- « ciunt. Res tota magis exemplis quam certa definitione de- « monstrari potest :

« Ita *contractus* inter laicos initi, originaliter quidem sunt « de foro sæculari. Sin autem *juramentum* accesserit, propter « istam qualitatem spiritualem juramenti, fiunt mixtæ jurisdi- « ctionis; intellige quoad executionem contractus jurati: nam « si de *valore* juramenti quæratur, cognitio *privative* ad eccle- « siasticum judicem pertinebit. (Capite *Licet mulieres* 2, *de Jure-*

« *jurando,* in 6. — Capite *Novit* 13, *de Judiciis.* — Capite ul-« timo, *de Foro competenti,* in 6. — Capite *Quamvis*, *de Pactis,* « in 6.)

« Ita *testamenta* laicorum, etiam originaliter ad forum sæcu-« lare spectant : si tamen legata ad *pias causas* inserta sint, « quantum ad ista legata eorumque executionem efficiuntur « mixti fori. (Tridentinum, sess. 22, cap. 8, *de Ref...*)

« Ita causæ *decimarum*, *juris patronatus,* etc., originaliter « ecclesiasticæ sunt : si tamen in hujusmodi causis super nuda « possessione et insistentia juris ecclesiastici agatur, et quæ-« ratur quis in possessione decimarum vel juris patronatus sit, « si laicus decimas solvere recuset, tunc etiam ex communi « sententia, maxime de consuetudine, judex sæcularis cogno-« scere poterit : quia possessio seu nuda insistentia, cum sit « facti, temporalis censeri potest, dummodo actio contra lai-« cum instituatur. »

4° « De *miserabilibus personis* dubitatur an causæ illarum « sint mixti fori? Dicuntur autem *miserabiles personæ,* quæ ali-« qua commiseratione dignæ sunt, ut viduæ, pupilli, peregrini, « pauperes, captivi, oppressi et similes. Sane pro affirmativa « sine distinctione tenenda faciunt diversi juris canonici textus. « (Caput *Ex parte* 15, *de Foro compet.* — Caput *Nuper* 6, *de* « *Don. inter vir. et ux.* — Caput *Super quibusdam* 26, in fine *de* « *Verborum signif.*) Verum consuetudini et stylo judiciorum, « teste Covarruvia, conformior est illa opinio, quod tunc de-« mum causæ miserabilium personarum ad forum ecclesiasti-« cum spectent, si judex sæcularis in administranda justitia « negligens fuerit. » (Engel, in tit. 2, libri 2 decret., n. 67.)

5° « Causæ *criminales mixti fori* dicuntur illæ, quæ versantur « circa crimina, a jure tum canonico, tum civili prohibita ac « punienda. Cujusmodi sunt homicidium, adulterium, ince-« stus, sodomia, perjurium, sacrilegium, blasphemia, sortile-« gium, divinatio, magia, et hujusmodi. Si quidem ex una « parte ad Ecclesiam pertinet de quocumque mortali peccato « corripere quemlibet christianum (capite *Novit* 13, § *cum enim,*

« *de Judiciis*); unde præsertim in libro quinto decretalium de « variis criminibus per Ecclesiam puniendis tractatur. Ex altera « vero parte hodie *pleraque* crimina etiam puniuntur in foro sæ« culari...; sicque de facto, si non omnia, saltem pleraque cri« mina, quoad pœnam irrogandam sunt mixti fori : quamquam « de consuetudine plerumque Ecclesia punitionem criminum « inter laicos commissorum relinquat judici sæculari.

« Additur hic notanter *saltem pleraque crimina* : quia hinc ex« cipi debet *crimen hæresis*, utpote quod est mere ecclesiasti« cum (capite *Inquisitionis*, *de Hæreticis*, in 6); ac proinde re« spectus ejus solus judex ecclesiasticus, non autem sæcularis, « etiam inter laicos est competens. Quamvis sæculares principes, « potestates ac rectores locorum, ad commonitionem et requi« sitionem Episcoporum, teneantur fideliter atque efficaciter « Ecclesiam contra hæreticos eorumque fautores adjuvare ac « defendere, juxta officium et posse suum.» (Cap. *Ad abolendam*, et cap. *Excommunicamus*, *de Hæreticis*.)

« Similiter, quod *simonia* sit crimen mere ecclesiasticum, « atque ideo judex sæcularis non possit aliquo modo se de eo « intromittere, neque cognoscere, tenet Abbas..., Clarus..., Fa« rinacius..., citans doctores communiter. Et merito.» (Reiffenstuel, in tit. 2, libri 2 decret., n. 158.)

# SECTIO IV.

## De variis Personis in judicio intervenire solitis.

Dividi solent in principales, et minus principales. Priori nomine dicuntur judex, actor et reus. Minus principales personæ iterum subdividuntur in eas quæ ad juvandos litigantes, et in eas quæ ad juvandum judicem interveniunt. Prioris classis sunt advocati, procuratores, testes : ad posteriorem vero referuntur 1° assessores et consiliarii; 2° auditores et referendarii; 3° notarii, actuarii, cancellarii, scribæ publici, tabelliones, protocolistæ; 4° cursores, apparitores, nuntii. De his omnibus personis in præsenti sectione agendum est, et quænam sint circa unamquamque juris sacri dispositiones exponendum.

### CAPUT I.

#### DE JUDICE.

Agemus in hoc capite : 1° de variis judicum ecclesiasticorum speciebus; 2° de requisitis, præter competentiam fori, ut judex valide judicare possit; 3° de judice qui existimatur competens licet revera jurisdictione careat; 4° de nonnullis judicialis officii obligationibus; 5° de judice delegato; 6° de iis qui judices conservatores nuncupantur.

## § I.

### Judicum ecclesiasticorum variæ species.

« Judex, sic appellatus quod *jus dicat*, est persona quæ pu-« blica auctoritate judicio præest et quasi mediatorem agit « inter litigantes, rem controversam secundum juris præscrip-« tum decidendo. » (Schmalzgrueber, in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 13.) Hujusmodi autem magistratus ecclesiastici multiplici modo seu in varias species distingui possunt. Nempe,

1. In *judices ex jure divino*, et *judices ex jure ecclesiastico*. Supremus in universa Ecclesia judex, ipsa Christi Domini ordinatione institutus est Romanus antistes. Etenamque in persona B. Petri (ut definit expresse œcumenica Florentina synodus) contulit Christus plenam regendæ, pascendæ et gubernandæ universalis Ecclesiæ potestatem ; in qua procul dubio suprema et universali regiminis potestate, judicialis etiam potestas includitur. Item jure divino judices sunt Episcopi, quatenus collegialiter cum capite suo Romano Pontifice sumpti ; ut in tractatu *de Episcopo* ex professo demonstrabimus. Et hoc saltem sensu intelligendum, positos *a Spiritu Sancto* Episcopos regere Ecclesiam Dei. Hinc quando Episcoporum morale corpus simul cum Papa judicat et decernit, Episcopi non sunt consiliarii dumtaxat Romani Pontificis, sed veri judices, judicialem a Deo ipso acceptam potestatem exercentes. Utrum vero particularis etiam judicandi potestas, quam quisque Episcopus in sua diœcesi exerceat, divino juri adscribenda sit, ita utillam immediate a Christo habeat, et non tantum a Papa, est quæstio aliquatenus adhuc apud doctores controversa, et nondum expresse definita.

Cæteri vero, præter memoratos, ecclesiastici judices, ex juris positivi dispositione instituti censendi sunt, quod extra omnem controversiam est.

II. Distingui possunt in *judices singulares*, et *judices collectivos*. Alii nempe ita judicialem potestatem possident, ut unusquisque solus eam exercere valeat : alii vero eam non possident quatenus singuli, sed quatenus collecti, seu cum aliis simul judicantes, et in hoc posteriori casu non unusquisque solus, sed ipsum collegium est verus judex. Priori modo judices sunt, verbi gratia, Summus Pontifex relative ad universam Ecclesiam, et quilibet in diœcesi sua Episcopus : posteriori modo Romanæ congregationes Cardinalium, quando judicialiter procedunt, et judices omnes qui plures delegantur ut collegialiter causas dirimant.

III. In *ordinarios* et *delegatos*. Ordinarii dicuntur ii omnes qui potestatem judicandi habent ex jure muneri suo annexam : delegati, qui eam accipiunt ab homine, id est, ex speciali mandato principis, vel alterius ordinarii, delegandi facultatem habentis. Notandum autem est eos qui *ordinarii* vocantur, duplicis esse generis; sunt enim qui ita jurisdictionem habent a jure officio suo annexam, ut eam aliis delegare queant ; qualis est, verbi gratia, Episcopus : et sunt qui, licet potestatem judicialem pariter vi legis et ex officio habeant, eam tamen delegare nequeunt; verbi gratia, Vicarius generalis Episcopi. Priores stricto sensu ordinarii sunt : posteriores minus stricto sensu ; quia ideo tantum ordinarii vocantur, ut intelligatur eos deputari ab ipsa lege ecclesiastica ; ad distinctionem aliorum qui delegantur per speciale mandatum seu ab homine.

IV. In *competentes* et *incompetentes*. Competens dicitur judex relative ad aliquam causam definiendam, quando illa causa ipsius jurisdictioni subjacet, et aliunde non adsunt certæ circumstantiæ, in quibus judices a lege prohibenturne de causa (quantumvis eorum jurisdictioni subjecta), cognoscant et pronuntient. Incompetens est judex, quando vel ipsius jurisdictio ad causam sese non extendit, vel intervenit aliqua ex prædictis circumstantiis, in quibus a lege cautum est, ut nullius valoris sit judicis sententia.

V. In judices *proprie dictos*, et in *arbitros*.

VI. Iterum distingui possunt judices juxta æconomiam qua reperiuntur in Ecclesia constituti, id est, juxta varios potestatis judicialis gradus qui ipsis competunt. Et sic 1° occurrit Summus Pontifex universalem quoad materias et personas, seu quoad causas ecclesiasticas omnes, jurisdictionem habens; 2° Patriarcha pro causis quæ ipsius patriarchali potestati subjectæ sunt; 3° Primas item quoad causas primatiali tribunali attributas; 4° Metropolitanus, in iisque a metropolitana jurisdictione pendent; 5° Episcopus pro causis ad quas sese extendit episcopalis jurisdictio; 6° Prælatus jurisdictionem quasi-episcopalem habens, item in sphæra quæ ipsi competit.

Præter prædicta tribunalia ecclesiastica, alia intermedia regulariter seu modo stabili constituta sunt, et alia possunt extraordinarie constitui. Nempe 1° congregationes cardinalium et alia quædam tribunala romana, quibus Sedes Apostolica in certas materias judicialem, eamque ordinariam, potestatem contulit; 2° Legati, Nuntii, et Visitatores apostolici, qui pariter ordinariam jurisdicundi potestatem habent in regionibus, in quibus ut tales constituuntur; 3° judices synodales, qui in hunc finem eliguntur in qualibet diœcesi, ut iis Sedes Apostolica possit causas in partibus excutiendas committere; 4° alii a Sede Apostolica ad aliquam particularem causam judicandam judices extraordinarie deputati; 5° Vicarius Episcopi, qui ex officio habet ordinariam jurisdicundi potestatem, ita tamen Episcopo subjectam ut possit Episcopus intra certos limites eam coarctare; 6° alii judices quos extraordinarie et pro certis determinatis causis constituere potest Episcopus, aliusve Prælatus delegandi potestate pollens.

VII. Relative ad appellationes, judex alius dicitur *a quo*, idest, a cujus sententia appellatur; et alius *ad quem*, id est, ad cujus tribunal fit appellatio.

## § II.

De requisitis, præter competentiam fori, ut judex valide judicare possit.

Regula 1ª. — *Ut judex causam valide judicet, debet esse competens.* — Cum nempe præter supremum Ecclesiæ judicem, idest, Romanum Pontificem, cæteri non plenitudinem judicialis potestatis, sed partem tantum acceperint, potest dumtaxat eorum quisque certas causarum species, vel certorum hominum, vel certis in locis judicare. Relative ad hujusmodi causas, pro quibus aliquis accepit jurisdicendi potestatem, dicitur judex competens; pro cæteris vero incompetens. Si quis ergo judex sit quoad causam incompetens, eam valide judicare nequit, ut patet. Quomodo autem discerni et determinari possit, quisnam sit quoad causam aliquam judex competens, est quæstio summi momenti, quam fuse, pro rei gravitate, infra discutimus. Hic tantum memoramus principium inconcussum et ab omnibus admissum, de competentiæ necessitate, ut valeat judicis prolata sententia. Atvero ut judex valide judicet, non sufficit eum esse competentem; id est, causam esse de earum specie, et eorum hominum, et illius loci, pro quibus ipsi jurisdictio fuit commissa. Requiritur insuper non intervenire certas circumstantias, in quibus a jure cautum et statutum fuit, nullam fore judicis, licet aliunde competentis, sententiam. Quænam sint ejusmodi circumstantiæ, in sequentibus regulis exponitur.

Regula 2ª. — *Non potest quis esse judex vel assessor in causa, in qua prius advocatum egit.* — Eam regulam tanquam communiter receptam et omnino certam sic exponit Schmalzgrueber (in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 17): « Neque de causa qualibet, quæ sui fori est, judex potest « cognoscere; nam tres præcipue reperiuntur exceptiones: « 1° nemo potest esse judex vel assessor in causa, in qua advo- « catum egit (arg. l. fin. c. *de Assessor.*). Ratio est, quia de

« improbitate merito suspectum se reddit is, qui judicare vel « judicanti assistere vult in causa, cujus ante defensionem sus- « cepit : neque enim præsumi potest pronuntiaturus aut sua- « surus adversus eo, quæ ante tanquam justa defendit. »

Circa expositam regulam quærendum occurrit, utrum sit de jure naturali, an vero tantum de jure positivo; et insuper an hodiedum vigere censenda sit; ita ut hodie etiam nullitate laboret judicium ecclesiasticum, in quo dicta regula violata fuit.

1° Ad jus naturale merito referenda videtur prælata regula. Nam de jure naturali est, ut ii non constituantur quoad certam causarum speciem judices, qui, attenta humana conditione, injustam sæpe sententiam in hujusmodi causis proferrent : atqui frequentes erunt injustæ sententiæ, si ii judicent qui advocati munus in eadem causa egerunt; ut patet ex ratione a citato Schmalzgrueber allata : et aliunde illa injustitia facile præcaveri potest, causas hujusmodi attribuendo aliis judicibus, qui ex dicta ratione suspecti non sint. Ergo recta ratio dictat, et jus naturale præcipit, ut a judicanda causa removeatur judex, qui in eadem causa prius advocatum egit.

2° Idem simul ex lege ecclesiastica præscriptum fuit : nam ita ferebat lex codicis Justinianei, a citato Schmalzgrueber allegata; et legem illam praxi suam fecit Ecclesia. Præterea cautum fuit jure ecclesiastico, ut infra ostendemus, ne causam judicare posset judex suspectus suspicione non frivola : porro qui advocatum in eadem causa egit, hoc ipso inter suspectos judices reponendus est; et nequaquam frivola, sed gravissima ratione fundatur in hoc casu suspicio. Ergo tanquam naturalis simul et ecclesiastici juris dispositio habenda est regula, qua decernitur ne judex valide pronuntiare possit in causa, in qua advocatum egit.

3° Prædicta lex hodiedum censenda est in toto suo robore permanere. Nam jus naturale semper idem permanet, nec contra ipsum ulla induci potest legitima præscriptio. Insuper, etiam quatenus ecclesiastica duntaxat considerata, lex de qua agimus minime abrogata censenda est; quia probari nequit

eam unquam e praxi excidesse. Hinc etiam hodie pro nulla habenda est sententia judicis ecclesiastici, qui in eadem causa advocatum egit.

Quod tamen limitandum est, si agatur de supremo judice : nam eum posse in propria causa pronuntiare, infra probatur : a fortiori ergo poterit causam in qua prius advocatum egit dirimere. Unde si quis postquam advocatum egit, ad Summum Pontificatum evehatur, poterit tanquam Papa judicare de ea causa, quam antea tanquam advocatus defenderat.

Regula 3ª. — *Valide pronuntiare nequit judex, qui consimilem ipse causam, tanquam Actor vel Reus, habet.* — Id probare solent canonistæ per decretalem Innocentii III, quæ efformat caput 18, tituli 1, libri 2 decretalium. Cujus decreti Pontificii hæc extitit occasio : orta erat lis inter conventum Vindebonensem et archidiaconum Carnotensem. Ad eam dirimendam in judicem delegavit Innocentius III Parisiensem archidiaconum. At postea certior factus prædictum archidiaconum Parisiensem in simili causa litigare, ei tanquam judicem delegatum substituit decanum quemdam. *Quia vero,* inquit, *cum eumdem archidiaconum similis pene causa contingat, nimis favorabilis parti alteri videtur, nos te, fili Decane, loco ipsius archidiaconi subrogantes, mandamus quatenus (non obstantibus prioribus litteris) in causa, ratione prævia, procedatis.* Illa vero præfati Pontificis dispositio a glossatoribus et canonistis pro regula et lege unanimiter habita fuit. Cui constantem Ecclesiæ praxim consonare dubium non est.

Eadem vero regula simul ex jure naturali firmari potest, ut satis ostendunt rationes, quas sic exponit Schmalzgrueber (in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 17) : « Non ad-« mittitur tanquam judex ordinarius vel delegatus ad tracta-« tionem causæ, qui consimilem habet ipse tanquam Actor vel « Reus. (C. *Causam* 18, *de Judiciis.*) Ratio est, quia merito præ-« sumitur, judicem in causa suæ cognitioni commissa ita judi-« caturum, sicut ab aliis judicari vellet in consimili sua ; et « quod tanquam pars litigans æquum justumque existimat in

« sua, id æquum justumque judicaturum in causa aliena, ne « sibi contradicat, et alio jure videatur uti in alienum, quam « quo jure utitur in seipsum. »

Vigere autem etiamnum ubique dicta regula probatur, tum ex eo quod pertineat ad jus naturale, immutationibus minime obnoxio; tum quia probari nequit ullibi eam legitima in contrarium præscriptione obsolevisse. Ergo etiam hodie a cognoscenda et dijudicanda causa removendus est judex, qui similem ipse causam habet; et si contrarium fiat, pro nullo et irrito totum judicium habendum est.

Regula 4ª. — *Nullus regulariter in propria causa judex esse potest.* — Adeo ex jure naturali evidens est illa regula, ut illam probare supervacaneum sit; nec dubitari ullatenus potest, quin et semper viguerit, et hodie etiam vigeat. Unde in quæstionem vocari tantum possunt exceptiones quædam modo referendæ, quarum intuitu posuimus in thesi vocem *regulariter*.

« Multo minus (ait Schmalzgrueber, in titulum *de Judi-* « *ciis*, n. 17) regulariter potest aliquis esse judex in causa « propria, seu tali, cujus emolumentum vel damnum ad ipsum « suo nomine pertinet; nam in hoc casu multo major est sus- « picio affectionis erga causam, et inde consurgens periculum « insenceri judicii. »

Regula 5ª. — *Dantur ad prædictam regulam exceptiones quædam.* — Excipi solet judex supremus, qui potest in propria causa, id est, in causis quas habet cum subditis suis, jus dicere. Item id possunt judices inferiores in certis quibusdam causis. Tandem ad judicem pertinet judicare de sua jurisdictione, quando illa in dubium vocatur. De triplici illo exceptionum capite breviter dicendum quid teneri debeat.

*Prima exceptio.* — Eam sic proponit et discutit Schmalzgrueber (in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 18): « Dubitatur 1° an princeps, seu judex supremus, superio- « rem non recognoscens, uti est Papa, imperator vel rex, in « causa propria, sive quæ vertitur inter ipsum et subditos, ju- « dex esse possit? Negativa videtur colligi ex capite *Forus* 10,

« *de V. S.;* ubi ad judicii substantiam requiruntur tres per-
« sonæ, Judex, Actor et Reus : casu autem quo princeps de
« causa inter se et subitum suum controversa cognosceret, præ-
« ter ipsum et collitigantem subditum nemo interveniret :
« ergo. — Sed tenenda est affirmativa sententia. Ita Glossa
« (in c. *Cum venissent* 12, *de Judiciis*) Abbas, Layman, Bar-
« bosa, Pirhing, Viestner, qui tamen cum aliis monet, tali casu
« consultius et juri naturali conformius acturos principes et si-
« miles magistratus supremos, si vel arbitris causas inter se et
« subditos controversas decidendas committant, vel judices
« ordinarios vel delegatos constituant, qui jus inter ipsos et
« subditos suos dicant, juxta legem *Si adversus* 2, c. *Si adversus*
« *fiscum,* et praxim modernam, qua lites eorum fiscales co-
« gnoscuntur et terminantur ab iis, qui cameræ seu fisco prin-
« cipis præsident. Cæterum responsio multiplici probari argu-
« mento potest : *primo* ex capite *Cum venissent* citato, ubi
« cognitio quæstionis, super Sedis Apostolicæ privilegiis orta,
« denegatur judicibus summa illa Sede inferioribus. *Secundo*
« ex lege *et hoc* 41 (juncta glossa marginali) ff. *de Hæred. in-*
« *stit.,* ubi imperator Tiberius in causa propria sententiam
« dixit... *Tertio* ex lege *un.,* c. *Si quis imper. maledix.,* ubi de-
« cernitur ut is qui animo injuriandi maledixerit principi, ad
« ipsum remittatur, ut cognoscat de injuria sibi illata...
« *Quarto* ex ratione; nam hoc videtur exigere plenitudo po-
« testatis, ob quam cogi non potest ut alterius judicio se sub-
« jiciat. *Quinto* denique, quia cum princeps ejusmodi vel ma-
« gistratus, supremus sit legum conditor, custos vel vindex,
« nihil nisi æquum justumque pronuntiaturus præsumitur. Nec
« obstat caput *forus* citatum, et alii textus qui in contrarium
« allegari possunt; quia ternarius ille personarum numerus
« præscriptus est solum jure positivo humano, quo princeps
« supremus, utpote a se vel antecessoribus condito, non liga-
« tur : consequenter non prohibetur per se loquendo in tali-
« bus causis judicis simul et Actoris vel Rei personam susti-
« nere. »

*Secunda exceptio.* — Respicit casus quosdam particulares, in quibus sententiam valide proferre possunt etiam judices Papæ inferiores, licet in his casibus aliquo sensu in propria causa judicent. De qua quæstione sic Schmalzgrueber (loco citato, n. 19) : « An judex, Papa vel principe inferior, possit in causa « propria judicare, vel jus sibi ipsi dicere? Respondeo, regu- « lariter non posse... Ratio est quia in propria causa jus di- « cens, propter naturalem affectionem ad eam, merito est « suspectus ; nisi suspicionem hanc purget dignitas, uti purgat « in judice supremo. Proceditque hoc etiam de arbitro, ita « quidem ut non tantum sententia judicis, sed etiam arbitrium « in propria causa prolatum invalidum sit... Dixi autem *regu-* « *lariter ;* nam plures sunt casus quibus inferior judex legitime « procedit in causa quæ ipsiusmet est, aut esse videri potest : « veluti *primo* in iis quæ sunt jurisdictionis voluntariæ ; nam in « his, ut quis publicam simul et privatam personam sustineat, « permittunt jura, ut patet ex lege *Si consul* 3, ff. *de Adoptione,* « et lege *Apud filium* 18, ff. *de Manum vindict.;* ubi statuitur « emancipari et in adoptionem dari aliquem apud seipsum « posse. Excipiuntur ii actus qui specialem causæ cognitionem « exposcunt... *Secundo* si factum, exempli gratia, injuria ipsi « judici illata, sit notoria... *Tertio,* Episcopus vel alius similis « prælatus judicare potest in causa suæ Ecclesiæ : ubi tamen « est distinguendum an causa directe et principaliter spectet « ad ipsam Ecclesiam et dignitatem episcopalem, an ad Epis- « copi ipsius eique similis prælati personam : si primum, potest « Episcopus in causa esse judex... Notant tamen doctores « eumdem hoc casu recusari posse a partibus tanquam suspec- « tum, ob præsumptionem singularis affectionis erga suam Ec- « clesiam : si secundum, non potest esse judex. »

*Tertia exceptio.* — Respicit quæstionem, utrum judex cujus jurisdictio, quoadcausam aliquam ad ipsius tribunal perlatam, in dubium vocatur, possit ipse pronuntiare, ad causam illam sese extendere suam juris dicundi potestatem. Quamvis ejusmodi sententia videatur esse judicium in propria causa, cer-

tum est id judicem regulariter posse. « Aperte constat, ait « Schmalzgrueber (loco citato, n. 19) ex lege *Quacumque* 2, ff. *Si* « *quis in jus*, et lege *Si quis* cit.; ubi dicitur : *Prætoris est æsti-* « *mare an sua sit jurisdictio*. Ratio est quia hujusmodi causa, « licet propriæ similis sit, revera tamen non est propria, cum « ejus commodum et utilitas ad judicem non pertineat. Acce- « dit quia prævia ejusmodi cognitio necessaria est ut judicandi « munere rite fungi judex possit. Procedit autem hoc *regula-* « *riter*. Nam triplici casu cognoscere de jurisdictione in con- « troversiam tracta, an sua sit, nequit : 1° quando objicitur de- « fectus sugillans personam ejusdem, verbi gratia, quod sit « excommunicatus, infamis, jurisdictionis incapax; 2° quando « recusatur ut suspectus, nisi exceptio suspicionis sit frivola; « 3° si judex cujus jurisdictio dubia est, ex cognitione notabile « emolumentum percepturus est. » (Schmalzgrueber, in titu- lum 1 *de Judiciis,* libri 2 decretalium, n. 19.)

*Notandum circa prædictas exceptiones.* — Aliquo sensu potest sustineri nullam dari exceptionem ad præcipuam illam regu- lam juris, qua præcavetur *ne quis judex sit in propria causa.* Nam si vox *judicium* in ea stricta significatione sumatur, quam in prima sectione determinavimus, ita nempe ut hoc nomine intelligenda dumtaxat veniat *sententia alicujus de eo quod alter contra tertium postulat;* et consequenter si magistratus non cen- sendus sit *judicialiter* seu tanquam *proprie judex* procedere, nisi adsit in judicio, præter judicem, aliquis Actor et aliquis Reus, prædictæ exceptiones evanescunt; quia iis admissis non reperitur ullum proprie dictum judicium in quo judex de sua propria causa decernat. *Primo* enim ad judicem supremum quod attinet, quando dirimit causam ipsum inter et subditos controversam, dicendum id quidem posse ab ipso peragi; at in eo procedendi modo non erit proprie dictum judicium agno- scendum, cum in eo desit Actor vel Reus a judice distinctus. *Secundo,* idem verificatur in memoratis exceptionibus quæ cæteros judices respiciunt : in iis nempe casibus, vel falsum est eos judicare in propria causa, vel tunc agunt tanquam ma-

gistratus, non vero tanquam *judices stricte sumpti*. Et sic vera absque ulla exceptione proclamari potest fundamentalis illa regula, *nullum posse in propria causa judicem agere;* intelligendo nempe judicem et judicialem sententiam eo stricto sensu quem diximus.

Regula 6ª. — *Judex, licet aliunde competens, non potest judicare quando recusatur tanquam suspectus, nisi suspicio sit frivola; ad ipsum vero pertinet judicare utrum frivola sit necne.* — Eam regulam hic non probamus, tum quia extra omnem controversiam est, tum quia de hoc jure, judicem tanquam suspectum recusandi, opportunior disserendi occasio recurret.

Item pro regula 7ª addimus absque probatione, *judicare valide non posse judicem excommunicatum, vel qui infamiam contraxit.*

## § III.

### De Judice qui existimatur competens, licet revera jurisdictione careat.

Propositio Iª. — *Acta et sententiæ pronuntiatæ a judice, qui revera judex non est, si communi populi errore talis existimetur, sunt valida.* — Probatur 1° ex doctorum ita asserentium sententia, quam communem esse testatur inter alios Schmalzgrueber (in titulum *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 20). Probatur 2° ex textibus juris quos iidem adducunt canonistæ. Citant nempe legem *Barbarius* (3, ff. *de Officio Prætoris*) qua firmitatem habuisse dicuntur sententiæ a Prætore quodam, nomine Barbario prolatæ : is nempe communi errore existimabatur jurisdictionem habere; revera tamen non habebat, eo quod servus esset; quæ ipsius conditio servilis communiter ignorata remanserat. Addunt canonistæ hanc juris Romani dispositionem in jure ecclesiastico fuisse receptam; pro quo citant hæc gratiani verba : *verumtamen si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam dixit..., sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet.* (Canone *Infamis*, causa 3,

q. 7.) Citant etiam caput *Ad probandum* 24, tituli 27, libri 2 decretalium, ubi Innocentius III præcipit cassari sententiam cujusdam judicis delegati, si constiterit eum fuisse *publice* excommunicatum. Igitur, arguunt ex hac decretali canonistæ, si excommunicatio non fuisset publice nota, sententia valuisset. Quidquid sit de vi horum textuum ad rigorose probandam thesim, ejus veritas ostendi potest; 3° ex jure naturali : Nam validæ erunt sententiæ de quibus agitur, si Ecclesia in hoc casu jurisdictionem suppleat : supplere autem censenda est, si hoc requirat bonum commune. Porro quando populus communiter existimat aliquem judiciali potestate pollere, ingens detrimentum et perturbatio sequeretur, nisi firma ipsius judicia remanerent.

*Nota.* Aliqui canonistæ volunt non sufficere errorem communem; sed requiri insuper ut iste error non sit *crassus*. « Aliud esset, inquit Schmalzgrueber (in titulum *de Judiciis*, « libri 2 decretalium, n. 20), si gesta essent a judice existimato « per crassum et supinum, aut ex liquidi et manifesti juris « ignorantia provenientem, errorem; qualis esset si is qui sen- « tentiam protulit, in eo loco ubi protulit, publice damnatus, « vel denuntiatus esset de aliquo impedimento, ob quod inca- « pax esset officii judicis : nam talis error vel ignorantia, scien- « tiæ æquiparatur : consequenter vitium sententiam dicentis non « tollit. » Mihi tamen inutilis videtur hæc restrictio. Non enim dari posse videtur error communis qui simul sit ita crassus, ut Ecclesia non censenda sit jurisdictionem supplere. Sumendo enim exemplum judicis publice excommunicati, hujusmodi ignorantia crassa versaretur vel circa factum talis excommunicationis, vel circa consectarium juris ex eo fluens, excommunicatum nempe judicem hoc ipso jurisdictione carere. Quoad factum, vel ita fuit publicum ut ad notitiam communitatis devenire debuerit, et tunc dari non potest ignorantia communis talis facti; vel ita prolata fuit excommunicatio, ut potuerit communitatem latere, et tunc ignorantia non est crassa, et urget ratio utilitatis publicæ, ut Ecclesia tali judici jurisdictio-

nem suppleat. Quoad consectarium juris, si totus populus, licet cognoscat judicem excommunicatum fuisse, et validam reputet ejusmodi excommunicationem, ignoret tamen hoc ipsi jurisdictionem abstulisse, iterum urget ratio utilitatis publicæ, et merito præsumitur Ecclesia jurisdictionem supplere. Unde numquam error communis eo sensu crassus reputandus videtur, ut præsumenda sit Ecclesia jurisdictionem non supplere.

Propositio II^a^. — *Si error non sit communis, sed paucorum tantum, nullitate laborant acta et sententiæ judicis.* — Cum enim talis judex careat jurisdictione, nulliter agit nisi Ecclesia jurisdictionem suppleat. Ecclesia autem non supplet, nisi ob rationem publicæ utilitatis. Quæ quidem ratio occurrit quando error est communis, non vero quando est dumtaxat aliquorum, ut patet.

*Objectiones diluuntur.* — Contra doctrinam duobus præmissis propositionibus assertam, objicies 1°. Judex qui jurisdictione caret, eam in casu erroris communis acciperet, vel ab ipso errore, vel a litigantibus, vel a superiore; atqui nullum ex his dici potest : non ab errore communi populi, quia absurdum est jurisdictionem ex erroribus nasci : non a litigantibus, qui et ipsi jurisdictione carent, ac proinde dare aliis nequeunt : non a superiore, qui de danda tali judici potestate ne cogitat quidem : ergo. — Respondetur non deesse voluntatem permanentem et generalem in Ecclesia, jurisdictionem in hujusmodi casibus supplendi : occurrente ergo aliquo ex dictis casibus, vi hujus voluntatis jurisdictio statim suppletur. Objicies 2°. Sequeretur sententias nunquam ex defectu jurisdictionis fore invalidas, cum nunquam soleant litigantes justitiam petere, nisi ab eo judice quem putant jurisdictionem habere. — Respondetur : errorem litigantium non semper esse errorem communem; quando autem error est communis, nullum sequi inconveniens ex eo quod firmitatem habeant sententiæ prolatæ a judice qui jurisdictione caret, sed tamen eam habere existimatur. Objicies 3°. Si error communis jurisdictionem tribuit, validæ essent absolutiones collatæ a clerico non sacerdote,

imo a laico et fœmina, casu quo per errorem haberentur pro sacerdotibus; quæ sequela certo falsa est. — Respondetur : Ordo sacerdotalis, et sexus virilis, ad valorem sacramentalis absolutionis jure divino requiruntur; non potest autem Ecclesia supplere defectum alicujus conditionis, quam jus divinum necessariam fecit.

Propositio III[a]. — *Utrum in judice existimato necessarius sit titulus coloratus, ut ejus gesta sint valida, legitime controverti potest.* — De hac enim re disputant doctores catholici, quin ulla intervenerit Ecclesiæ rem definientis decisio. Citatos pro et contra auctores et rationes vide apud Schmalzgrueber (in titulum *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 21).

*Scholium.* — Doctrina exposita circa judicem existimatum, qui nempe jurisdictione careat, et tamen ex errore communi putatur eam habere, maximi momenti est, ob multiplices ad praxim ejus applicationes. Præcipuos casus ita enumerat Schmalzgrueber : « 1° Valent acta Episcopi, vel alterius « Prælati, cujus electio propter quodcumque juris humani « impedimentum fuit nulla, si ejus nullitas publice ignoretur. « 2° Valent absolutiones collatæ a sacerdote, et coram eo ce- « lebrata matrimonia, etsi vere parochus non sit, quia vel « intrusus, vel ad animarum curam ab Episcopo non approba- « tus, modo pro legitimo parocho communiter sit habitus. « 3° Eadem acta sententiæ et absolutiones subsistunt, quan- « tumvis Episcopus vel alius prælatus excommunicatus, sus- « pensus, vel jurisdictione et ipsa prælatura et beneficio vel « officio privatus fuisset, modo communi errore existimetur « adhuc præditus jurisdictione sufficienti. 4° Ea ipsa valebunt « quantumvis impedimentum unus vel alter sciverit, modo « ii a quibus gesta sunt, pro veris judicibus communi errore « sint habiti; quia leges non privatam sed communem æsti- « mationem attendunt. 5° Valori a se actorum non oberit « mala fides ipsius judicis, parochi, aut confessarii, scientis se « carere jurisdictione, modo communi errore existimentur hac « præditi; quia beneficium non est datum in favorem judicis,

« sed boni publici, quod plurimum pateretur si, stante com-
« muni errore, valori actuum obesset mala fides judicis.
« 6° Denique eadem acta valent, etsi una vel utraque pars
« sciat judicem coram quo agunt, aut parochum coram quo
« contrahunt matrimonium, legitima potestate instructum non
« esse, modo communiter habeatur pro vero judice aut vero
« parocho, ob eadem rationem. Excipitur absolutio sacramen-
« talis; hanc enim si quis extra mortis articulum peteret a sa-
« cerdote, qui communiter creditur sufficienti jurisdictione
« instructus, sed quem ipse scit ea instructum non esse, non
« absolveretur valide : non quidem ex defectu jurisdictionis
« in absolvente (quia istam ei hoc casu dat Ecclesia, defectum
« supplens ob errorem communem), sed quia peccaminosa sua
« petitione, et inde orta indispositione, obicem ponit validæ
« administrationi sacramenti. » (Schmalzgrueber, in titulum *de Judiciis,* libri 2 decretalium, n. 22.)

## § IV.

### De generalibus quibusdam judicialis officii obligationibus.

Quonam modo judicem procedere oporteat ex variis, tum naturalis, tum ecclesiastici juris præscriptionibus, opportune dicetur pro diversa materiarum ratione in decursu tractationis. Hic vero agemus dumtaxat de quibusdam judicialis officii obligationibus, ad quas exponendas commode postea occasio non occurreret.

### I.

#### *De requisita in judice scientia.*

« Judex carens debita scientia, et ex culpabili ignorantia male
« judicans, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem to-
« tius damni causati parti læsæ, sive in substantia litis, sive in

« superfluis expensis.» Ita Ferraris (verbo *judex*, n. 29); et est sententia communis doctorum, teste Cardinali de Lugo (tom. 2, disp. 37, n. 1). Hinc judex agnoscens errorem a se commissum (quamvis sine gravi culpa) in præjudicium litigantis, tenetur, si potest citra suam infamiam, impedire errorem; monendo, verbi gratia, occulte partem læsam, ut sibi appellatione vel alio simili remedio consulat; quia hoc pertinet ad debitam sui muneris executionem; et quia alioquin, si, dum potest, suum errorem non impedit, imputabitur jam ei quasi conservanti id quod propter inadvertentiam inculpabilem prius non imputabatur (Lugo, loco cit., n. 3). Hinc « Judex carens necessaria « scientia ad suum officium, non potest absolvi, nisi facta renun- « tiatione officii, vel nisi firme proponat renuntiare; quia nemo « potest retinere officium cujus munia obire non potest, nisi cum « damno vel periculo proximi » (Ferraris, loco citato, n. 31): ita doctores communiter post S. Thomam (2, 2, q. 76, a. 2).

## II.

*De vitandis dilationibus non necessariis.*

« Judex mortaliter peccat contra suum officium, differendo « valde notabiliter causarum expeditionem sine justa causa; « et tenetur restituere parti læsæ damna et expensas, quæ ex « iniqua dilatione secutæ sunt; quia est earum injusta causa.» Ita Ferraris (v. *judex*, n. 32) et doctores communiter.

## III.

*De non recipiendis muneribus aut honorariis a litigantibus.*

1. Receptio munerum est judicibus prohibita jure naturali, jure divino in sacris litteris expresso, et jure ecclesiastico. Jure quidem naturali, cum ipsa ratio dictet id vetitum judicibus censendum esse, quo admisso certum et commune immi-

neret periculum injuste judicandi ; munera autem id inducunt periculi. Jure divino in sacra Scriptura expresso ; nam multoties eam prohibitionem iterant sacræ paginæ : *Non accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes et subvertunt verba justorum* (Exod. 23). *Non accipias personam nec munera, quia munera excæcant oculos judicum* (Deuter. 16). Et similia reperies Eccles. 20, Isai. 1, Michæ. 3, et alibi. Jure tandem ecclesiastico, ut videre est in quamplurimis Ecclesiæ decretis, quæ a Ferrario citantur (v. *judex*, n. 34).

2. « Judex contra supradictas prohibitiones accipiens nota-« bilia munera, peccat graviter.» (Ferraris, v. *judex*, n. 35.) Sequitur ex eo quod præceptum, quo prohibetur munerum acceptatio, certum sit, et materia supponatur gravis.

3. Qui accipit munera, tenetur ea restituere. Nam litigans munus judici dat in eum finem, ut in favorem sui judicet. Talis autem contractus est, ex jure etiam naturali, irritus et nullus ; unde judex rei sibi hoc modo datæ dominium non acquirit ; ergo eam domino restituere tenetur. Quod insuper jure sacro præcipitur (cap. *Statutum* 11, *de Rescriptis* in 6) his verbis : *Si quid autem contra constitutionem præsentem recepit, ad ipsius restitutionem integram teneatur*.

4. A restitutione autem recepti muneris non excusatur judex ex ea ratione, quod dans eum a restituendi obligatione liberet : nam in citato capite *Statutum* sic additur : *Nulla eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem*. Unde judex ecclesiasticus censendus est ex lege ecclesiastica inhabilis ad acquirendum etiam sponte oblatorum munerum dominium.

5. Excipienda tamen leviora munuscula, ex quibus non sequatur pervertendæ justitiæ periculum : quæ etiam exceptio in citato capite *Statutum* exprimitur : *Nisi forsan esculentum vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus*. Ego autem puto, non tantum valde indecorum, sed et periculosissimum esse levia ejusmodi munuscula a judice ecclesiastico recipi ; quia facile non est in hac re parvitatem

materiæ non excedere, si semel vel minima acceptare assuescat judex.

6. Judex ecclesiasticus, ad reddendam justitiam assignatum stipendium habens, non potest a litigantibus exigere vel recipere sportulas, id est, ullum honorarium sive salarium. Est sententia communis canonistarum. Probatur autem capite *Cum ab omni* 10, *de Vita et honest. cleric.* Cui capiti hic præmittitur titulus : *Ecclesiastici judices et delegati gratis judicare debent, nec exigere possunt decimam, vel aliam quotam litis, etiamsi hoc habeat consuetudo.* In ipso autem decreto sic legitur : *Nos attendentes, quod ad hoc vobis et aliis clericis sint ecclesiastici reditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeatis... ideoque mandamus quatenus ab hujusmodi exactionibus de cætero abstinentes, vigorem judiciarium gratis studeatis litigantibus impartiri.*

7. Si tamen judex ecclesiasticus nullum haberet assignatum stipendium, nec congruam sustentationem, posset exigere a litigantibus honorarium. Ita communiter doctores, ex ea ratione, quod nullus suis stipendiis militare cogendus sit.

## IV.

*De obligatione judicandi juxta probabiliorem sententiam. Et quid, remanente pro utraque parte æquali probabilitate?*

1. Certum est judicem teneri juxta probabiliorem sententiam, relicta minus probabili, pronuntiare. Nam ab Innocentio XI, die 2 martii 1679, damnata est contraria propositio, nempe : *probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Item ab Alexandro VII die 24 septembris 1665 confixa est scandalosa propositio qua dicebatur : *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

Hæc tamen generalis regula exceptionem patitur quoad criminales causas. Quamvis enim debeat judex reum absolvere, si probabilius innocens existat, eumdem tamen nec debet, nec po-

test condemnare, ob *probabiliores* de ipsius delicto obtentas probationes. Sed ad condemnandum requiritur in causis criminalibus probatio certa : prout infra suo loco dicetur.

Item in causis matrimonialibus, quæ criminalibus æquiparari dicuntur, certa probatione opus est, ut judex matrimonii nullitatem pronuntiare possit ; prout etiam suo loco infra trademus.

2. Remanente pro utraque parte æquali juris probabilitate, tenetur judex in favorem rei seu possessoris pronuntiare. Ita dictat recta ratio, et præterea disponit expresse jus canonicum. Nam, capite *Cum sunt* 11, *de Regulis juris*, in 6, sic habetur : *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est, potius quam actori.* Et capite *In pari* 65, *de Regulis juris*, in 6 : *In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.* Et capite *Ex litteris* 3, *de Probationibus : Quod si ambarum partium testes sunt æque idonei, possessoris testes præferuntur, cum promptiora sint jura ad absolvendum quam ad condemnandum.*

3. A præcedenti regula excipiendæ sunt causæ quædam privilegiatæ, quæ *liberales* in jure dicit solent, et exprimuntur his versibus :

*Stat testamentum, libertas, conjugium, dos,*
*Si sunt æquales qui producuntur utrinque.*

Debet nempe judex, in casu æqualis utrinque probabilitatis, pronuntiare pro valore matrimonii, quod nullum esse contendit unus ex litigantibus ; quamvis pars, quæ pro valore matrimonii litigat, sit ipsemet actor. Et idem dicendum de valore testamenti, et de valore actus quo dos constituta fuit ; sicut etiam olim in causa, an aliquis esset servilis conditionis, debebat judex (dato casu æqualis utrinque probabilitatis) in favorem libertatis pronuntiare. Probatur autem 1° capite *Ex litteris* 3, *de Probationibus*, in quo, postquam dispositum fuit, quoad casum æqualis utrinque probabilitatis, in favorem rei seu possidentis esse judicandum, subjungitur expresse dicta exceptio, his terminis : *Præterquam in liberali causa, in qua si utriusque partis*

*testes æquales fuerint, pro libertate sententia proferetur.* Probatur 2° capite *Duobus judicibus* 26, *de Sententia et re judicata,* in quo sic disponitur : *Tenet pro reo non pro actore sententia, nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento.* Probari posset 3° ex jure naturali, merito dictas causas hoc privilegio muniri ; quia nempe id requirit bonum generale societatis religiosæ, ut recta ratio cuique rem expendenti facile dictat. Valere autem etiamnum ejusmodi juris sacri dispositionem, procerto tenendum est ; quia etiam si alicubi irrepsisset contraria consuetudo, pro invalida et abusiva esset habenda, utpote grave nocumentum societati religiosæ et bono animarum afferens.

## V.

### *De obligatione judicandi juxta allegata.*

1. Judex, *regulariter* loquendo, judicare debet secundum allegata et probata. Est communis doctorum sententia ; quæ ex ipsomet jure naturali certa potest demonstrari, ut satis per se patet. Diximus autem *regulariter*, ob casum particularem nunc discutiendum, nempe :

2. An judex debeat judicare secundum allegata et probata, etiam contra propriam certam scientiam ? In triplicem doctores sententiam abiere : *prima* sententia absolute et universim tenet, posse judicem et debere, semper et in quacumque causa, judicare secundum *allegata et probata*, etiam contra propriam conscientiam. Unde si judex privata scientia certo sciat innocentem esse eum, qui juxta allegata et probata pro nocente habendus est, et nullum supersit medium eumdem liberandi, debebit eum tamquam nocentem condemnare. *Judex*, inquit sanctus Thomas, *si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem hoc non potest,*

*non peccat, secundum allegata et probata sententiam ferens; quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem* (2, 2, q. 64, a. 6, ad 3). Et ita sentiunt multi cum doctore Angelico. *Secunda* sententia, huic omnino contraria, tenet, nunquam judici fas esse pronuntiare contra propriam conscientiam; unde nunquam ipsi licet condemnare, quem privata scientia certo novit innocentem, quantumvis per allegata nocens probetur. Ratio est, quia pronuntiare contra propriam scientiam, est mentiri; mendacium vero est quid intrinsece malum et nunquam licitum. Præterea præcepto divino prohibetur occidi innocentem: *insontem et justum non occides* (exod. 23); ergo etiamsi jura humana præscriberent sententiam ferri juxta *allegata et probata*, non eis, sed præcepto divino obtemperare debet judex, casu quo, judicando juxta allegata, ad necem damnare deberet innoxium. *Tertia* sententia distinguit hoc modo: potest et debet judex contra propriam conscientiam pronuntiare *secundum allegata et probata*, in causis civilibus et criminalibus minoribus: non autem in criminalibus majoribus, in quibus agitur de pœna mortis vel mutilationis. Habetur autem hæc sententia generatim ut probabilior; atque eam doctores sic defendunt: ideo judex in civilibus et criminalibus minoribus tenetur contra privatam scientiam pronuntiare secundum allegata et probata, quia Ecclesia (et idem dicatur de republica quoad judicem sæcularem) potest ob bonum publicum, ne scilicet judiciorum publicorum forma cum populi scandalo evertatur, disponere ut bonorum de quibus agitur detrimentum subeant, qui, *juxta allegata*, condemnandi videntur. Nam in hujusmodi bona altum dominium habet Ecclesia (sicut et respublica si de judicio sæculari agatur). Unde ex ratione boni generalis et publici, censenda est Ecclesia ita disponere; ac proinde judex innocentem in hoc casu condemnando, injustitiam non committit. Atvero si agatur de pronuntianda mortis vel mutilationis pœna (qui casus sæcularem judicem, non ecclesiasticum respicit), locum non habet dicta ratio; quia nempe respublica non habet in vitam et membra

subditorum innocentium prædictum dominium. Unde in nullo casu potest respublica judici licitam facere talem innocentis condemnationem.

Difficultatem autem ad judicia ecclesiastica restringendo, patet tertiam sententiam in primam recidere; cum sententias sanguinis nunquam pronuntiandas habeat judex ecclesiasticus. Unde quoad forum ecclesiasticum sic tota quæstio resumi potest: *probabilius* potest et debet judex ecclesiasticus semper pronuntiare *secundum allegata et probata*, etiamsi ex privata sua scientia certo noverit allegatorum et probatorum falsitatem. Contraria autem opinio est minus probabilis. Est autem extra controversiam, teneri judicem ad faciendum quidquid potest, ut liberet eum quem privata scientia novit innoxium, antequam illum, ob allegata et probata, condemnet.

3. In præcedenti casu supponebatur judex certo conscius de innocentia Rei. Quid vero si judex privata scientia sciat eum esse noxium? An poterit, contra *allegata et probata*, ex quibus ejus innocentia sufficienter demonstratur, illum condemnare.

Respondetur negative. Nam jura favent Reo; unde etiamsi posset judex uti scientia sua privata ad absolvendum Reum, certum est id ei non licere ad eumdem condemnandum; sed condemnare Reum potest dumtaxat judex, quando juridice constat ipsius crimen. Nec mentitur eum absolvendo, quem certo scit esse noxium, sed quem processus noxium non probavit; quia non pronuntiat præcise eum esse innocentem, sed tantum nocentem non probari. Est autem illa conclusio unanimiter recepta, multisque juris sacri textibus nixa, et omnino certa.

## § V.

### De judice delegato.

Cum multæ causæ ecclesiasticæ per eos judices dirimantur,

quos *delegatos* vocant, plurimi interest noscere, quid jus ecclesiasticum de hujusmodi judicibus statuerit.

## I.

### *Quid sint, et quotuplicis speciei, delegati judices.*

1. « Delegare in genere nihil significat aliud, quam alium in « locum suum substituere, seu vices suas eidem committere. « Et hinc *judex delegatus* is erit, qui, non munere proprio, sed « ex commissione (vel ipsius juris, vel alterius hominis, pro- « priam et ordinariam jurisdictionem habentis) immediate vel « mediate facta, ideoque alterius vice et authoritate, jurisdic- « tionem ab isto derivatam et distinctam exercet. » (Schmalzgrueber, in titulum 29, libri 1 decretalium, n. 1.) « Differt « 1° a *judice ordinario;* quia hic jurisdictionem exercet suo « jure, sive ex proprio aliquo officio seu magistratu; 2° ab *ar-* « *bitro compromissario,* et mero *executore;* quia isti jurisdictio- « nem non habent; sed ille simplicem dumtaxat causæ cogni- « tionem, hic vero nudum solummodo ministerium; 3° a « *Vicario generali;* quia hic jurisdictionem quidem alterius « vice, eamdem tamen quam constituens habet, et in proprio « hujus tribunali, exercet. » (Idem, ibid., n. 2.)

2. Variæ distinguntur delegatorum judicum species : 1° alii sunt delegati a jure, alii ab homine. *Delegati a jure* illi sunt, quibus per legem aliquam delegatur jurisdictio; et hoc modo Episcopi in multis constituti sunt Sedis Apostolicæ delegati, præsertim per Tridentina decreta. Licet autem a lege ipsa tunc jurisdictionem recipiant, merito tamen dicuntur delegati, et non Ordinarii, quia non ratione officii, sed per modum specialis commissionis id potestatis lex eis tribuit. *Delegati ab homine* illi sunt, qui ab aliquo judice ordinario, puta a Papa vel Episcopo, delegationem recipiunt. 2° Alii sunt delegati *universales*, alii *speciales*. Priores delegantur, vel ad omnes universim causas, vel saltem ad omnes causas certi generis, quamvis cum

restrictione ad certum tempus, locum, quantitatem, etc.: unde, verbi gratia, delegatis universalibus annumerandus venit ille cui facta fuit delegatio ad omnes causas matrimoniales in tali territorio per tres annos. Posteriores vero delegantur, vel ad unam tantum causam; vel ad plures quidem, sed certas numero, aut inter certas personas. 3° Alii sunt delegati ratione *dignitatis*, ut quando fit delegatio Abbati, vel Episcopo, vel Primati talis loci, quin ejus exprimatur nomen: alii ratione *personæ*, quando nempe proprium delegati nomen exprimitur. 4° Alii sunt delegati *immediati*, quia nempe ab ipso Ordinario immediate, non autem ab alio delegato, commissionem accipiunt: alii mediati seu *subdelegati*, qui nempe ab aliquo delegato, et non immediate ab Ordinario, constituuntur.

## II.

*Quinam ordinarii possint delegare, et quinam delegati subdelegare.*

1. Certum est ordinarium judicem supremum, seu principem, idest Papam, potestatem suam delegare posse. Imo hoc necessarium est, ob multitudinem causarum, quibus cognoscendis et decidendis ipse solus sufficere nequit. Et de hoc nulla est difficultas.

2. Item possunt ordinarii quilibet judices, licet principe inferiores, delegare; non tamen omnem in perpetuum potestatem suam sine consensu principis. Quod possint delegare, constat ex capite *Cum Episcopus* 7, *de Officio judicis ordinarii* in 6, ubi sic decernit Bonifacius VIII: *Cum Episcopus in sua tota diœcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere, dubium non existit, quin in quolibet loco ipsius diœcesis non exempto, per se vel per alium possit pro tribunali sedere; causas ad ecclesiasticum forum spectantes audire; personas ecclesiasticas (cum earum excessus exegerint) capere, aut carceri deputare; nec non et cætera quæ ad ipsius spectant officium libere exercere.* Ea verba *per se vel per alium*, delegandi potestatem aperte indicant. Præterea

juxta regulam 68 in 6, regulariter quis concedere et per alium exercere potest, quod sibi proprium est. Accedit in probationem communis doctorum sententia, et constans Ecclesiæ praxis. Quod vero nequeat Ordinarius totam suam jurisdictionem alteri delegare sine principis, id est Romani Pontificis, assensu, *colligitur* (ait Schmalzgrueber) *quia committendo totam suam jurisdictionem, non tam censeretur delegare, quam omnino se abdicare jurisdictione, seu officio suo, quod sine principis consensu nequit* (in tit. 29; libri 1 decretalium, n. 9); in quo tanquam certo admittendo concordant doctores.

3. Certum est delegatum a Papa, posse regulariter subdelegare. Constat ex decretali *Si pro debilitate* (3, tituli 29, libri 1 decretalium), in qua sic decrevit Alexander tertius anno 1166 : *Si pro debilitate, vel qualibet alia gravi causa vel necessitate, tractandis causis quæ tibi a Sede Apostolica committuntur, interesse non poteris, liberum tibi sit personis discretis et idoneis vices tuas committere : ita tamen quod si res tanti est, te consulere debeant : nisi forte causæ ita graves sint, quod sine præsentia tua non possint commode terminari.* Item constat ex decretali *Pastoralis* (28, tituli 29, libri 1 decret.). In qua sic Innocentius III anno 1206 : *Consultationi tuæ duximus respondendum, quod cum delegato a principe jurisdictio dandi judicem sit a lege concessa, dummodo ipse exonerare seipsum malitiose non quærat,* etc. Ergo delegatus a principe habet jurisdictionem seu potestatem *dandi judicem,* id est, subdelegandi. Idem confirmat communis doctorum sententia et constans praxis.

Diximus *regulariter*, ob sequentem exceptionem, nempe si sit electa industria personalis delegati. Censendus autem est electus ob industriam personalem, si in rescripto dicatur *per teipsum*, vel *personaliter exequaris :* item si causa sit ita gravis ut deceat a delegato ipso dirimi, prout habetur in citata decretali *Si pro debilitate;* item si delegato committatur mera executio seu nudum ministerium.

4. Delegatus ab Ordinario inferiore, regulariter non potest subdelegare. Constat ex capite *Cum causam* (62, *de Appell.*).

in quo sic habetur : *cum nonnisi delegatus a Principe caussam valeat alii delegare...* « Et ratio est (ait Ferraris, v. *Delegatus*, « n. 16), quia si quilibet delegatus caussam alteri subdelegare « posset, hic etiam posset iterum delegare tertio, et iste quarto, « et sic daretur processus in infinitum, quæ infinitas a jure ex- « presse reprobatur, capite *Cum in multis* (2, *de Rescriptis*, in 6) « ibi : *cum in multis juris articulis infinitas reprobetur.*»

Diximus *regulariter*, quia communiter a doctoribus admittitur, posse delegatum ab Ordinario inferiore *ad universalitatem causarum*, subdelegare. Quæ exceptio fundatur hac ratione : delegatum nempe ad universalitatem causarum, esse quasi-Ordinarium, et Ordinario in hac re æquiparari. Valere autem illam exceptionem dicit Schmalzgrueber, *saltem de consuetudine*. Et addit talem delegatum posse alteri committere, non quidem totam suam potestatem, sed unam vel alteram causam (in titul. 29, libri 1 decret., n. 11). Nihilominus dicta exceptio mihi non videtur satis firmari per adductas rationes. Nam quod *nonnisi delegatus a principe causam valeat alii delegare*, est regula certa : quod vero ab hac regula excipiatur delegatus ab Episcopo ad universalitatem causarum, innuunt quidem canonistæ ex quibusdam juris civilis Romani textibus, non autem ex ulla lege ecclesiastica. Unde tuto non videtur agere delegatus ab Ordinario non-principe, etiamsi ad universale aliquod genus causarum commissionem acceperit, si alteri subdeleget ; nisi certo constet de legitima quoad regionem consuetudine.

5. Quod autem possit Ordinarius non-princeps statuere, ut per suum delegatum causa committi queat tertio, non quidem nomine delegati, sed *nomine Ordinarii*, videtur omnino certum. Sed tunc iste tertius non erit *subdelegatus*, sed potius delegatus ; utpote commissionem accipiens, non a delegato, sed ab ipso Ordinario.

## III.

*Requisitæ qualitates ut quis possit tanquam judex ecclesiasticus delegari vel subdelegari.*

1. Solent canonistæ tanquam certam præmittere hanc generalem regulam, *delegari omnes posse qui non prohibentur*. Quæ quidem regula vera est, sed determinandum relinquit, quinam illi sint quos, jura prohibent delegari.

2. Delegari nequeunt surdi-muti, perpetuo amentes, infantes, et impuberes qui discretione carent. Constat ex jure naturali, ut patet.

3. Infames et excommunicati, ut constat ex positivis Ecclesiæ legibus, quas vide citatas a Schmalzgrueber (in tit. 29, libri 1 decretalium, n. 12).

4. Servi et fœminæ; quia ita usu generali receptum; qui usus vim universalis legis obtinet.

5. Quoad ætatem requisitam jus sufficienter exponit sequens decretalis Gregorii IX : *Cum vigesimum annum peregeris, dari potuisti in ætate hujusmodi delegatus. Cæterum constituto intra ætatem eamdem* (*nisi partes scienter consentirent in eum qui annum* 18 *transcendisset*) *facta delegatio ab alio quam a Principe non teneret* (capite *Cum vigesimum* 41, tituli 29, libri 1 decretalium). Cujus decretalis summa in titulo ipsi præfixo concinne sic describitur : *major* 20 *annis potest a quocumque dari delegatus. Idem in majori* 18, *dummodo interveniat consensus partium. Minor vero* 18, *non potest dari nisi a Principe.*

6. A Papa delegari potest etiam laicus; ita unanimiter doctores, ob plenitudinem nempe pontificiæ potestatis.

Atvero ab aliis Ordinariis delegari nequit nisi clericus. Ita communis et omnino certa doctorum sententia. *Decernimus* (ait Eugenius Papa in synodo anni 1148), *ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant. Sed Episcopi, Abbates, Archiepiscopi, et alii ecclesiarum Prælati de negotiis ecclesiasticis* (*maxime de illis*

*quæ spiritualia esse noscuntur*) *laicorum judicio non disponant.* (Capite *Decernimus* 2, *de Judiciis* 1, libri 2 decretalium.) Idem exprimunt alii juris textus, verbi gratia, caput *Cum laicis* 12, *de Rebus eccl. non alienandis.* Putarunt tamen non pauci canonistæ, ab Episcopo delegari probabiliter posse laicum ad causas *mere civiles* clericorum. Atvero eam opinionem admittere non permittit caput *Significasti* 18, *de Foro competenti*, in quo sic Gregorius IX : *Clerici in judicem non suum* (*nisi forte sit persona ecclesiastica, et Episcopi diœcesani voluntas accedat*) *consentire non possunt.*

7. De jure ordinario, delegatus a Papa debet esse in dignitate ecclesiastica constitutus, vel personatum obtinere, vel esse alicujus cathedralis canonicus, vel Officialis seu Vicarius generalis Episcopi, vel Prior conventualis : *Decernimus* (ait Bonifacius VIII, c. *Statutum* 11, *de Rescriptis*, in 6) *ut nullis, nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis, causæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejusdem de cætero committantur.* In clementinis autem (capite *Et si principalis* 2, *de Rescriptis*) sic disponitur : *Et si principalis officialis Episcopi, aut religiosus conventualem obtinens prioratum.., a Sede Apostolica vel Legato ejusdem dari valeat delegatus, in officiali tamen foraneo, aut religioso monasterii sui Priore claustrali, neque hoc volumus observari.*« Sub « nomine *prioris conventualis* hic veniunt etiam Præpositi, Re- « ctores, Guardiani, aliique omnes quocumque nomine nuncu- « pati superiores conventuales regularium : nam etiam isti « censentur esse in dignitate ecclesiastica, ad hoc ut esse pos- « sint delegati apostolici. » (Ferraris, v. *Delegatus*, n. 31.) Vigere autem etiam hodie jus in citatis duobus decretalibus contentum, dubium non est ; cum nulla contraria lege aut consuetudine abrogatum fuerit.

Diximus *de jure Ordinario ;* quia de plenitudine potestatis potest Papa delegare clericos qui prædictas qualitates non haberent, immo etiam laicos, ut supra dictum fuit. Atvero ex eo quod *de jure Ordinario* delegati Pontificii esse nequeant nisi

dictis qualitatibus vestiti, sequitur nullum fore et pro nullo habendum rescriptum Papale, quo aliquem his qualitatibus carentem delegaret, nisi contineret clausulam *ex certa scientia*, vel aliam dicto juri ordinario derogantem.

8. Delegatus autem Episcopi vel alterius inferioris Ordinarii potest esse simplex clericus, quamvis nec canonicus nec in dignitate constitutus. De quo nulla inter doctores controversia.

9. An delegatus possit esse quoad eamdem causam multiplex? Respondent affirmative unanimiter canonistæ. Nulla enim est ratio vel lex, quæ prohibeat ne causa committatur pluribus potius quam uni; imo constans fuit et permanet in Ecclesia causas pluribus committendi praxis, ut præter alia documenta innumera, testatur Celestinus tertius his verbis : *Illa quippe fuit antiqua Sedis Apostolicæ provisio, ut hujusmodi causarum cognitiones, duobus quam uni, tribus quam duobus libentius delegaret.* (Cap. *Prudentiam* 21, tituli 29, libri 1 decret.)

## IV.

*Quomodo procedere possint vel debeant delegati, quando plures ad eamdem causam dirimendam deputati sunt.*

Eam difficultatem solvemus præmittendo varias de hac re decretales, et postea determinando quid juris ex iis textibus sequatur.

Sic decrevit Bonifacius VIII : « Cum plures, sub illa forma, « *ut omnes aut duo vel unus eorum mandatum apostolicum exe-* « *quantur*, aut alia consimili, judices vel executores a Sede « Apostolica deputari contingit, ipsorum quilibet injunctum « potest libere adimplere mandatum. Porro uno eorum nego- « tium inchoante commissum, alii nequibunt se ulterius intro- « mittere de eodem, nisi vel infirmitate, vel alia justa causa « illum contingeret impediri : aut si nollet, vel malitiose in « eo procedere recusaret. » (Cap. 8, tituli 14, libri 1, in 6.)

In capite *Causam* (16, tituli 29, libri 1 decretalium) sic habetur : *Cum causa duobus committitur, sententia unius non tenet.*

In capite *Prudentiam* (21, tituli 29, libri 1 decret.) : *Supplicas informari, utrum, cum tribus causa committitur, ita quod si omnes interesse nequiverint, duo eam nihilominus exequantur, si Reus a duobus tantum fuerit convocatus, venire necessario teneatur : et si citatus a pluribus coram duobus comparuerit, tertio nec veniente per se, vel per litteras (ut solet fieri) excusante, an duo præsentes in causa possint procedere, et eam sententiæ calculo terminare? In hoc casu taliter respondemus, quod cum aliquis delegatorum judicum, per certum nuntium vel excusatorem litteratorie destinatum, non ostenderit se interesse non posse, vel alias de eodem canonice constare non poterit, residui procedere ad causæ cognitionem non debent : quod si processerint, nihil reputabuntur egisse. Illa quippe fuit antiqua Sedis Apostolicæ provisio, ut hujusmodi causarum cognitiones, duobus quam uni, tribus quam duobus libentius delegaret... Mandati siquidem excedere fines probaretur, si quis citra formam rescripti accepti præsumeret judicare. Adjicimus etiam quod, ubi fuerit in commissione appositum, ut si omnes interesse nequiverint, duo eam nihilominus exequantur, si quis ex ipsis, cum possit, noluerit interesse, duo nihilominus in causa procedant ; licet ille tertius gravissime sit arguendus pro eo quod mandatum apostolicum exequi subterfugiat aut contemnat. Idem quoque per omnia dicimus observandum in causa quæ committitur duobus, eo apposito, ut si ambo interesse nequiverint, alter nihilominus exequatur.*

Ex citatis textibus sequitur triplicem distinguendum esse casum :

*Primo,* casus formulæ *ut omnes aut duo vel unus eorum mandatum apostolicum exequantur.* Quando hæc formula mandato inseritur, signum est delegatos deputari *in solidum.* Tunc vero datur locus præventioni, ita ut si unus de causa sine cæteris cognoscere cœperit, alii se intromittere nequeant. Possent tantum se intromittere, si ille qui prius causam cognoscere cœpit, infirmitate vel alio obstaculo impediretur, vel malitiose

procedere recusaret. Ita clare disponit citata decretalis *Cum plures;* et in ea sic interpretenda concordant canonistæ. Item ex eadem decretali sequitur, si omnes, vel plures ex delegatis, simul incipiant causam cognoscere, jam non posse unum dumtaxat procedere; sed totum judicium expediendum esse ab iis omnibus, qui una cœperunt causam cognoscere. Cæterum si per plures negotium expediatur, valebit sententia majoris numeri: si dissentiant, et stet utrinque æqualis numerus, ad delegantem est recurrendum.

*Secundo,* casus formulæ, *ut si omnes interesse nequiverint, reliqui mandatum exequantur*. In hoc casu nullus potest valide procedere, nisi prius canonice constiterit cæteros qui non adsunt impediri. Unde si tres, verbi gratia, delegati fuerint, et duo processum incipiant, antequam per instrumentum publicum constet tertium non potuisse venire, processus nullus erit et irritus : et idem dicendum si duo tantum delegati sint, et unus procedat, antequam certior per instrumentum publicum fiat de impedimento alterius. Potest autem accidere, ut unus ex delegatis, licet legitime non impediatur, ire tamen ad judicandum cum aliis recuset : et tunc quidem ille graviter peccat; sed alii, certiores de ipsius recusatione facti, possunt valide procedere, eodem modo ac si iste legitime fuisset impeditus. Quæ omnia constant ex textu supra citatæ decretalis *Prudentiam*. Posuimus tantum in casu formulam, *si omnes interesse nequiverint, reliqui mandatum exequantur :* sed quæ diximus intelligenda sunt, etiam de qualibet alia formula æquivalente, ut patet. Æquivalens autem est v. g. formula qua disponitur (quando duo tantum delegantur), *ut si ambo interesse nequiverint, unus mandatum expediat*. Cæterum si per plures negotium expediatur, tenet sententia majoris eorum numeri. Et in casu æqualis hinc inde inter judices oppositionis, ad delegantem est recurrendum.

*Tertio,* casus nullius additæ clausulæ, seu *simplicis*, ut dicunt, deputationis. Tunc nullis censetur facta facultas sine aliis judicandi. Unde si unus absit, quamvis legitime

impeditus vel etiam morte sublatus, cæteri valide procedere nequeunt. Item tunc censentur deputari *collegialiter*, ita ut nempe ea sententia valeat, cui major pars eorum adhæret. Hinc si dissentiant, et utrinque æqualis stet numerus, nihil concludetur, et ad delegantem recurrendum erit. Quæ omnia sequuntur ex citata decretali *Causam*, in qua disponitur : *Cum causa duobus committitur, sententia unius non tenet*. Fusius autem exposita hæc videri possunt apud Pirrhing, aliosque canonistas, ubi titulum 29 libri primi decretalium commentariis suis illustrant.

Prædictæ vero conclusiones, de modo quo delegati possint vel debeant procedere, etiam ad hodiernum jus pertinere omnino censendæ sunt. Sequuntur enim ex genuino sensu formularum quæ solent mandato inseri : qui sensus non mutatur cum tempore. Unde si hodie delegati deputentur, formula eorum mandati non debebit aliter intelligi ac olim intelligi debuisset ; quia tandem tota potestas delegatorum, hodie sicut olim, pendet a voluntate delegantis, quæ ex mandati formula intelligenda est.

## V.

### *De officio delegati judicis.*

1. Delegatus non potest procedere ante sibi præsentatum delegationis rescriptum. Constat ex decretali Alexandri III : *Si autem intra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cum judices contigerit litteras recepisse* (cap. *Super eo* 12, tituli 28, libri 2 decret.). Præterea, ut modo dicemus, debet litteras delegationis in forma authentica exhibere partibus ; ergo necesse est ut eas receperit. Unde *primo*, in rescripto non attendi debet tempus *datæ*, sed *præsentatæ*. *Secundo*, processus inchoatus ante præsentatum judici delegato delegationis rescriptum, est irritus cum actis omnibus ; nec secuta præsentatione convalescunt, quia facta sunt a non

habente jurisdictionem. *Tertio,* id verum est etiamsi ante processus inchoationem privatim sciverit sibi causam delegatam fuisse; quia requiritur ut istud sciat authentice per rescripti præsentationem. Ita communiter canonistæ, dum illustrant titulum 29, libri 1 decretalium.

2. « Litteras seu mandatum delegationis suæ in forma au-« thentica exhibere debet, ejusque copiam facere partibus liti-« gantibus coram se comparentibus, ut fides ipsi habeatur de « accepta potestate; alioquin necessario ipsi parendum non « est; neque Ordinarius loci, vel alius, cui delegatus etiam Se-« dis Apostolicæ aliquid mandat, exequi illud tenebitur. » (Schmalzgrueber, in tit. 29, lib. 1 decret., n. 25.) Probatur autem ex capite *Cum in jure* (31, tituli 29, libri 1 decret.), quo Innocentius III Bajocensi Episcopo, an teneretur exequi mandatum Apostolicum de quo sibi non facta fuisset fides sciscitanti, rescribit: *Nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiteris, exequi non cogeris quod mandatur.*

« Ratio est, ait Schmalzgrueber (*citato loco*), *primo,* quia « in quolibet territorio præsumptio est pro judice Ordinario: « igitur alius in eo judicandi potestatem habere non creditur, « nisi delegationem suam, editis istius litteris, probet. *Secundo,* « quia delegatio est quid facti; factum autem regulariter non « præsumitur, sed probari debet. *Tertio,* jurisdictio qualitas « est quæ homini, nec a natura, nec ordinarie inest, sed uni aut « alteri competere potest; et consequenter ante omnia est « probanda. Hinc salubriter monent doctores, ut is pro quo a « delegato Papæ lata est sententia, tam hanc quam delega-« tionem seu commissionem pari cura custodiat; ut si cum « tempore super eadem causa conveniretur, tam sententiam a « delegato latam, quam delegationem eidem factam, legitime « probare possit. »

Subjungit tamen Schmalzgrueber nonnullas ad prædictam regulam exceptiones. Delegatum nempe ab Ordinario non-principe commissionem suam posse per testes probare. Item delegatus a Papa, licet *regulariter* exhibere debeat rescriptum

Apostolicum, ad id tamen non teneri, *primo,* si partes litigantes, et judex ordinarius in cujus territorio constituitur, sine illis fidem dare velint delegato asserenti se habere mandatum : *Secundo,* si ipse delegans præsens sit, ita ut facile ex ipso quæri possit an potestatem ei delegaverit : *Tertio,* si ante exhibitas ejusmodi litteras, partes litigantes coram delegato litem sint contestatæ.

3. Non debet delegatus procedere ultra id quod in ipsius mandato exprimitur. Alias irrita erunt ejus acta. Id extra controversiam est, et firmatur pluribus juris sacri textibus (quos vide indicatos apud Schmalzgrueber, loco cit., n. 28). Imo sequitur ex jure naturali; cum delegatus non habeat nisi eam jurisdictionem quam a delegante recipit. Ast huic regulæ generali derogare videntur quidam casus; qui tamen si bene perpendantur proprie non derogant, nec sunt tanquam exceptiones habendi. Nempe,

*Primo,* potest delegatus cognoscere de connexis et accessoriis causæ sibi delegatæ, licet id in mandato non exprimatur : quia nempe ita ipsi concedere merito censetur delegans. Constat ex responso Alexandri III ad Senonensem Archiepiscopum. *Præterea* (ait Pontifex) *super hoc quod Nos consulere voluisti, utrum liceat judici delegato non Ordinario cogere contumacem ut veniat, aut damnare si non venerit? hoc tibi auctoritate præsentium innotescat, quod, postquam ei causa, licet simpliciter, delegatur, satis potest nostra auctoritate partes compellere, et etiam contumaces severitate ecclesiastica coercere, etiamsi litteræ commissionis id non contineant, aut partes mandatum nostrum non habeant ut accedant. Quia ex eo quod causa sibi committitur super omnibus quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem.* (Cap. *Præterea* 5, tituli 29, libri 1 decretalium.) Connexa et accessoria causæ, sunt de iis *quæ ad causam ipsam spectare noscuntur;* ac proinde, sunt de iis super quibus, ut ait citata decretalis, *plenariam recipit potestatem* delegatus.

*Secundo,* potest delegatus a stricta et litterali rescripti

observatione recedere, quando id suadet evidens æquitas, aut necessarium est ut Reus sese defendere possit. « Quia, ait « Schmalzgrueber, Papa rescribendo non censetur derogare « juri partium. » (In tit. 29, l. 1 decret., n. 28.)

*Tertio*, item quando partes renuntiant favori per formam rescripti ipsis concesso. Verbi gratia, si rescriptum præscribat causam judicari in tali loco, poterit, consentientibus partibus, in alio judicari; modo tamen iste alius locus jurisdictioni delegantis subjaceat, vel (si non subjaceret) modo ille consentiat cui subjectus est. *In nullo quoque* (ait Bonifacius VIII) *casuum prædictorum judex extra civitatem seu diœcesim, in quibus deputatus fuerit citet partes, nec de causa sibi commissa cognoscat, nisi ad id expressus accesserit earumdem assensus.* (Cap. *Statutum* 11, tituli 3, libri 1, in 6.)

In his autem, et si qui similes alii sint, casibus, licet delegatus a littera rescripti videatur tantisper recedere, non tamen proprie excedit potestatem sibi concessam; sed dumtaxat eam potestatem ex legitima circa delegantis mentem interpretatione æstimat.

## VI.

### *De potestate delegati judicis.*

Delegati potestas metienda est, tum ex potestate delegantis, tum ex mandato concesso. Unde certum est delegato competere non posse jurisdictionem qua caret delegans: sed vicissim, ex eo quod aliquid possit delegans, non continuo concludendum est idem posse delegatum; hic enim non aliud potest quam quod ille per mandatum concesserit.

Nihilominus eam saltem potestatem delegatus semper habet, ipso facto quod delegatur, sine qua mandatam sibi jurisdictionem exequi non posset. Quænam illa sit potestas, ex solo delegationis facto fluens, hic breviter indicandum venit.

1. Potest citare partes inter se contendentes ut compareant: et, si legitime citatæ comparere, aut ejus mandato alias parere contumaciter recusent, illas potest remediis opportunis ad id compellere. Ita communiter doctores; et constat capite *De causis* (4, tituli 29, libri 1 decretalium), quo sic decernit Alexander III: *Illis etiam qui pro causis tibi commissis ad citationem tuam venire, aut tuo super his parere judicio neglexerint, si tale fuerit negotium, quod certa exinde pœna in canonibus exprimatur, eamdem infligas; alioquin ipsos, pro delicti qualitate et causæ, secundum tuum arbitrium punire procures.* Quod et applicandum venit subdelegato, cui causam commisit delegatus Papæ, ut deducitur ex capite *Ex litteris* (29, tituli 29, libri 1 decretalium).

2. Hanc potestatem puniendi et compellendi exercere potest, non solum in partes litigantes, sed etiam in alios qui jurisdictionem ejus vel processum causæ impediunt, aut malitiose retardant: *tam eos qui trahuntur ad causam, quam principales eorum fautores (si eos manifeste cognoveris justitiam impedire) districtione ecclesiastica poteris coercere* (Alexander III loquens de Sedis Apostolicæ delegatis, capite *Quia quæsitum* 1, tit. 29, libri 1 decret.). Quod etiam procedit quoad Episcopum, qui delegatum Papæ in exercitio jurisdictionis suæ impediret; ut constat ex decretali *Sane* Alexandri III ad Carnotensem Episcopum: *Tuæ quæstioni duximus respondendum, quod judex a Nobis delegatus vices nostras gerit: unde in causa illa superior est et major illis quorum causam suscepit terminandam: ideoque si Episcopus vel alia persona quæ non sit de jurisdictione illius, in causa quam ei delegamus, rebellis aut contumax fuerit, secundum qualitatem facti poterit vel interdicti, vel suspensionis sententia a judice delegato compelli: ita quod judex secundum negotii qualitatem temperate procedens, Episcopo vel ingressum Ecclesiæ, vel sacerdotale officium interdicat, aut etiam terram illius, quæ ad jurisdictionem suam pertinet, specialiter interdicto supponat.* (Capite *Sane* 11, tituli 29, libri 1 decretalium.) Circa hanc decretalem disputant canonistæ, an posset Papæ delegatus inter-

dicto subjicere terram quæ non pertineret *specialiter* (id est etiam quoad dominium temporale) ad Episcopi jurisdictionem : quia nempe ambiguum est utrum vox *specialiter* conjungenda sit cum præcedenti *pertinet,* an potius cum sequentibus *specialiter interdicto supponat;* quam quæstionem, utpote minus utilem omittimus. Addemus tantum moneri per jura ipsa delegatum Papæ, ut mitius agat in Episcopum (propter eminentiam episcopalis dignitatis), quam in alios (capite *Pastoralis* 28, tituli 29, libri 1 decret.); *nisi forte* (ut dicitur capite *Quia pontificali* 2, *de Officio et pot. jud. deleg.,* in 6) *aliter fieri suaserit nimia contumaciæ protervitas, seu culpa.*

3. « Potest judex delegatus, si ei pars citata objiciat juris-« dictionis defectum, cognoscere regulariter num sua sit ju-« risdictio ; prout sumitur ex capite *Ex parte* 33, *de Rescriptis.* « Et hinc discrimen est inter judicem ordinarium et delega-« tum : nam judex ordinarius tantum potest cognoscere an « sua sit jurisdictio, quando ipsi objicitur quod non sit com-« petens respectu partis citatæ ; non vero quando ipsi obji-« citur quod nullam habeat jurisdictionem. Advero delegatus « cognoscere potest num sua sit jurisdictio, etiamsi pars citata « ipsi objiciat, quod nullam jurisdictionem habeat, ex capite « quod dicat rescriptum delegationis esse invalidum. Ratio « disparitatis est, quia judex ordinarius, cum defectus omnis « jurisdictionis ipsi objicitur, hanc fundatam non habet ; et « hinc nec pronuntiare interlocutorie de illa potest, ne judicet « directe in causa propria. At judex delegatus, cum omnia « agat nomine delegantis, de cujus jurisdictione ut supponitur « nullum movetur dubium, ipse quoque jurisdictionem fun-« datam, consequenter etiam potestatem habet cognoscendi « utrum litteræ delegationis, a delegante datæ, sint validæ. » (Schmalzgrueber, in tit. 29, libri 1 decretalium, n. 34.)

« Potest delegatus absolvere actorem ab excommunicatione, « quam incurrit post rescripti impetrationem, ob causam per-« tinentem ad eam, ob quam delegatio facta est ; nisi illa sit « specialiter reservata Papæ. » (Schmalzgrueber, ibid., n. 35.)

Ita disponit decretalis *Prudentiam* Cœlestini III (capite 21, tituli 29, libri 1 decretalium, § 2). « Ratio est quia, cum excom-« municatio a communicatione forensi removeat, ita necessarium « est, ut causa principalis per delegatum expediri possit. Ad-« didi *ob causam pertinentem, etc.:* nam si ob causam diversam, « et ad eam quæ delegata est non pertinentem excommunicatus « est, ad excommunicatorem est remittendus. Qui si absolvere « eumdem renuat, videndum an ex justa causa renuat, an per « malitiam. Si hoc secundum, juxta paragraphum citatum « (nempe § 2, dicti capitis *Prudentiam*), ipse delegatus absol-« vere eumdem poterit. Si vero primum, absolvi a delegato « non poterit, ac proinde ab agendo ipse repellendus, et Papa « de statu causæ informandus est... Si causa dilationem non « pateretur.., excommunicatus posset a delegato absolvi *ad* « *reincidentiam*, sive ad præsentem tantum actum judicialem « exercendum ; ita ut isto peracto in excommunicationem « reincidat.» (Schmalzgrueber, loco cit.)

5. Quando reus intra præfixum terminum non comparet, et causam legitimam absentiæ non habet ; et aliunde actor probat se fuisse in possessione, et postea spoliationem passum fuisse ; potest delegatus actorem in possessionem restituere. Ita quippe disponit decretalis *Consultationibus* Alexandri III (cap. 10, tituli 29, libri 1 decretalium).

6. « Potest delegatus a Papa, non tantum de causa sibi com-« missa cognoscere et super ea ferre sententiam, sed etiam « latam exequi, ut constat ex capite *Significasti* (7, tituli 29, « libri 1 decretalium) : pro quo habet annum integrum conti-« nuum, a lata sententia numerandum (capite *Quærenti* 26, ti-« tuli 29, libri 1 decret.).

« An idem dicendum sit etiam de delegato a judice ordinario « inferiore, controvertunt doctores... Sed retinenda est affir-« mativa sententia tanquam probabilior.» (Schmalzgrueber, in titulum 29, libri 1 decretalium, n. 37.)

7. Sæpe evenit ut delegatus a Papa sententiam suam per seipsum suosve ministros non exequatur, sed ordinario judici

exequendam mandet; quia per illum melius fieri potest, cum officiales idoneos habeat, quales plerumque non habet ipse judex delegatus. Quo casu quæritur an ordinarius parere teneatur, id est, delegati Pontificii sententiam exequi? Affirmative respondent doctores communiter: « Potest delegatus Papæ « (ait Pirrhing) executionem sententiæ a se latæ etiam judici or- « dinario demandare; cui ordinarius obedire debet, et a quo « compelli potest ad parendum et exequendum; quippe qui « ipso ordinario in hac causa major et superior est » (in tit. 29, libri 1 decret., sect. 4, § 3, n. 93). Id tamen intelligendum est *regulariter*: nam si ordinarius sciat injustam esse delegati Pontificii sententiam, aliqua oritur inter doctores controversia; quam vide apud Schmalzgrueber (in tit. 29, libri 1 decret., n. 38).

8. « Delegatus Sedis Apostolicæ ad sententiæ a se latæ exe- « cutionem, non tantum censuris, aliisque similibus remediis, uti « adversus contumaces et illam impedientes potest, sed etiam, « si ita necessarium fuerit, brachii sæcularis auxilium implo- « rare: quod etiam, si legitime illud imploraverit, denegari « eidem non potest; et si hoc judex sæcularis indebite neget, « ad id exhibendum a delegato ecclesiasticis censuris compelli « poterit. Colligitur ex canone *Administratores* (26, causæ 23, « quæst. 5). Proceditque hoc, ut auxilio isto uti delegatus « possit, etiamsi non sit munitus speciali clausula, qua hujusmodi « imploratio eidem permittatur. » (Schmalzgrueber, in tit. 29, lib. 1 decretalium, n. 39.)

## VII.

### *Quomodo cesset judicis delegati jurisdictio.*

1. Cessat per mortem delegati, si delegatio ipsi personaliter, id est, expresso proprio ejus nomine, facta sit. Tunc scilicet delegati jurisdictio neque ad ejus hæredes, neque ad ejus successores transit. De quo nulla est controversia. Quod juris-

dictio delegati judicis ecclesiastici ad hæredes non transeat, probatione non indiget; cum absurdum sit supponere delegantem voluisse judices constituere hæredes delegati mortui. Quod neque transeat ad successorem delegati in eadem dignitate sive officio, eruitur ex eo quod delegatio facta fuerit expresso delegati nomine proprio; si enim delegans voluisset jurisdictionem transire ad ejus in eodem officio successores, delegatum designasset per nomen dumtaxat ipsius officii; dicendo, verbi gratia, *Hispalensi Archiepiscopo committimus*. Probatur insuper regula juris 7, in 6: *privilegium personale personam sequitur;* et regula 42 ibidem: *accessorium naturam sequi congruit principalis.*

Atvero si delegatio facta sit, non intuitu personæ et expresso proprio ejus nomine, sed intuitu dignitatis quam gerit (dicendo, verbi gratia, *delegamus officiali Burdigalensi,* tacito proprio illius officialis nomine), certum est jurisdictionem cum delegato non expirare, sed ad ipsius successorem transire; et hoc etiamsi causa adhuc sit integra, id est, nundum incepta, quando delegatus moritur. Sequitur ex eo quod tunc delegans jurisdictionem alliget, non personæ, sed dignitati; quæ nequaquam moritur, sed eadem in successore ac in prædecessore existit ac permanet. Eam autem jurisdictionis ad successores transmissionem probant canonistæ ex capite *Quoniam* (14, tituli 29, libri 1 decretalium); ibi nempe Summus Pontifex sententiam confirmat cujusdam Abbatis, qui delegatus ipse non fuerat, sed successerat delegato. Quam decisionem Pontifex fundat ea ratione: *quia sub expressis nominibus locorum et non personarum commissio emanavit.*

2. Expirat jurisdictio delegati per mortem delegantis, si res est adhuc integra; secus si causa commissa jam incepta fuit. Id probari solet capite *Licet* 30, capite *Relatum* 19, et capite *Gratum* 20, tituli 29, libri 1 decretalium; atque etiam erui potest ex capite *Quamvis* (6, *de Offic. et potest. jud. deleg.*, in 6). Transcribemus dumtaxat, ex citatis decretalibus, duas illas, quæ difficultatem aliquam faciunt circa modum intelligendi quandonam *causa adhuc integra* censenda sit: sic Lucius III anno

1183: *Nos itaque consultationi vestræ respondemus, quod si lis fuerit ante prædecessoris nostri obitum contestata, mandatum morte mandatoris nullatenus expiravit. Si vero ante litis contestationem decessit, non est a judicibus quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum* (c. *Relatum* 19, tit. 29, l. 1 decret.). Anno vero 1186, simili consultationi respondebat Urbanus III: *Cum, citatione facta, negotium sit quasi cœptum, et maxime si delegatus non sit certus de obitu delegantis, potest et debet in causa procedi, tenebitque quod justitia fuerit prævia definitum* (cap. *Gratum* 20, tit. 29, libri 1 decret.).

Hinc celebris olim apud canonistas quæstio, utrum causa desinat esse integra statim post factam partium citationem, an vero dumtaxat post inceptam litis contestationem? Prius enim dicendum videtur ex citata decretali Urbani III, stante in contrarium Lucii III decreto. Sed communior evasit et in praxi prævaluit sententia quæ tenet, facta citatione, jam integram causam non esse. Ad decretalem autem Lucii III responderi solet, eam fuisse quoad hoc ab Urbano III correctam. Imo, ut causa desinat esse integra, sufficit prodiisse citationem; non autem necesse est, ut ad partes pervenerit. (De quo vide Ferraris, v. *Delegatus*, n° 61.)

3. Si delegatio facta sit intuitu personæ, non intuitu dignitatis, licet delegatus amittat suam dignitatem et officium, jurisdictionem *regulariter* non amittit. « Ratio est (ait Schmalzgrueber, in tit. 29, libri 1 decretalium, n. 47) quia tali casu sola persona in considerationem venit; adeoque delegatio illam sequitur instar privilegii personalis..., neque refert an res adhuc sit integra vel non. »

Objicies quidem, non posse quemquam esse delegatum Sedis Apostolicæ ad causas judicandas, nisi in dignitate constitutum, vel cathedralis Ecclesiæ canonicum: amissa igitur dignitate vel canonicatu, sive per renuntiationem, sive alio modo, amitti simul a delegato jurisdictionem. Sed respondetur satis esse ut delegatus fuerit canonicus, aut in dignitate constitutus, quando ei causa demandata est: non

autem requiri, ut post acceptam delegationem talis permaneat.

4. Dantur tamen casus nonnulli, in quibus delegatus, per status sui mutationem jurisdictionem amittit, licet personalem seu intuitu personæ ipsi concessam ; et ideo in præcedenti conclusione posita fuit vox *regulariter*. Eos autem casus sic enumerat Schmalzgrueber (in tit. 29, libri I decretalium, n. 47) : 1° si delegatus in delicti pœnam privatus sit officio vel dignitate...; 2° si delegatus deposita dignitate transisset ad statum incompatibilem, exempli gratia ducendo uxorem, et sic jurisdictionis ecclesiasticæ fiat incapax; 3° si religionem ingressus fuerit, non quamcumque, sed talem, in cujus constitutionibus causarum delegatarum cognitio et executio specialiter prohibetur.

5. Cessat jurisdictio delegati per revocationem delegationis, à delegante vel ejus superiore factam. Et sic tenent communiter Doctores.

Statuendum tamen est discrimen inter primum delegantem et subdelegantem : primus delegans revocare potest jurisdictionem in totum, etiam causa jam incepta. Atvero alia est conditio ejus qui subdelegavit : is enim, vel subdelegavit in totum, vel aliquam dumtaxat causæ partem : Si prius, jam censetur officio suo functus, nec potest, causa incepta, jurisdictionem a subdelegato revocare : si posterius, cum aliquid jurisdictionis sibi reservaverit, poterit, etiam causa incepta, subdelegationem revocare. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 29, l. 1 decretalium, n. 45; et Ferraris, v. *Delegatus*, n. 70: qui rem variis textibus juris probant.)

6. Cessat jurisdictio delegati quando sententiam pronuntiavit, eamque executioni mandavit vel mandari præcepit. Constat ex capite *In litteris* (9, tituli 29, l. 1 decretalium). In quo sic Alexander III : *Ex quo judex delegatus per se vel per alium sententiam executioni mandavit, vel mandari præcepit, ejus auctoritas et jurisdictio cessat ; quia semel est officio functus.* Quando ergo delegatus hoc præstitit, non potest amplius sese

causæ intromittere. Proceditque hoc, sive bene, sive male pronuntiaverit : imo etiamsi *nulliter* judicaverit; de quo vide Schmalzgrueber (in tit. 29, libri I decretalium, n. 40), qui aliquas exceptiones huic generali regulæ subdit ; eas tamen non satis (ut mihi videtur) probando.

7. Finitur delegati officium, finito quocumque modo negotio. Finiri autem negotium potest per transactionem, compositionem, accepti lationem, aut pactum de non petendo. Et quoad delegatum finita censetur causa, quando eam in totum alteri subdelegavit, et is subdelegata sibi jurisdictione uti cœpit.

8. Item desinit delegati potestas, si interloquendo pronuntiet sibi nullam jurisdictionem in causa delegata competere, eo quod rescriptum delegationis invalidum sit. Constat ex capite *Significantibus* (38, tituli 29, libri 1 decretalium); in quo videmus rescissam fuisse sententiam quorumdam judicum, qui primum se jurisdictionem non habere (ob rescripti obtenti nullitatem) interloquendo pronuntiaverant, et postea causam reassumendo de ea judicaverant. Cui tamen regulæ has addit exceptiones Schmalzgrueber (in tit. 29, lib. 1 decretalium) : « excipitur 1° nisi pars impetrans rescriptum a « tali sententia interlocutoria appellaverit... Excipitur 2° si « delegatus pronuntiet sibi non competere jurisdictionem « super quæstione incidente tantum. »

9. Cessat jurisdictio delegati, quando tanquam suspectus fuit recusatus, et pronuntiatum est causam suspicionis esse legitimam. Constat tum multis aliis textibus, tum capite *Judex* (5, tit. 14, in 6) : *Judex ab Apostolica Sede datus, quamvis legitime recusari valeat ut suspectus, potest licite vices suas committere, antequam recusatio contra ipsum proponatur. Et si in totum commiserit, recusari ulterius, aut facta per eum commissio impugnari, nequibit : quod posset si sibi de jurisdictione aliquid reservasset. Post recusationem quoque propositam, committere (nisi de recusatoris procedat assensu) non potest : sed eo volente, hoc potest, etiamsi recusatio eadem sit probata : dummodo pronuntiatum non*

*fuerit super ea. Extunc enim (cum omnino judex esse desierit) nulla, etiam cum illius assensu, potest fieri commissio per eumdem.*

10. Cessat delegati jurisdictio (lapsu termini, seu temporis, ad dicendam causam præfixi; nisi terminus ille de consensu partium prorogetur. Ita siquidem expresse decrevit Alexander III, capite *de Causis* (4, tituli 29, lib. 1 decretalium) : *de Causis quæ intra certum terminum decidendæ committuntur hoc tuam volumus cognitionem tenere, quod nisi dies ab Apostolica Sede præfixus de communi consensu partium prorogetur, eo transacto mandatum expirat.*

## § VI.

### De judicibus conservatoribus.

1. Conservator dicitur judex delegatus seu deputatus a Papa, ad defendendos, aliquos ab injuriis, damnis et violentiis manifestis, absque judiciali causæ cognitione. Accuratam esse definitionem illam satis constat ex decretali Innocentii IV, qua sic disponitur : *Statuimus ut conservatores quos plerumque concedimus, a manifestis injuriis et violentiis defendere possint quos eis committimus defendendos : nec ad alia quæ judicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem.* (C. 1, tituli 14, in 6.)

2. Præcipuas de conservatoribus juris dispositiones exhibet sequens Bonifacii VIII decretalis : « Hac constitutione perpe« tuo valitura sancimus, ut conservatores qui aliquibus (ut a « manifestis injuriis et violentiis tueantur eosdem) plerumque « a Sede Apostolica conceduntur, de cætero deputari non « possint nisi Episcopi, vel eorum superiores, aut Abbates, « seu dignitates vel personatus in cathedralibus vel collegia« tis Ecclesiis obtinentes : nullusque deputati sibi conserva« toris esse valeat conservator ; nec aliquis (regibus et regi« nis... exceptis) deinceps conservatorem habeat eum, qui

« sub ipsius jurisdictione, dominio, vel districtu ecclesiastico « vel temporali existat. Conservatores autem hujusmodi extra « civitates, seu diœceses in quibus fuerint deputati, contra « quoscumque procedere, aut aliquos ultra unam dietam a « fine diœcesum eorumdem trahere non præsumant. Vices « quoque suas (citationibus, sententiarum denuntiationibus « dumtaxat exceptis, quas per alios valeant exercere) nulli « committere possint, nisi hoc eis competierit ex beneficio « litterarum : sed nec tunc, nisi intra civitates seu diœceses « in quibus deputati fuerint, et personis tantum quæ superius « sunt expressæ. Ut autem conservatores limites sibi traditæ « potestatis (quos frequenter excedunt) metu pœnæ diligenter « observent, decernimus ut si de aliis, quam de manifestis « injuriis et violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia « quæ judicialem indaginem exigunt, suam extenderint pote- « statem, eo ipso per unum annum ab officio suo sint suspensi. « Pars vero quæ hoc fieri procurabit, sententiam excommu- « nicationis incurrat : a qua non possit absolvi nisi ei, quem « sic fatigavit indebite, primo satisfaciat integraliter de expen- « sis. Officium autem quorumcumque conservatorum, ipso « jure quoad non cœpta negotia per obitum concedentis vo- « lumus expirare. Circa munera vero, et expensas, assessores « ac notarios, et personas testimonii causa vocandas, illa præ- « cipimus in hujusmodi conservatoribus per omnia observari, « quæ in delegatis judicibus constitutio a Nobis super his « edita decrevit. Quidquid autem contra præmissa vel eorum « aliquod attentari contigerit, omnino decernimus irritum et « inane. » (C. *Hac constitutione* 15, tituli 14, in 6.)

Ex hoc textu sequitur non posse in conservatorem deputari simplicem canonicum ; nec Vicarium generalem Episcopi, eo quod licet dignitatem obtineat, non tamen perpetuam ; nec priores conventuales et superiores mendicantium locales, ut declaratum a S. Congregatione testatur Barbosa (*de Officio Episcopi*, alleg. 106, n. 15). Cæterum decretalis dispositiones explicatione non indigent. Addendum solummodo est quod

statuit Leo X in bulla *Regimini ;* debere scilicet conservatorem esse, in alterutro saltem jure, doctorem : si vero doctor non sit, ab eo in consultorem assumendum esse graduatum, eumque partibus non suspectum.

3. Præmissa juris de conservatoribus expositio, usque ad Tridentinum concilium tota viguerat. Patres vero Tridentini, ad coercendos quosdam hinc exortos abusus, jus illud ex parte immutarunt. Unde nunc omnino attendenda est hujus Sacri Concilii dispositio, ad recte æstimandum conservatoris judicis officium et potestatem. Est autem hujusmodi : « Nemini om-« nino (cujuscumque dignitatis ac conditionis sit, etiamsi ca-« pitulum fuerit) conservatoriæ litteræ (cum quibuscumque « clausulis aut decretis, quorumcumque judicum deputatione, « quocumque etiam alio prætextu aut colore) concessæ, suf-« fragentur ad hoc, ut coram suo Episcopo sive alio superiore « Ordinario in criminalibus et mixtis causis accusari et conve-« niri, ac contra eum inquiri et procedi non possit ; aut quo-« minus, si qua jura ei ex cessione competierint, super illis « libere valeat apud judicem Ordinarium conveniri. In civi-« libus etiam causis, si ipse actor extiterit, ei apud suos con-« servatores judices in judicium trahere minime liceat. Quod « si, in iis causis in quibus ipse Reus fuerit, contigerit ut ele-« ctus ab eo conservator ab Actore suspectus esse dicatur, aut « si qua inter ipsos judices conservatorem et Ordinarium con-« troversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, ne-« quaquam in causa procedatur, donec per arbitros, in forma « juris electos, super suspicione, aut jurisdictionis competentia « fuerit judicatum. Familiaribus vero ejus, qui hujusmodi lit-« teris conservatoriis tueri se solent, nihil illæ prosint, præ-« terquam duobus dumtaxat ; si tamen illi propriis ejus sum-« ptibus vixerint. Nemo etiam similium litterarum beneficio « ultra quinquennium gaudere possit. Non liceat quoque con-« servatoribus judicibus ullum habere tribunal erectum. » (Sess. 14, c. 5.) Hoc quidem Tridentino decreto fere extincta remansisset conservatorum judicum potestas, nisi patres ex-

presse ab eo exceptas declarassent universitates, necnon ordines regularium, collegia doctorum, et hospitalia, ut in fine citati capitis legitur.

4. Quoad ordines vero mendicantium, non tantum imminuta non fuit a Tridentina synodo conservatores habendi facultas, sed e contra ampliata est per bullas Gregorii XIII et S. Pii V; quarum substantiam sic contraxit Schmalzgrueber.

« *Primo,* ordines isti, præter personas supra recensitas, as-
« sumere in judices conservatores, imo et ordinarios, ad ser-
« vanda et tuenda sua jura et privilegia possunt, etiam ca-
« nonicos metropolitanarum vel cathedralium ecclesiarum,
« et vicarios Archiepiscoporum vel Episcoporum in spiritua-
« libus, eorumque officiales generales ubilibet constitutos.

« *Secundo,* iidem eligere sibi ejusmodi conservatores pos-
« sunt in quibuscumque causis sive criminalibus, sive civilibus,
« sive mixtis, sive actores sint, sive Rei.

« *Tertio,* conservatores sic assumpti cognoscere summarie
« et procedere sine strepitu judiciali possunt, non tantum in
« causis manifestis, sed etiam in iis quæ judicialem indaginem
« requirunt.

« *Quarto,* iidem conservatores ultra unam diætam, non tamen
« ultra tres diætas extra provinciam partes citare possunt.

« *Quinto*, possunt... vices suas aliis committere et subdele-
« gare.

« *Sexto,* eorum jurisdictio etiam quoad negotia nondum
« cœpta, imo futura tantum, morte concedentis non expirat. »
(In titulum 29, libri 1 decret., n. 54.)

« Sed hæc omnia (addit ibidem citatus auctor) intelligenda
« sunt cum moderatione quam in pluribus fecit Gregorius XIV,
« constitutione quæ incipit *Sanctissimus* 20 septembris 1621. »
De quo plenius in tractatu de ordinibus et congregationibus religiosis disseremus.

## CAPUT II.

### DE ACTORE ET REO.

Non omnes personæ habiles sunt ad standum in judicio tanquam actores vel Rei; sed, tum jure naturali, tum legibus ecclesiasticis, multæ ad id ineptæ decernuntur. Quænam autem illæ sint, hic exponendum venit.

I. *De infantibus, furiosis et amentibus.* — Isti, utpote qui nequeunt sua jura recte prosequi aut defendere, per seipsos in judicio stare nequeunt, neque tanquam Actores neque tanquam Rei; sed ipsis dantur tutores vel curatores, qui id muneris ipsorum loco expleant. Id vero non tantum jure Justinianeo, in foro Ecclesiæ quoad hanc dispositionem recepto, præscriptum reperitur, sed ad jus etiam naturale referendum est, ut patet. Unde certum est in judiciis ecclesiasticis non posse tales convenire nec conveniri, id est, Actoris vel Rei personam sustinere; sed convenire et conveniri possunt tantum eorum curatores vel tutores.

His adjungebat legislatio Justinianea *surdos et mutos:* Atvero jam in multis regionibus ita locupleti instructione donantur surdi et muti, ut generaliter sua jura satis intelligant, eaque persequi et defendere possint. Hinc attento solo jure naturali, non videntur posse impediri, quin tanquam Actores vel Rei judicio interveniant, nisi de eorum personali incapacitate constiterit. Et licet canonistæ supponant legislationem Justiniani quoad hoc fuisse in foro Ecclesiastico receptam, dubium saltem esse potest utrum hodie jus illud perseveret; cum ipsius fundamentum, ob novam surdos et mutos instruendi methodum, videatur cessasse. Hinc, quidquid sit de legum sæcularium in variis regionibus circa hoc dispositione, cum nulla recens ecclesiastica lex contrarium decernat, non mihi vide-

tur judicium ecclesiasticum nullitate laborare, ex eo solo quod Actor vel Reus surdus mutus fuerit.

Item prædictis adjungebat legislatio Justinianea *prodigos*, eos scilicet qui ob vitium prodigalitatis suorum bonorum gestione interdicti sunt. Quod quidem vitium, licet in solo foro sæculari recognitum et pronuntiatum, de jure etiam naturali impedire debet ne eo laborans stet in judicio ecclesiastico civili. Talis enim non potest prudenter præsumi habilis ad sua jura in materia civili coram judice ecclesiastico recte prosequanda : An autem idem dicendum sit quoad judicium ecclesiasticum in materia criminali, ita ut neque in illa prodigus possit Actoris vel Rei personam sustinere, mihi non liquet.

II. *De Pupillis.* — Nec convenire nec conveniri possunt sine authoritate tutoris. Ita legislatio Justinianea, ab Ecclesia quoad hanc partem recepta. Indicatos textus vide apud Schmalzgrueber (in titulum *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 25). Ea vero dispositio fundatur lege naturali, ut satis patet ; unde censenda omnino est hodiedum vigere. Datur tamen exceptio quoad causas criminales, in quibus delictum non posset aliter probari. In his scilicet etiam pupillus tanquam Actor admittitur. Verbi gratia, si puer coram Episcopo clericum criminis accuset et juxta leges puniri eum postulet, graves simul indicans asserti probationes, potest Episcopus pupillum hunc pro Actore habere et processum instruere. Quæ exceptio fundatur etiam jure naturali ; bonum nempe publicum exigit crimina plecti ; nisi autem in hoc casu admitterentur pupilli, aliqua crimina impunita remanerent.

III. *De minoribus 25 annis.* — Distinguendum est inter *causas spirituales*, quæ nempe attenta earum materia ad judicem ecclesiasticum pertinent, verbi gratia, causas de matrimonio, de beneficio, de jure patronatus et alias ejusmodi ; inter causas temporales *spiritualibus annexas ;* et causas *mere temporales*, quæ pertinerent ad judicem sæcularem, nisi dirimendæ essent a magistratu ecclesiastico propter privilegium fori, id est, quia Reus est clericus.

1°. Certum est in causis spiritualibus minores 25 annis absque curatore conveniri et convenire posse, sive per se ipsos, sive per procuratorem a se constitutum. Constat ex decretali Bonifacii VIII *Si annum* (titulo 1 *de Judiciis*, libri 2, in 6) tenoris sequentis : *Si annum quartum decimum tuæ peregisti ætatis, in beneficialibus et aliis causis spiritualibus, necnon et dependentibus ab eisdem, ac si major 25 annis existeres, ad agendum et defendendum per te vel per procuratorem (quem ad hoc constituendum decreveris) admitti debebis.*

2°. Item certum est prædictis minoribus id juris tribui, non tantum in ipsismet causis spiritualibus, sed etiam quoad *connexas* cum iisdem, ut in citata decretali exprimunt hæc verba, *dependentibus ab eisdem*. Est autem causa connexa, verbi gratia, si lis moveatur minori super dote ratione matrimonii a se contracti, vel si controvertatur super redditibus beneficialibus, aut jure patronatus quod annexum forte est beneficio quod minor obtinet.

k. Illa autem juris canonici dispositio circa spirituales, et eisdem annexas causas, censenda est ad jus commune hodiedum vigens pertinere; cum nec per desuetudinem, nec per contrariam generalem legem sublata fuerit.

3°. Quoad causas mere temporales, licet propter privilegium fori coram ecclesiastico judice ventilentur, minores 25 annis remanent subjecti legislationi Justinianeæ, qua disponitur ne possint absque curatoris authoritate in judicio stare, exceptis quibusdam casibus. Nam ubi Justinianeo juri nihil contrarium habent leges ecclesiasticæ, censetur jus illud in foro ecclesiastico receptum. Hinc in dictis causis mere temporalibus, si minor 25 annis curatorem non habeat, dari ei a judice debet ad effectum litis prosequendæ. In prædictis ergo causis temporalibus, sive civiles sint, sive criminales, sententia contra minorem 25 annis lata absque curatoris authoritate, esset ipso jure invalida. In ipsius vero favorem pronuntiata sustinetur. Dantur tamen aliquæ huic Justinianei juris dispositioni exceptiones : valet nempe sententia, absque curatoris authoritate,

contra minorem 25 annis prolata, in sequentibus casibus : 1° Si impleto anno vigesimo, dispensationem ab impedimento ætatis prævio obtinuit ; 2° si causa vertatur circa alimenta præstenda et periculum sit in mora, ita ut desit tempus sufficiens ad constituendum curatorem ; 3° in præparatoriis ad judicium ; nam curator non requiritur ante litis contestationem, a qua judicium incipere censetur ; 4° in aliis casibus ex legitime præscripta consuetudine, aut ex peculiari statuto exceptis. Textus legislationis Justinianeæ quibus et prædicta regula generalis et exceptiones fundantur, indicatos vide apud Schmalzgrueber (in titulum *de Judiciis* 1, libri 2 decretalium, n. 26).

IV. *De impube, sive de minore annis* 14. — De hujusmodi minoribus ita decretum fuit a Bonifacio VIII : *Si vero intra decimum quartum annum existas, per te agere aut defendere non poteris super ipsis* (id est super causis spiritualibus vel cum spiritualibus connexis) ; *sed vel per tuum Episcopum, vel per officialem ejusdem tibi curator dabitur ad lites hujusmodi exercendas : aut ut ipse, si major infante fueris, cum auctoritate alterius eorumdem, procuratorem ad eas poteris deputare. Delegatus etiam Apostolicæ Sedis et subdelegatus ab eo, tibi* (*si non habeas*) *curatorem dare valeant, vel auctoritatem constituendi procuratorem præstare, ad illas causas vel lites dumtaxat quæ coram ipsis fuerint ventilandæ. In hujusmodi quoque litibus sive causis, quanquam in potestate patris existas, nec alias absque ipsius assensu in judicio regulariter esse possis, ejus* (*cum de iis se intromittere non habeat*) *nequaquam requiri debebit assensus* (cap. 3, tituli 1 *de Judiciis*, in 6). Ex hac lege sequitur 1° Minorem annis 14 neque in temporalibus neque in spiritualibus causis posse per seipsum in judicio stare ; 2° in causis spiritualibus vel cum spiritualibus connexis, ipsi curator dandus est a judice ecclesiastico ; nec potest in his sese intromittere ejus pater, sub cujus potestate est quoad cætera, nec curator quem haberet aliunde pro rebus suis temporalibus ; 3° curator ei dandus est ab Episcopo aut ejus officiali ; vel a delegato aut subdelegato

Sedis Apostolicæ, si coram istis causa ventilanda sit; 4° si, licet annis 14 minor, sit tamen infante major, possunt prædicti judices ecclesiastici ipsi potestatem facere ut, loco curatoris, aliquem ipse sibi procuratem constituat.

Prædicta autem decretalis etiamnum jus commune constituere censenda est. Ei proinde standum, nisi legitime in contrarium præscripta consuetudo aut dispositio alicubi probetur.

V. *De fœminis.*— Sic habet decretalis *Mulieres* Bonifacii VIII : *Mulieres (quas vagari non convenit nec virorum cœtibus immiscerí) auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum ipsius, aut alia quacumque, ad judicium personaliter evocari, vel trahi invitas, causa ferendi testimonium, aut alia qualibet quæ in jure non exprimitur, prohibemus... Cæterum fœminæ religiosæ, præsertim quæ debent sub clausura morari, extra suum monasterium seu clausuram non vocentur ad judicium vel trahantur ex quavis causa personaliter, etiamsi ad hoc voluntas accederet earumdem. Decernimus quoque ut ipso jure sit irritum et inane, si quid contra præmissa contigerit attentari.* (Cap. 2, tituli 1 *de Judiciis*, libri 2, in 6.) Qua posita lege, sic potest jus ecclesiasticum circa hanc materiam determinari : 1° Mulieres religiosæ, etiam consentientes, in nullo casu possunt personaliter in judicio conveniri aut convenire, id est personam Actoris vel Rei sustinere. Idque procedit etiam de religiosis quæ clausuræ ex regula sua non adstringuntur, cum dicatur, *præsertim quæ debent sub clausura morari*. 2° Quoad cæteras fœminas sic concludit Schmalzgrueber : « Distinguendum est inter causas civiles et « criminales; nam in civilibus invitæ personaliter ad judicium « trahi non permittuntur; si tamen velint, agere et respon- « dere in eo possunt. In criminalibus non quidem permittun- « tur agere vel accusare; si tamen atrocis alicujus criminis « reæ sint, invitæ in judicium trahi possunt » (in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 30). Ea asserta probat citatus auctor, tum ex ipsa decretali, tum ex dispositionibus Justinianei juris. Eas enim dispositiones in jure Justinianeo expressas

præserval Bonifacius VIII dum dicit, *aut alia qualibet quæ in jure non exprimitur.*

VI. *De excommunicatis.* — Ut recte intelligatur quæstio hæc, utrum excommunicati possint in judiciis ecclesiasticis intervenire tanquam actores vel rei, multipliciter distinguenda est materia. De quo sequentes regulas statuere et probare opportunum visum est.

Regula 1ª. — *Excommunicatus vitandus seu publice denuntiatus, non potest esse actor.* — Probatur capite *Exceptionem* 12, tituli 25, libri 2 decretalium, in quo sic decernit Gregorius IX : *Excommunicatus autem publice, etsi hujusmodi exceptio non proponatur, nihilominus est officio judicis repellendus.* Id cæteroquin sequitur ex natura ipsa hujusmodi excommunicationis majoris : cum enim excommunicatus denuntiatus hoc ipso ab omnibus *vitari* præcipiatur, consequens est ut non possit tanquam actor admitti. Nec obstat quod (ut dicetur modo), possit ad judicium tanquam reus trahi : id enim fit ne ex peccato suo alioquin commodum et impunitatem reportet ; quæ ratio minime urget ut admittatur tanquam actor. Imo præsenti regula attinguntur etiam tribunalia sæcularia : nam et princeps et magistratus sæculares tenentur etiam publice excommunicatos devitare ; ac proinde eos ut actores in judiciis admittere nequeunt. Quod cæteroquin expresse decrevit Alexander IV his verbis : *Decernimus, ut judices seculares per censuram ecclesiasticam ab ecclesiasticis judicibus (canonica monitione præmissa), repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando et testificando in suis curiis et judiciis compellantur* (c. 4, tituli 11, libri 5, in 6).

*Exceptiones in prædictam regulam.* — « Quivis excommuni-
« catus ad agendum admittitur : 1° in causa suæ excommuni-
« cationis, si probare intendat excommunicationem contra se
« latam fuisse ipso jure nullam : secus si probare velit eam
« fuisse injustam ; tunc enim prius absolvi deberet, cautione
« præstita mandatis Ecclesiæ se pariturum ; 2° ubi agitur de
« periculo ipsius animæ, exempli gratia, in causa matrimo-

« niali; nam ad istud evitandum, si non ex jure sibi compe-
« tente, saltem ex officio judicis admitti deberet; 3° quando
« periculum est in mora, ut si debitor ipsius sit fugitivus;
« tunc enim non agit omnino libere et voluntarie; 4° quando
« impeditur agere sibi alias permissa, ut si impediatur ire Ro-
« mam ad impetrandum rescriptum apostolicum super appel-
« latione; tunc enim agere contra impedientes potest; 5° si
« quis in beneficio, ad quod ipse jus aliquod habet, instituen-
« dus vel electus confirmandus in eo sit; quia tunc oppositio
« excommunicati erit necessaria defensio, a qua nullus excom-
« municatus repellitur; 6° si agatur de bono publico suæ Ec-
« clesiæ, cujus ipse est membrum, ne indignus ad prælaturam
« assumatur; 7° universim admittitur excommunicatus quando
« est actor necessarius. » (Schmalzgrueber, in titulum 1 *de Judiciis,* libri 2 decretalium, n. 34.) Notandum autem est, dum dicitur excommunicatum vitandum non posse ut actorem admitti, id intelligi sive per se agere velit, sive per procuratorem : utrumque enim ipsi denegatur, exceptis prædictis casibus.

Regula 2ª. — *Excommunicatus vitandus potest admitti et etiam compelli ad standum in judicio tanquam reus.* — Probatur decretali *Intelleximus* Alexandri III (cap. 7, tituli 1, libri 2 decretalium), in quo sic legitur : *Quia postulasti a nobis utrum excommunicatus in judicio stare possit : respondemus, quod conveniri potest; et debet per alium respondere in judicio : ne videatur de sua malitia commodum reportare.*

*Exceptio ad præmissam regulam.* — « Si vero sit reus *volun-*
« *tarius,* et qui non citatus, sed ultro et voluntarie in judicium
« venit pro suo commodo, cum posset non comparere; aut si
« vocatus quidem est, sed sub conditione si voluerit aut si
« commodum ei fuerit comparere, ad respondendum in judicio
« non admittitur. Ratio est quia in tali casu actor et reus
« voluntarius æquiparantur. Et confirmatur : quia caput *Intel-*
« *leximus* citatum loquitur de reo compellendo, et qui ex pari-
« tione in judicio gravamen et onus sentit : ergo reum volun-

« tarium hoc ipso excludit; quia non ob actoris, sed ob suum « commodum in judicio comparet. » (Schmalzgrueber, in titulum 1 *de Judiciis,* libri 2 decretalium, n. 33.)

Regula 3ª. — *Excommunicatus excommunicatione majori, sed non vitandus, id est, nondum publice denuntiatus, potest tanquam actor, tum a judice, tum ab adversa parte repelli ; sed potest etiam, si isti consentiant, admitti.* — Ante Martinum V, non magis poterat non vitandus quam vitandus actoris personam in judicio sustinere ; sed Pontifex ille in concilio Constantiensi per extravagantem *ad evitanda,* hanc distinctionem decrevit, ut posset non vitandus, consentiente judice et adversa parte, tanquam actor admitti. Eum tamen peccare sese ingerendo adnotat Schmalzgrueber (loco citato, n. 34).

Regula 4ª. — *Non vitandus, potest ut Reus necessarius admitti et compelli : ut voluntarius, potest admitti et repelli, arbitrio judicis et actoris.* — Quod possit compelli ad comparendum quando est reus necessarius, id est, quando id actori commodum est, patet ex eo quod etiam compelli possit vitandus. Si vero non citatus ipse voluntarie propter bonum suum compareat, cum in hoc casu actori æquiparetur, poterit admitti ; sed poterit etiam a parte adversa vel a judice repelli : si quidem ita conclusum fuit sub regula superiori, quando idem excommunicatus tanquam actor sese ingerit.

Regula 5ª. — *Utrum excommunicato in judicium vocato liceat per seipsum respondere, an vero ad respondendum per procuratorem teneatur, aliquatenus controvertitur.* — Verba legis (capitis nempe *Intelleximus* supra citati), videntur sat perspicua : Pontifex enim expresse dicit : *debet per alium respondere.* Nihilominus plures doctores, inter quos Suarez (*de Censuris*, dist. 16, sect. 4, n. 6), putant ex illo textu non debere concludi absolutam procuratoris necessitatem, sed relinqui excommunicato facultatem per seipsum in judicio comparendi. Aliqui distinguunt inter causas arduas et non arduas : in his nonnisi per procuratorem stare in judicio posse excommunicatum tenent : secus

vero in illis. De hac controversia videri potest Schmalzgrueber (in titulum I *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 36).

VII. *De religiosis.* — In ordinibus religiosis considerari possunt professi, vel collective vel singulariter. Quomodo in judicio stare possint religiosi alicujus conventus collective sumpti, id est, quomodo conventus seu monasterium convenire possit et convenire, dicimus infra. Hic vero quæstionem duntaxat instituimus de unoquoque religioso seorsim sumpto, et a Prælato religionis seu monasterii diverso. De quo sit

Regula generalis. — *Absque consensu Prælati, religiosus in judicio stare nequit; suntque ea quæ religiosus sine prædicto consensu ageret, ipso jure nulla.* — Id tanquam certum unanimiter tenent doctores, ea ratione ducti, quod per professionem religiosus sit mundo mortuus, cessetque sui juris esse, et æquiparetur filio familias (qui regulariter contendere in judicio sine patris consensu nequit). Ita ut per professionem suam, bona, jura et actiones suas omnes in monasterium transtulerit; unde pro eo agere et respondere debet monasterium.

*Exceptiones ad prædictam regulam.* — Eas sic enumerat Schmalzgrueber: « 1° si (religiosus) obtineat beneficium ec- « clesiasticum quod annexam habet administrationem aliquam; « nam respectu hujus censetur esse sui juris. Igitur pro juribus « ejusdem agere et respondere non minus poterit quam alius « non regularis. 2° Si studiorum et aliorum negotiorum causa « a monasterio procul absit; tali enim casu si spolii vel injuriæ « illatæ, aut alterius causæ necessitas exigat, agere in judicio « valet ex licentia Prælati præsumpta: et ratio est, quia con- « cesso aliquo, concessa intelliguntur omnia sine quibus com- « mode vivi nequit. 3° Si agere velit ut in religione retineatur, « vel ab ea expulsus restituatur, vel ne ei alimenta debita aut « expensæ a monasterio denegentur, vel de jure quod habet « ferendi suffragium, sedendi in choro, vel alio sibi quæsito « per professionem, electionem, collationem, etc. 4° Si proprius « Prælatus tanquam dilapidator, etc., accusandus sit. 5° Con-

« tra si defendendus sit Prælatus proprius in carceratus. 6° Si « tuenda causa monasterii, et Prælatus sit absens, ut commode « ejus licentia haberi nequeat, et periculum sit in mora. 7° In « causa delicti proprii; nam ex hoc non monasterium, sed re- « ligiosus delinquens conveniendus est : his casibus religioso « subeunti judicium, si peculium a Prælato sibi concessum non « habeat, necessarias expensas subministrare monasterium de- « bet, ne his deficientibus a prosecutione causæ, in qua agere « et respondere eidem jura concedunt, cessari debeat.» (In titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 38.)

VIII. *De ecclesiis et monasteriis atque eorum Prælatis.* — Cum Ecclesiæ et monasteria habeantur tanquam personæ morales, quæ bona acquirere et possidere, et varia jura sibi vindicare possunt, necesse est ut possint in judicio conveniri et convenire. Non autem potest totum monasterium aut Ecclesia ipsa in judicio stare et litigare; debuerunt ergo leges ecclesiasticæ determinatis quibusdam personis committere jus et officium, nomine monasterii vel Ecclesiæ in judicio respondendi et agendi. Quænam sint illæ personæ hic exponendum occurrit. De quo sint sequentes regulæ :

Regula 1ª. — *Ad Prælatum monasterii, saltem cum consensu conventus; et ad Prælatum Ecclesiæ, saltem cum consensu capituli, regulariter pertinet in judicio agere et respondere.* — Probatur decretali *Edoceri* Innocentii III, tenoris sequentis : « Edoceri « postulastis a nobis, utrum per litteras adversus abbates « (nulla mentione habita de suis conventibus) impetratas, te- « neantur abbates ipsi super causis, quæ ad conventus perti- « nent et eosdem, ipsis querelantibus respondere : ac licet « inhibita sit appellatio, per appellationis objectum possint, « ne respondeant, se tueri. Super quo duximus respondendum, « quod (nisi alia causa rationabilis suffragetur) per appellatio- « nem se tueri non possunt : quominus debeant auctoritate « litterarum hujusmodi legitime respondere : cum ex officio « suo teneantur congregationum suarum negotia procurare : « nisi forte abbatis et conventus negotia essent omnino dis-

« creta » (cap. 21, tituli 3, libri 1 decretalium). Dum in hac decretali dicitur, *cum ex officio suo teneantur congregationum suarum negotia procurare*, aperte tanquam regula generalis supponitur et firmatur, negotia monasteriorum per Prælatos eorumdem esse gerenda ; nisi ex ipsa monasterii constitutione caveretur, ipsius negotia per monasterium ipsum, privative ad Prælatum, fore gerenda.

Idem constat ex capite *Nullam* 9, causæ 18, quæstionis 2, in quo sic disponitur : « Universa quæ, vel ad divini cultus reve-« rentiam, vel ad utilitatem ejusdem monasterii pertinent, « abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere conve-« nit, debeat adimplere. » Ex illis textibus communiter concludunt canonistæ, posse Prælatum monasterii et Ecclesiæ, prævio saltem conventus vel capituli consensu, in judicio pro monasterio et Ecclesia agere et respondere. (Vide Schmalzgrueber, in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 39.)

Regula 2ª. — *Utrum Prælatus monasterii absque monachorum consensu, possit in judicio stare pro monasterio, et Prælatus alicujus Ecclesiæ idem possit pro illa Ecclesia, ejusdem Ecclesiæ non consentiente capitulo, controvertitur : singulorum conventuum et ecclesiarum constitutionibus et praxi standum videtur.* — Glossa in citatam decretalem *Edoceri*, et in caput *Alia* 1, *de Procuratoribus*, asserit de bonis utrique, id est, tam Prælato quam capitulo communibus, non posse Prælatum sine consensu capituli in judicio vel conveniri, vel convenire. Doctores vero qui hanc sententiam sequuntur, eam firmant hoc ratiocinio : qui non potest rem alienare, neque potest eam in judicium deducere ; atqui Ecclesiæ aut monasterii res immobiles, aut mobiles prætiosas, nequit Prælatus absque consensu capituli alienare (ut patet toto titulo *de rebus Ecclesiæ non alienandis*) ; ergo neque potest de iisdem absque capituli consensu litigare.

« Sed his non obstantibus, ait Schmalzgrueber (in titulum 1 « *de Judiciis*, libri 2 decret., n. 39), dicendum quod Prælatus « super ejusmodi bonis et juribus communibus (nisi sit causa « majoris momenti, vel administratio in casu aliquo speciali

« ad Prælatum et capitulum pertineat communiter), etiam « sine consensu capituli vel conventus in judicio agere et re- « spondere possit... Ratio est quia, qui liberam administratio- « nem a lege vel jure sibi concessam habent, in judicio agere « et conveniri possunt... Atqui Prælatus habet administratio- « nem rerum communium Ecclesiæ vel monasterii liberam, seu « independentem a conventu seu capitulo, sibi a sacris canoni- « bus concessam; ergo... Dixi 1° *Super bonis et juribus commu-* « *nibus* : aliud est si agatur de bonis et juribus quæ a Præla- « turæ bonis prorsus separata, et capitulo specialiter attributa, « etiam quoad administrationem, sunt : in his enim agere et « conveniri debet capitulum, neque opus consensu Prælati « habet... Dixi 2° *Nisi ardui et majoris momenti causa sit :* Su- « per hujusmodi enim causis nec Prælatus sine capitulo, nec « capitulum sine Prælato contendere et respondere in judicio « potest... Dixi 3° *Nisi administratio in aliquo casu speciali com-* « *muniter pertineat ad Prælatum et capitulum :* nam tali casu « iterum Prælatus indigeret consensu capituli. »

Ex utriusque sententiæ expositione satis patet non posse regula generali determinari, quibus in casibus possit Prælatus, absque consensu capituli, in judicio pro monasterio vel Eccle- sia litigare ; sed pro singulis monasteriis et Ecclesiis videndum est, utrum rei, de qua litigandum est, administratio, ex sta- tutis aut legitima possessione pertineat, vel exclusive ad Præ- latum, vel exclusive ad capitulum, vel ad utrumque simul : Si exclusive ad Prælatum, poterit Prælatus in judicio agere et respondere absque consensu capituli : si exclusive ad capitu- lum, poterit capitulum per procuratorem in judicio stare, quin requiratur consensus Prælati : si ad utrumque simul, nec Prælatus absque consensu capituli, nec capitulum absque consensu Prælati litigare poterit.

Dum autem hic loquimur de *Prælatis*, intelligimus Prælatos præcipuos ; id est : 1° Episcopum relative ad cathedralem Ec- clesiam et cathedrale capitulum ; 2° Prælatum qui jurisdictio- nem quasi-episcopalem habet in aliqua Ecclesia, in qua est ca-

pitulum; 3° Primarios religiosorum ordinum Prælatos, id est, abbates, et generales ordinum præpositi. Non autem intelligimus cæteros regularium conventuum superiores.

IX. *De conventu seu domo religiosorum cui præest superior, qui nec est abbas, nec generalis totius ordinis.* — Expendendum etiam occurrit an præter eos conventuum superiores, de quibus modo egimus, alii etiam inferioris ordinis possint, pro communitatibus quibus præsunt, in judicio stare. Quam difficultatem ita diluit Schmalzgrueber : « Quantam in hoc « potestatem habeant Prælati regulares cæteri, non tam ex « communi, quam ex speciali jure, sive religionis cujusque « constitutionibus, privilegiis et receptis consuetudinibus est « desumendum. In societate Jesu, subordinatorum superiorum « potestas a supremo seu præposito generali dependet pluri- « mum. Et hinc Suarez (tom. 4 *de Religione*, l. 10, c. 5) putat « ad cognoscendam uniuscujusque Prælati facultatem, uten- « dum potius affirmativa quam negativa regula, scilicet, id « unumquemque posse quod ei concessum est; non vero quod « sibi non est prohibitum. » (Schmalzgrueber, in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decret., n. 40.)

Quando ergo aliquis regularium conventus in judicio agere vel respondere debet, non potest generali regula determinari ad quem pertineat Actoris vel Rei personam sustinere; sed hoc desumendum est ex ipsismet regularium ordinum institutis et receptis consuetudinibus.

X. *De abbatissis et aliis quæ præsunt monialium conventibus, quoad causas suorum monasteriorum.* — « Jure communi, et « ipsæ super monasteriorum suorum rebus et juribus, per « constitutos procuratores agere et respondere in judicio non « minus possunt ac Prælati, abbates et alii monasteriis virorum « præpositi : nam his quoad actiones judiciales æquiparantur. » (Ita Schmalzgrueber, in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 40, multas adducens auctoritates.) Cum tamen huic juri communi aliquando derogetur per ipsas ordinis constitutiones, videndum quid ex regula et receptis consuetudini-

bus, possint circa hoc hujusmodi abbatissæ, et aliæ monialium præpositæ.

XI. *De parocho quoad causas parochiæ.* — Quæstio est an parochus, an vero alius in judicio stare debeat quando agitur de bonis aut juribus parochiæ. « De jure communi, ait « Schmalzgrueber, distinctio est adhibenda : vel enim paro- « chialis Ecclesia proprium parochum habet, nec alicui Eccle- « siæ vel monasterio unita est, vel contra unita et incorporata « est Ecclesiæ vel monasterio alteri. *Si prius,* jus agendi super « rebus et juribus Ecclesiæ parochialis ad parochum spectat : « arguitur ex capite *Edoceri* 21, *de Rescriptis;* quia competit ei « etiam de jure communi administratio : non tamen excluso « Episcopo; quia hic tanquam principalis diœcesis universæ « rector, potestatem cumulativam habet in omnibus ecclesiis « suæ diœcesis, a jurisdictione sua non exemptis. *Si posterius,* « vicarius in tali Ecclesia incorporata constitutus, agere qui- « dem et respondere super juribus vicariatus qua talis potest; « si tamen super rebus et juribus ipsius Ecclesiæ incorporatæ « incidat controversia, melius super iis agit et respondet in « judicio collegium vel monasterium cui est incorporata, quia « est in quasi dominio et proprietate ejusdem. » (Schmalzgrueber, in titulum 1 *de Judiciis,* libri 2 decretalium, n. 40.)

XII. *De Prælato superiore Ecclesiæ, quæ rectorem seu administratorem inferiorem habet, quoad causas ejusdem Ecclesiæ.* — Diximus sub numero præcedenti, potestatem quam habet parochus administrandi parochialem ecclesiam, ac proinde pro ipsius rebus et juribus in judicio agendi et respondendi, pertinere etiam simul ad Episcopum, utpote principalem hujusmodi ecclesiarum rectorem et administratorem. Hinc enascitur quæstio : utrum Episcopus, an vero parochus; seu generatim, utrum Prælatus superior, an vero administrator inferior, stare in judicio debeat pro rebus et juribus Ecclesiæ, in quam uterque cumulativam cum altero administrandi potestatem habet. De qua difficultate sic habet Schmalzgrueber : « Re- « spondeo cum distinctione : vel enim administratio rerum et

« jurium est penes utrumque, vel est penes inferiorem tantum, « ita ut superior administrationi ordinarie se non immisceat. « *Si primum,* inferior in judicio quidem agere et respondere « super rebus et juribus Ecclesiæ sibi concreditæ potest; si « tamen superior ipsemet velit agere, inferiori tanquam ma- « jorem administrandi potestatem habens est præferendus, « prout sumitur ex Clem. 1, verbo *Liceret, de Rescriptis* (1). *Si* « *secundum*, præferri debet rector vel administrator immedia- « tus, si perpetuus ille sit; secus si temporalis et ad nutum su- « perioris amovibilis. De perpetuo constat; quia hujus eo casu « principalius interest: de temporali ostenditur; hunc enim « tali casu superior ab administratione amovere omnino po- « test; igitur multo magis amovere eumdem poterit a parti- « culari potestate agendi in hac vel illa causa. » (Schmalzgrueber, in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 41.)

XIII. *Quando Prælatus in causa propria capituli, vel capitulum in causa propria Prælati admittatur ad agendum et respondendum in judicio.* — « Respondeo admitti si, aut Prælatus habeat « speciale mandatum a capitulo, vel capitulum a Prælato : si « mandato ejusmodi careat, ut admittatur Prælatus in causa « propria capituli, aut capitulum in causa propria Prælati, ne- « cesse est ut caveant de rato; tunc enim admitti possunt, ut « recte advertit glossa in c. 1, verbo *Legaliter, de Procurato-* « *ribus*. Ratio est, quia hoc casu etiam personæ conjunctæ ad- « mittuntur : non minor autem conjunctio est Prælati cum « capitulo, cum ille instar capitis, istud instar corporis sit. » (Schmalzgrueber, in titulum *de Judiciis,* libri 2 decretalium, n. 43.)

XIV. *Utrum quis ad agendum in judicio compelli possit.* — Reus

(1) Sic habet hujus Clementinæ textus : ***Abbates aut alii religiosi quibuslibet administrationibus præsidentes, occasione prioratuum seu aliorum locorum subditorum eisdem, nullum auctoritate litterarum Apostolicæ Sedis vel legatorum ipsius quomodolibet valeant convenire, nisi ubi et coram quibus prioratuum et locorum ipsorum prioribus aut aliis gubernatoribus hoc liceret.*** (Clementinarum libro 1, titulo 2, ***de Rescriptis***, cap. 1.)

quidem potest ad judicium compelli; et contra ipsum, si comparere recuset, potest sententia pronuntiari. Atvero tanquam *regula generalis* admittitur neminem cogi posse ut tanquam actor in judicium veniat. Liberum nempe est cuilibet, an velit jus et actionem, quæ ipsi adversus alium competunt, deserere vel persequi. Quæ regula generalis, ipso jure naturali, ut patet, innititur. Dantur tamen nonnullæ exceptiones.

Excipitur 1°, qui actionem jam proposuit : ille enim potest ad cœptam actionem prosequendam cogi. Hoc ipso enim quod semel proposita fuerit actio, gravaretur Reus nisi devenire posset ad sententiam, qua actionis injustitia demonstretur. Hinc in jure Justinianeo (auth. *Qui semel,* c. *Quom. et quando jud.*) cautum est, ut qui actionem proposuit, ad illam prosequendam cogi posset; quæ lex juris Romani, tanquam in foro ecclesiastico recepta habenda est.

Excipitur 2°, qui alterum diffamavit. Ille enim ad diffamati instantiam compelli potest ad agendum intra certum terminum, nisi velit silentium sibi imponi. Id dictat jus naturale; et insuper decernitur in jure Justinianeo (lege *Diffamari* 5, c. *de Ingenuis*). Dici autem posset in hoc casu, diffamantem non esse proprie Actorem, sed potius Reum; ac proinde casum hunc supradictæ regulæ generali non contradicere.

Excipiuntur 3°, qui ex officio tenentur bona et jura aliorum tueri, prout sunt tutores, curatores, procuratores et administratores. Illi enim compelli possunt ad agendum in judicio, quando id postulat interesse eorum, quorum bona et jura tenentur ex officio tueri.

XV. *Utrum Actor et Reus cogi possint ut personaliter in judicio compareant, an vero ipsis semper liberum sit per procuratorem litigare?*

Regula 1ª.— Princeps (id est Papa, sive solus, sive in concilio œcumenico) præcipere potest ut partes personaliter veniant. Ita communiter doctores. Nam licet jus ecclesiasticum litigantibus facultatem faciat (ut modo videbimus) procuratorem loco sui mittendi, ea tamen lege non tenetur supremus legis-

lator; unde si ita velit Papa, tenebuntur partes per se ipsas in judicio stare. Idem eruitur ex capite *Juris* 1, tituli *de Judiciis* 1, libri 2, in 6; in quo sic decernitur : *Juris esse ambiguum non videtur, judicem delegatum (qui a Sede Apostolica mandatum ad hoc non receperit speciale) jubere non posse alterutram partium coram se personaliter in judicio comparere : nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda, vel pro juramento calumniæ faciendo, vel alias juris necessitas, partes coram eo exegerit personaliter præsentari.* Dum ibi dicitur judicem delegatum non posse partes cogere ad personaliter comparendum, nisi ad id *speciale mandatum a Sede Apostolica* acceperit, æquivalenter declaratur id posse eumdem judicem delegatum cum prædicto speciali mandato. Si autem Sedes Apostolica potest hanc facultatem judici delegato tribuere, a fortiori eamdem potestatem et ipsa habet. Papa ergo semper potest, si velit, partes ad personaliter comparendum cogere.

Regula 2ª. — Cæteri præter Principem judices non possunt regulariter, sed tantum in certis casibus, partes ad personaliter comparendum cogere. Probatur ex modo transcripta decretali *Juris*. Nam ibi de judice a Sede Apostolica delegato decernitur, cum non posse personalem partium præsentiam exigere, nisi in casibus ibidem indicatis. Quod autem dicitur de judice delegato Pontificio, pariter et a fortiori intelligendum est de cæteris judicibus. Ideo enim expresse sermo fit de delegato Pontificio, quia de illo res magis poterat in dubium revocari; cum objici posset delegati Pontificii potestatem eamdem videri ac ipsiusmet Papæ. Dum ergo etiam talis judex declaratur destitutus potestate cogendi litigantes ad personalem præsentiam, implicite et a fortiori idem de cæteris judicibus supponitur et statuitur. Atque ita communiter arguunt canonistæ. Præterea potest eadem conclusio firmari ex capite *Querelam* 2, tituli 28 *de Procuratoribus*, libri 1 decretalium; in quo sic decernitur : *Querelam A... clerici accepimus : mandamus quatenus si vobis constiterit quod Vigoriensis Episcopus præfatum A... in restitutione expensarum pro nulla alia rationa-*

*bili causa condemnaverit, nisi pro eo tantum quod in termino constituto ad ejus præsentiam non accessit, infirmitate detentus (cum non possit quis cogi, nisi velit, in gravibus causis procuratorem constituere), et ipse ad probandum infirmitatem suam presbyterum et diaconum destinaverit, eum absolvere ab eadem sententia minime differatis.* Damnatus fuerat clericus A... ex eo quod nec ipse ad judicium venisset, nec procuratorem constituisset, sed tantum quosdam misisset ad probandum infirmitatis impedimentum. Quam sententiam ideo reprobat Alexander III, quia nemo tenetur procuratorem constituere *nisi velit*. Quæ verba *nisi velit*, supponunt tanquam regulam generalem liberum cuique esse, *si velit*, procuratorem constituere et personaliter non comparere.

Regula 3ª. — Dantur certi casus in quibus judex etiam inferior (id est a Principe diversus) sive ordinarius, sive delegatus, potest partes ad personaliter comparendum cogere.

*Primus casus :* si causa sit criminalis. Nam in supra citata (sub regula 1ª) decretali *Juris*, expresse ille casus excipitur. Non tamen in omni causa criminali potest judex partes ad personaliter comparendum cogere ; sed tantum si imponenda sit pœna corporis afflictiva, vel alia quæ reputetur exilio major. In cæteris, Reum (et a fortiori Actorem) posse per procuratorem comparere, tenent canonistæ ex praxi tribunalium. (Vide Schmalzgrueber, in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 47 ; et in titulum 38 *de Procuratoribus*, libri 1 decretalium, n. 21.)

*Secundus casus :* si præstandum sit juramentum de calumnia, aut pro veritate dicenda. Id etiam expresse cavetur in citata decretali *Juris*. Potest tamen mitti procurator cum speciali mandato ad juramentum hujusmodi præstandum, et sic non est necessaria personalis præsentia, quia eam non exigit juris necessitas. Ast ejusmodi juramentum obsolevit, ut suo loco dicemus.

*Tertius casus :* si specialiter examinari oporteat qualitatem personæ, maturitatem ætatis, et facultatum intellectualium

integritatem. In hoc enim casu adesse necessitatem juris communiter tenent canonistæ.

*Quartus casus :* si veritas, melius perspici possit per personalem Actoris et Rei enarrationem : quod accidere solet quando lis versatur circa factum aliquod : ut nempe detegatur facti veritas, expedit sæpe illud exponi per litigantes ipsos, qui melius quam procuratores eorum, circumstantias omnes poterunt explicare. Tunc scilicet, ex communi doctorum æstimatione, censetur adesse sufficiens juris necessitas, ut possit judex præsentiam personalem exigere.

*Quintus casus* : si talia sint contra Reum indicia, ut speretur posse veritatem detegi ex inspectione vultus ipsius, aut ex personalibus ejus responsis.

Omnes autem supra dicti casus ad unicum reduci possunt, ad casum nempe quo judex ex aliqua gravi ratione necessariam existimat litigantium personalem præsentiam, ut veritas detegi et justa sententia ferri possit. Qui casus sub generali formula *necessitatis juris* exprimi solet.

Regula 4ª. — Si judex inferior, id est a principe diversus, partes vocet ad personaliter comparendum, et causam in citatione non exprimat, citatio non valet, nec tenetur citatus in propria persona venire. — Ita cum multis aliis sustinet Schmalzgrueber (in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 45). Sequitur hæc conclusio ex præcedentibus : cum nempe tales judices potestatem, ut diximus, non habeant personalem præsentiam exigendi, nisi id postulet juris necessitas, si hanc necessitatem juris in citatione non exprimant, merito censentur potestatis suæ fines excedere, et pro nulla habetur eorum de personali præsentia injunctio.

XVI. *Quæ ad factum pertinent, non per advocatos, sed per ipsas personas principales regulariter proponi debent.* — Probatur ex decretali pastoralis Innocentii III, tenoris sequentis: *Statuimus præterea ut principales personæ non per advocatos, sed per seipsas factum proponant : nisi forte sint adeo indiscretæ, ut earum defectus de judicis licentia per alios suppleatur* (caput *Pasto-*

*ralis* 14, tituli 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium). Huic decretali concordant nonnulli textus Justinianeæ legislationis, quos citatos vide apud Schmalzgrueber (in titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 48). Inde autem concludunt communiter canonistæ, tanquam generalem regulam, proponi debere ab ipsis personis litigantibus, non autem ab earumdem advocatis, ea quæ ad factum pertinent. Quæ juris dispositio fundatur ea ratione, quod res ad factum pertinentes ordinarie melius calleant et explicare valeant personæ principales, quam extranei aut etiam earum advocati.

*Exceptiones ad prædictam conclusionem.* — Posuimus in conclusione vocem *regulariter;* ideo nempe quia nonnullas exceptiones admittit. Quatuor præcipuos casus excipiendos sic memorat Schmalzgrueber (loco supra citato): « 1° Si principalis « sit homo simplex, qui mentem suam sufficienter explicare « nequeat (capite *Pastoralis* citato); 2° si consuetudo exposi- « tiones facti ab advocatis admittat : et ita passim in tribuna- « libus praxis obtinet; 3° si advocatus ad factum in judicio « proponendum habeat speciale mandatum; 4° si judex et « pars altera non contradicat, quando advocatus ea proponit « quæ facti sunt; tunc enim nocebit parti, quasi in præjudi- « cium suum consentienti. »

Contra conclusionem quam stabilivimus opponi solent aliquæ objectiones; sed quæ facile refelluntur, ut videre est apud Schmalzgrueber (citato loco).

## CAPUT III.

### DE PROCURATORIBUS.

Sæpe contingit ut quis per se ipsum jura sua tueri nolit; vel etiam nequeat, sive quod procul degat, sive alia de causa. Hinc a lege tum civili tum ecclesiastica statutum est, ut partes

suas, in multis saltem causis (1), alteri committere posset. Atque inde orti *procuratores*, id est, aliorum negotia, eorum loco et nomine, et ex ipsorum mandato, gerentes et expedientes.

Circa ejusmodi procuratores quænam sint præcipuæ juris canonici dispositiones, nunc exponendum occurrit.

## § I.

### Procuratorum definitio et variæ species.

1. Si etymologiam perpendamus, idem sonare videtur *procurator*, ac *pro alio curator*; eo quod nempe non sua, sed alterius negotia curet.

In jure Romano (lege *Procurator* 1, ff. *de Procuratoribus*) ita definitur : *procurator est, qui aliena negotia mandato domini administrat*. Fusiori descriptione eum esse procuratorem dicit Schmalzgrueber (in tit. 38, libri 1 decret., n. 1), « qui a do-« mino, rebus suis superesse per seipsum non valente vel non « volente, constituitur, ut ipsius absentis negotia, unum vel « plura, aut etiam eorum universitatem, in aut extra judicium, « vel utrobique, expedienda perficiendaque administret. Ita « quoad sensum doctores communiter. »

Hinc patet quomodo procurator ab advocato differat. Advocatus enim non agit ipse seu administrat negotium; sed tantum domino vel ipsius procuratori in judicio agenti auxiliatur : ei nempe verbis vel scriptis juvamen præstat. Quod discrimen patet præcipue in peragendis actibus : nam si juramentum exigatur, illud non ab advocato, sed vel a domino vel ab ipsius procuratore præstandum est : si detur consensus ad aliquam compositionem, non advocati consensus quidquam valet,

(1) Dicitur *in multis saltem causis*, ob quæstionem infra excutiendam, an in causa criminali admitti possit procurator.

sed vel partis litigantis, vel ipsius procuratoris : et sic de cæteris in judicio perficiendis actibus.

Patet etiam ex præmissa definitione quomodo procurator a tutore et curatore differat. Nam isti non a pupillo vel minore, sed a lege, magistratu vel defuncto testatore constituuntur. Procurator vero ab ipso litigante mandatum accipit, vi cujus possit ejus vices agere.

2. Distingui solent procuratores in varias species : *primo* alius est *generalis*, qui ad omnia negotia omnesque lites ; alius *specialis*, qui ad certum duntaxat negotium, certamve litem expediendam constituitur. *Secundo* procurator generalis constituitur vel *simpliciter*, vel *cum libera*, id est, cum plena potestate agendi omnia quæ potest agere dominus. Posterior alienare potest sive mobilia sive immobilia variis contractibus (excepto tamen contractu donationis). Prior alienare non potest nisi ea quæ brevi corrumpuntur et servari nequeunt. *Tertio* alius est principalis, seu ab ipso domino constitutus : alius subtitutus, quia nempe a principali procuratore constituitur. *Quarto*, alius est judicialis, qui litem mandato domini gerendam suscipit, et propterea *procurator ad lites* dicitur : alius extrajudicialis, qui ad negotia extra judicium tractanda et explicanda constituitur, et procurator *ad negotia* salutatur. Nobis agendum solummodo de procuratore judiciali. *Quinto* procuratores alii sunt simpliciter constituti : alii *in solidum*, id est, ita ut quilibet possit causam expedire. Si plures deputantur simpliciter, unus sine aliis admitti non debet. Si deputentur in solidum, et unus causam præoccupaverit, cæteri hoc ipso exclusi manent; nisi tamen in mandato cautum fuisset, ut causam non prosequente eo qui prior eam occupavit, alter admitteretur. Ita expresse Bonifacius VIII decrevit (capite *Si duo* 6, *de Procuratoribus* in 6) : *Si duo procuratores simul, non adjecto* in solidum, *deputentur, unus sine altero non debebit admitti. Secus si sint in solidum constituti; sed tunc illius melior erit conditio, qui per litis contestationem negotium primitus occupabit. Post occupationem autem hujusmodi, alter se intromit-*

*tere nequibit ulterius, cum ille litis dominus sit effectus; nisi dictum in constitutione, quod non fieret melior conditio occupantis : tunc enim si cum qui occupavit, infirmari, mori, absentari vel alias impediri contigat, aut si prosequi forte nolit, poterit alter suscipere ac perficere negotium ab alio inchoatum ; dum tamen ab alio non fuerit alius substitutus; nam si sit, is præferri debebit eidem.*

## § II.

### Quinam sibi procuratorem constituere possint.

Exceptis iis qui a lege prohibentur, omnes possunt procuratorem sibi constituere. Quæ generalis regula nullam apud juris utriusque peritos controversiam patitur. Inhabiles autem sunt ad procuratorem sibi constituendum :

1° Pupillus, et minor habens curatorem, nisi concurrat tutoris seu curatoris auctoritas. Ita Justinianeum jus, in foro ecclesiastico receptum quoad dispositionem illam.

2° Item, et ex eodem jure Romano ab Ecclesia recepto, filius familias in causis pro quibus ipsi in judicio stare non licet : capti ab hostibus : et generaliter ii qui aliqua de causa non sunt rerum suarum domini.

3° Excommunicati excommunicatione majore, sicut nequeunt Actores esse, ita nec constituere procuratorem qui eorum loco agat. Concluditur ex capite *Consulti* (15, tituli 28, libri 1 decretalium), in quo declaratur posse tanquam Actor admitti cujusdam communitatis procurator, modo tamen in mandato non exprimatur cum constitui ab iis de communitate, qui majori sunt excommunicatione innodati.

4° Possunt prædicti excommunicati, si in judicium vocentur tanquam Rei, sese per procuratorem defendere : *Quia postulasti a nobis utrum excommunicatus in judicio stare possit ; respondemus, quod conveniri potest, et debet per alium respondere in judicio; ne videatur de sua malitia commodum reportare* (capite *Intelleximus* 7, *de Judiciis*).

4° An Prælatus absque consensu capituli procuratorem constituere possit ad prosequendas lites quæ respiciunt res Ecclesiæ vel monasterii? — Respondetur affirmative si causa non sit ardua : si vero ardua sit, necessarium esse capituli consensum. Nam cum, ex hypotesi, bonorum Ecclesiæ vel monasterii administratio ad Prælatum pertineat, sicut posset per seipsum dictas causas prosequi, ita censendus est posse prosequi per procuratorem. Per seipsum autem expedire absque capituli consensu potest levioris momenti causas (ut alibi ostenditur), non autem arduas. Ardua autem causa censenda est, verbi gratia, quæ Ecclesiæ vel monasterii libertatem, subjectionem, limites, honorem, vel alienationem bonorum illius immobilium vel mobilium-pretiosorum concernit. Item ardua causa est si constituendus sit procurator generalis et perpetuus. Si vero causa respiciat bona capituli, omnino, etiam quoad administrationem, a bonis Prælati separata, nullatenus poterit Prælatus procuratorem constituere. (Vide Schmalzgrueber, in titulum 38, libri 1 decretalium, n. 5.)

5. Universitas potest procuratorem constituere : est enim tanquam persona ficta quæ loco domini habetur. Atque id expresse declaravit Innocentius III scholaribus Parisiensis academiæ hoc modo rescribens : *Quia in causis quæ contra vos et pro vobis moventur, vestra universitas ad agendum et respondendum commode interesse non potest, postulastis a nobis ut procuratorem instituere super hoc vobis de nostra permissione liceret. Licet igitur de jure communi hoc facere valeatis, instituendi tamen procuratorem super his, auctoritate præsentium vobis concedimus facultatem* (cap. 7, tituli 38, libri 1 decretalium).

## § III.

### Quinam procuratores constitui possint.

Constitui possunt omnes, exceptis iis qui a jure prohibentur; *cum regulariter* (ait Bonifacius VIII), *qui non prohibetur expresse,*

*ad exercendum procurationis officium idoneus debeat reputari* (capite *Non indecet* 1, tituli 19, libri 1, in 6).

1° A jure canonico prohibentur esse procuratores excommunicati excommunicatione majori. Nam ex capite *Intelleximus* (7, tituli 1, libri 2 decretalium), aperte sequitur nullum ejusmodi excommunicatum stare in judicio per scipsum posse.

2° Procurator judicialis esse nequit minor 25 annis : *Licet autem quis post* VII *annum procurator ad negotia licite deputetur, ad judicia tamen, nisi major* 25 *annis fuerit, deputari nequibit.* (Bonifacius VIII, capite *Qui generaliter* 5, tituli 19, libri 1, in 6).

3° Item a procuratoris officio repelluntur infames : *infamis persona nec procurator esse potest* (cap. 1, causæ 3, quæstionis 7). Et ita communis doctorum sententia.

4° In jure civili Romano procuratores esse prohibentur fœminæ (exceptis nonnullis casibus), milites (exceptis pariter nonnullis casibus), servi, furiosi, muti-surdi, digniores de republica, Fiscus, accusatus criminis judicialiter donec suam innocentiam probaverit.

Ex his autem censendi sunt a procuratoris munere in foro ecclesiastico interdicti : fœminæ, tum ob dedecentiam, tum ob constantem praxim, tum quia tacente jure canonico censendum est quoad hoc receptum jus Romanum : furiosi et surdi-muti, tum ex jure naturali, tum quia in hoc recepta ab Ecclesia censenda est Justinianea legislatio : Fiscus et potentiores viri, ne opprimatur adversarius : accusati criminis ante purgatam innocentiam : et milites, quia et in hoc videtur receptum ab Ecclesia Justinianeum jus. Sed his utpote parum ad praxim utilibus non immoramur.

5° Utrum vero in Judiciis ecclesiasticis tanquam procuratores admitti possint religiosi et clerici, sub specialibus paragraphis separatim, pro rei gravitate, infra expendimus.

6° Jure canonico non prohibetur plures constitui ejusdem causæ procuratores; ut patet ex dictis sub primo paragrapho.

7° Nullus cogi potest ad suscipiendum procuratoris offi-

cium; nisi forte in aliqua curia ecclesiastica officium illud esset publicum; tunc enim ad ejusmodi officium approbati, compelli possent etiam inviti. Ita doctores communiter.

## § IV.

### Utrum clerici possint constitui procuratores et advocati, sive coram ecclesiastico, sive coram sæculari etiam judice.

Non parvis difficultatibus intricatam quæstionem aggredimur, ad quam solvendam utile visum est varios primum colligere textus qui eam illustrare possunt: tum quid juris communis hodie sit subjungere. Quamvis autem sub præsenti capite non agamus de advocatis, sed dumtaxat de procuratoribus, propter materiæ connexionem, quid clericis quoad utrumque officium liceat simul hic expendemus.

### I.

*Collegantur textus quibus illustrare posse quæstionem videtur.*

Sic decrevit Gregorius IX anno 1230: *Cum sacerdotis sit officium nulli nocere, omnibus autem velle prodesse, non nisi pro seipso, vel Ecclesia sua, vel (si necessitas imminent) pro personis conjunctis aut miserabilibus, sibi licitum est postulare. Clericus autem, qui contra Ecclesiam a qua beneficium obtinet, pro extraneis advocatus vel procurator esse præsumit, tanquam ingratus potest (maxime si clericus sit ejusdem Ecclesiæ) beneficio hujusmodi spoliari.* (Cap. 3, tituli 37, libri 1 decretalium.)

Concilium Lateranense anni 1179: *Clerici in subdiaconatu et supra (et in ordinibus quoque minoribus si stipendiis ecclesiasticis sustententur), coram sæculari judice advocati in negotiis sæcularibus fieri non præsumant; nisi propriam causam vel Ecclesiæ suæ fuerint prosequati, aut pro miserabilibus forte personis, quæ pro-*

*prias causas administrare non possunt.* (Cap. 1, tituli 37, libri 1 decretalium.)

Duas illas decretales præmittimus, quia (ut modo ostendemus) ex illis determinandum jus, et tota solvenda quæstio est.

Quænam autem per varia tempora viguerit de ea re disciplina, ex sequentibus documentis introspici potest.

Percelebre imprimis dictum sancti Pauli, *nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Quod monitum apud Patres et Concilia perpetuo recurrit, dum clericos a negotiatione et causis forensibus avertere nituntur.

Concilium Carthaginense 3 : *Placuit ut Episcopi et presbyteri et diaconi vel clerici non sint conductores, neque procuratores, neque ullo turpi vel inhonesto negotio victum quærant. Quia respicere debent scriptum esse : nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.*

Concilium Chalcedonense, canone 3 : *Decrevit concilium, non Episcopum, non clericum, non monachum, aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se immiscere, præter pupillorum, si forte leges imponant inexcusabilem curam, aut civitatis Episcopus ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut orphanorum et viduarum quæ sine ulla defensione sunt.*

Justinianus (novella 123, capite 6, tit. 6 *de sanctissimis Episcopis, etc.*) : *Sed neque fieri susceptorem aut exactorem fiscalium functionum..., aut procuratorem litis... pro talibus causis, Episcopum, aut œconomum, aut alium clericum cujuslibet gradus, aut monachum, proprio nomine aut Ecclesiæ aut monasterii, sinimus : ut non per hanc occasionem et sanctis domibus damnum fiat, et sacra ministeria impediantur.*

Decretum Xiphilini Patriarchæ Constantinopolitani : « Cum « multos ecclesiasticos et monachos videremus alienas causas « subeuntes, et pro his decertantes qui civilibus et ecclesia- « sticis judiciis litigant, ab ecclesiastica consuetudine et legum « gravitate quod fiebat alienum judicantes, statuimus ut nemo « deinceps nec monachus nec ullus ecclesiasticus alienas cau-

« sas suscipiens in judicio defendat : id enim aperta mercena-
« ria opera : et nemo tale quid agens nostræ moderationis
« supplicium effugiet : præterquam si forte cum sit causa
« ecclesiastica, a nobis jubeatur alterius litigantium partis
« defensionem suscipere ; tunc enim præterquam quod non
« erit reprehensionis spes, in pœnam quoque non cadet. Præ-
« sens autem subnotatio in omnibus quoque civilibus judiciis
« legi jussa est, ut cum nostri decreti scientiam habuerint, eos
« omnino non admittant ad illorum causas agendas. » (Citatum apud Gonzalez, commentarium in cap. 3, tituli 37, libri 1 decretalium.)

S. Gregorius Magnus (in evang., homilia 17) : *Ecce jam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. Dum ergo in sancto habitu constituti, exteriora sunt quæ exhibent, quasi sanctuarii lapides foris jacent.*

Concilium Vernum anni 755, canone 16 : *Ut clerici conductores non sint, hoc est, ut non habeant actiones sæculares, nisi pro causa orphanorum, vel viduarum, vel ecclesiarum, ordinante Episcopo suo vel Abbate.*

Concilium Moguntinum anni 813, canone 14, clericis vetitum facit : *Contentiones et lites vel rixas amare; in placitis sæcularibus disputare, excepta defensione orphanorum et viduarum ; conductores aut procuratores esse sæcularium rerum.*

Innocentius III, anno 1216, in concilio generali : *Sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat ; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit.* (Cap. *Sententiam* 9, tituli 50, libri 3 decret.)

Concilium Tarraconense cap. 11 : *Nullus monachorum forensis negotii susceptor vel executor existat, nisi quod monasterii exposcit utilitas, Abbate sibi nihilominus imperante.* (Apud Thomassinum, *Vetus et nova disc.*, part. 3, l. 3, c. 17, n. 14.)

Concilium Londinense, anni 1102, canone 2 : *Ne quilibet clerici sint sæcularium præpositi vel procuratores, aut judices sanguinis.*

Concilium Rhemense, anni 1131, canone 6 : *Prava consue-*

*tudo et detestabilis inolevit, quoniam monachi et canonici post factam professionem, spreta beatorum Benedicti et Augustini regula, leges temporales et medicinam gratia lucri temporalis addiscunt. Avaritiæ namque flammis accensi, se patronos causarum faciunt... Attestantur vero imperiales constitutiones absurdum, imo etiam opprobrium esse clericis, si peritos esse se velint disceptationum forensium.*

Concilium Parisiense, anni 1212, parte 2, n. 6 : *Inhibemus arctius, ne canonicus aliquis, vel alius clericus sufficiens habens beneficium ecclesiasticum, pactione interveniente advocationem exerceat, nec causas penitus desperatas scienter assumat... Ne advocati beneficia ecclesiastica non habentes, immoderata salaria exigere aut extorquere præsumant.*

Eugenius Papa (citatus a Thomassino, *Vetus et nova disc.*, part. 3, l. 3, c. 22, n. 6) : *Ne ministri laicorum fiant (clerici), nec in rebus eorum procuratores existant.*

« Prisco quidem ex usu (ait Thomassinus) concilium Andegavense, anno 1269, clericos omnes superiorum ordinum et « beneficiarios deterruit a causis actitandis et a munere advocatorum fungendo in foro sæculari. At concilium Avenionense, anni 1279, canone 9, lenimenti aliquid adjiciens canoni concilii Arelatensis, anni 1260 (quo permissi tantum « fuerant clerici causas agere suas, proximorum, pauperum, « Ecclesiæ), constituit ut beneficiatis et clericis majorum gentium fas esset munia fungi, et advocati et judicis, quando id « oneris ab Episcopo illis suo imponeretur : *Hoc moderantes « statutum, volumus statuendo quod hujusmodi clericus de sententia sui Episcopi generali vel speciali, possit libere advocationis « vel judicaturæ officium ubilibet exercere.* » (*Vetus et nova disc.*, parte 3, libri 3, cap. 22, n. 7.)

Anno 1327, in concilio Rotomagensi, cap. 2 : *Item in eodem concilio duximus statuendum in favorem ecclesiarum, et non obstantibus aliquibus constitutionibus nostris provincialibus, seu synodalibus suffragancorum nostrorum, super hoc editis : quod quicumque clericus, vel sacerdos, aut alia persona ecclesiastica postulare possit*

*in foro sæculari pro ecclesiis quibuscumque, ecclesiasticisque personis et rebus eorum, absque excommunicationis vel interdicti sententia, seu alia pro hoc incurrenda: dum tamen inde non sequatur aliquod donum, pretium, vel promissum, etsi a volentibus offerretur: alias nostris constitutionibus prædictis super hoc editis in suo robore duraturis.* (Apud Labbe, tom. 15, pag. 342, edit. Venet.)

« In concilio Avenionensi, anno 1326, beneficiarii, regimen « gerentes animarum, clericique sacrorum ordinum, prohibiti « sunt in curia sæculari munus adire procuratoris, syndici, ju- « dicis et ballivi : *Ne procurator syndicus, vel actor, vel judex, aut « ballivus in exercenda jurisdictione domini temporalis pro aliquo « laico possit esse.* Quod idem decretum rursus instaurari pla- « cuit in concilio Avenionensi, anni 1337. Quorum sententia « canonum paulo eliquatior in concilio Lavauriensi, anno 1368, « canone 32 : *Ne possit esse procurator, syndicus vel actor pro « aliquo laico, nisi in casibus a jure expressis; vel judex etiam « vel ballivus in exercenda jurisdictione domini temporalis.* » (Thomassinus, loco citato.)

Concilium Tridentinum nihil quoad hanc disciplinæ partem innovavit, sed confirmavit duntaxat constitutiones et canones hac de re editos : « Statuit sancta synodus, ut quæ alias a sum- « mis Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum vita..., « necnon sæcularibus negotiis fugiendis, copiose ac salubriter « sancita sunt, eadem in posterum, iisdem pœnis,... observen- tur. » (Sess. 22, c. 1, *de R.*)

In concilio Mediolanensi *4* (*Acta eccl. Mediol.*, p. 20, 268) ad clericos minorum ordinum, quanquam beneficio expertes, extensa fuit prohibitio, ne procuratores essent vel advocati in foro sæculari, nisi in casibus a jure exceptis.

## II.

*Quinam textus vim legis seu juris communis, quoad presentem questionem, habeant.*

Præmissa documenta percurrendo, potuit lector advertere 1° prohibitum semper fuisse clericis ne in causis sanguinis (id est quando crimen morte aut mutilatione plectendum esset) advocati procuratorisve munere contra reum fungerentur. Neque in hoc unquam disciplina variationem passa reperitur. 2° Eam fuisse perpetuam Ecclesiæ tendentiam, imo et generalem regulam, ut in cæteris etiam causis, coram seculari judice ventilatis, prædicto officio abstinerent clerici, majoribus ordinibus insigniti. 3° Vigusse tamen varias, variis temporibus et locis, ad dictam regulam exceptiones. 4° Quoad minorum ordinum clericos, et circa advocati procuratorisque munus coram ecclesiastico judice exercendum, non occurrere constantem pristinis temporibus disciplinam. Et hoc quidem de quæstione historice considerata cursim prænotatum voluimus. Nunc vero determinandum remanet quid juris communis hodie censeri debeat, ac proinde quibusnam ex textibus jus illud depromendum sit.

Dicimus esse depromendum ex duabus decretalibus *Clerici* et *Cum sacerdotis* supra relatis; contraria autem jura si quæ occurrant in monumentis ecclesiasticis, pro obsoletis esse habenda; aut saltem non valere nisi tanquam jus particulare, ex privilegio nempe vel consuetudine alicubi forte inductum vel retentum. Nam 1° duo illa decreta fuerunt a Gregorio IX tanquam leges vigentes in libris decretalibus inserta, et de facto tunc vim legis ecclesiasticæ universalis habuerunt. 2° Tridentina synodus decreta illa non immutavit, sed confirmavit, ut supra adnotavimus. 3° Ante et post Tridentinam synodum canonistæ unanimiter ex illis duabus decretalibus, tanquam jus commune constituentibus, determinarunt et docuerunt quid

clericis licitum illicitumve foret, quoad procuratoris et advocati officium. Ergo nulla est ratio, cur dictæ duæ decretales, etiam hodie pro legibus vigentibus et jus commune constituentibus, non habeantur.

Hinc tota quæstio commode potest ad hos terminos reduci : quid licitum fiat clericis, quoad procuratoris et advocati officium, per decretales *Clerici* et *Cum sacerdotis?* Id enim determinare, est jus ipsum commune hodiedum vigens describere.

## III.

*Clerici sæculares in minoribus constituti, an et in quo foro possint esse procuratores et advocati.*

1° *Regulariter possunt esse advocati coram judice ecclesiastico.*— Nam est principium certum, et ab omnibus, admissum, omnes, qui jure non prohibentur, posse in advocatos assumi : nullibi autem in jure occurrit prohibitum, ne dicti clerici coram judice ecclesiastico id muneris obeant. Præterea (in citato capite *Clerici* 1, tituli 37, libri 1 decretalium) dicitur, ne præsumant advocati fieri *coram sæculari judice :* quæ verba aperte supponunt nihil officere, quin advocatos agant coram judice ecclesiastico; alioquin enim addita non fuissent verba illa *coram sæculari judice;* sed universaliter munere advocati interdicti fuissent. Conclusionem tandem confirmat communis sententia canonistarum, ut videre est in eorum commentariis in titulum 34, libri 1 decretalium. Posuimus tamen in conclusione *regulariter;* quia nempe ad regulam illam generalem datur exceptio, ut sequitur.

2° *Non possunt tamen esse advocati pro extraneis, coram judice ecclesiastico, contra Ecclesiam a qua beneficium obtinerent.* — Id enim expresse statuitur in supra citata decretali Gregorii IX : « Clericus autem qui contra Ecclesiam a qua beneficium obti-« net, pro extraneis advocatus vel procurator esse præsumit, « tanquam ingratus potest beneficio hujusmodi spoliari. »

Ibi agitur de omnibus clericis et de foro etiam ecclesiastico, siquidem lex non distinguit, sed universaliter loquitur.

« Intelligendum autem hoc est *regulariter* ; nam plures fa- « ciendæ sunt exceptiones, quibus etiam contra Ecclesiam, in « qua beneficium obtinet clericus, advocati munus obire po- « test : *primo*, si præcepto superioris ad hoc cogatur; *secundo*, « si postulet in propria causa, vel personæ conjunctæ; *tertio*, « si pro personis miserabilibus, alio advocato destitutis; « *quarto*, si Ecclesia ingrata esset in clericum; *quinto*, si in una « Ecclesia pro qua postulat esset Prælatus; in altera contra « quam postulat haberet aliud beneficium. » (Schmalzgrueber, in titulum 37, libri 1 decret., n. 9.)

3° *Si habeant beneficium ecclesiasticum, non possunt regulariter esse advocati coram sæculari judice in negotiis sæcularibus.* — Id expresse decernitur in citato capite *Clerici* (1, tituli 37, lib. 1 decr.) : « In ordinibus quoque minoribus, si stipendiis eccle- « siasticis sustententur, coram sæculari judice advocati in ne- « gotiis sæcularibus fieri non præsumant. » Videtur autem extendenda prohibitio ad eos clericos in minoribus constitutos, qui licet beneficium proprie dictum non obtineant, alio modo ex Ecclesiæ bonis sustentantur; quia etiam tunc recipiunt *stipendia ecclesiastica* : imo probabiliter et ad eos qui bona patrimonialia vel aliunde acquisita, unde sufficienter sustententur, possident. Nam tunc, ait Pirrhing, cessat causa necessitatis propter quam permissum est ejusmodi clericis advocati munus exercere; et cadunt sub præceptum generale quo perpetuo in Ecclesia prohibitum est (salvis nonnullis exceptionibus) ne clerici negotiis sæcularibus sese immisceant. (Vide Pirrhing, in titulum 38, libri 1 decretalium, n. 7.)

4° *A præcedenti conclusione excipienda sunt tres causarum species, in quibus dicti clerici, quamvis beneficium obtinentes, possunt in curia sæculari advocati officium exercere.* — Exceptio hæc triplex in citato capite *Clerici* exprimitur his verbis : « Nisi pro- « priam causam (en prima species causarum), vel Ecclesiæ « (en alteram), aut pro miserabilibus forte personis (en ter-

« tiam). » Contendere quis posset addendam esse quartam exceptionem, cum in capite *Cum sacerdotis* (3, tituli 37, lib. 1 decret.) permittatur etiam sacerdoti *pro personis conjunctis* postulare, id est, advocati officium exercere. Sed facultas ista intelligenda videtur dumtaxat quoad tribunal ecclesiasticum ; aut saltem contrarium non liquet ex solo textu. Cæteroquin si coram sæculari judice posset sacerdos conjunctas personas defendere, a fortiori dicendum esset id licere clericis in minoribus constitutis ; quia fortius negotia forensia Ecclesia prohibet iis qui majoribus ordinibus initiati sunt, quam qui minoribus, ut patet toto titulo 37 et 38, libri 1 decretalium.

5° *Sive beneficium habeant sive non, advocati nunquam esse possunt contra Reum in causa criminali, si Reo immineat pœna sanguinis.* — Ita doctores communiter tanquam omnino certum arguunt ex capite *Sententiam* (9, tituli 50, libri 3 decret.), in quo sic disponitur : « Sententiam sanguinis nullus clericus « dictet aut proferat ; sed nec sanguinis vindictam exerceat, « aut ubi exerceatur intersit. » Non enim ullo clerico licet sese irregularitatis periculo exponere : irregularitatem autem certo incurreret, si mortis vel mutilationis membrorum pœnam subiret Reus, contra quem tamquam Actoris advocatus et auxiliator egisset. An autem ipsis etiam prohibitum sit in hoc casu Reum defendere ?

Disputarunt olim canonistæ, attenta quæ vigebat talionis pœna : nam cum accusator qui delictum Rei probare non poterat, deberet pœnam ipse subire, perinde ac si delictum idem patrasset, defensor Rei litem vincens, aliquo modo causa erat pœnæ sanguinis Actori inflictæ. Atvero cum jamdiu sublata fuerit talionis pœna, nihil obstare videtur quin clericus in minoribus constitutus Reum in criminali causa et coram sæculari judice defendat : modo tamen, ut dictum est supra, clericus ille beneficium ecclesiasticum non habeat ; quia, si haberet, vidimus eum ab exercendo coram sæculari judice advocati officio prohiberi.

7° *Si clerici in minoribus constituti beneficium non habeant, nec*

*aliunde bona quibus convenienter sustententur, possunt in omnibus (præter criminales modo dictas) causis, advocati officium etiam coram sæculari judice exercere.* — Hæc conclusio aperte sequitur ex citato capite *Clerici* (1, tituli 37, libri 1 decr.). Cum enim ibi prohibeantur advocati esse coram sæculari judice *si stipendiis ecclesiasticis sustententur*, sequitur eos non prohiberi si dictis beneficiis careant. Et ita tenent doctores unanimiter.

8° *Quod dictum est de advocati officio quoad præfatos clericos, idem applicandum venit procuratoris muneri.* — Quamvis enim in toties citato capite *Clerici* (1, tituli 37, libri 1 decr.) non nisi de *advocatis* expressus sermo occurrat, ea tamen voce videtur legislator utrumque intellexisse, cum pro utroque ad legem ferendam rationes æque urgeant: attentis præsertim antiquis canonibus, quibus in hoc derogasse Lateranense concilium anni 1179 censendum non est. Illi autem antiqui canones procuratoris officium aperte clericis vetant: *Placuit ut Episcopus, et presbyteri et diaconi vel clerici, non sint... procuratores* (concil. Carthaginense 3). *Decrevit concilium, non Episcopum, non clericum, non monachum... negotiis sæcularibus se immiscere, præter pupillorum, etc.* (concilium Chalcedonense, can. 3). Accedit communis doctorum sententia, qui dictas de advocatia leges, etiam de procuratoris munere intelligunt, ut videre est in eorum commentariis ac titulos 37 et 38, libri primi decretalium.

## IV.

***An et in quo foro subdiaconi, diaconi et sacerdotes possint esse procuratores et advocati.***

1° Nullus eorum advocati aut procuratoris officium exercere potest contra reum cui imminet pœna sanguinis; prout supra diximus de clericis in minoribus constitutis: nam prohibitio illa omnes clericos attingit.

2° Diaconi et subdiaconi possunt esse advocati et procura-

tores coram judice ecclesiastico. Nam in citato capite *Clerici* (1, tituli 37, libri 1 decretalium), prohibitio talia munera exercendi restringitur his verbis *coram sæculari judice:* ergo prohibitio locum non habet relative ad curiam ecclesiasticam. Et notandum cum Pirrhing (in titulum 37, libri 1 decret., n. 8), id intelligi debere quoad eas etiam causas, quæ licet per se temporales, ad tribunal tamen ecclesiasticum pertinent, sive ratione personæ, puta quod litigans sit clericus, sive ratione objecti, ut quando litigatur de terrenis bonis aut juribus, ab aliqua ecclesia acquisitis.

3° Diaconi et subdiaconi coram sæculari judice regulariter nequeunt esse advocati nec procuratores. Clara enim est prohibitio : *Clerici in subdiaconatu et supra... coram sæculari judice advocati in negotiis sæcularibus fieri non præsumant.* (Cap. 1, tituli 37, libri 1 decret.) Ex eo autem quod ibi addatur *in negotiis sæcularibus*, concludit Pirrhing (loco citato) ipsis licere *in negotiis ecclesiasticis,* coram sæculari judice advocatos agere : seminus recte supponit posse unquam in foro sæculari legitime pendere causas ecclesiasticas ; cum istæ jurisdictioni Ecclesiæ exclusive subjaceant ; nisi casus sit de iis regionibus in quibus jura Ecclesiæ potestas sæcularis non agnoscit.

4° Dantur tamen præcedenti conclusioni nonnullæ exceptiones ; addit enim lex : *Nisi propriam causam vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis quæ proprias causas administrare non possunt.*

5° Præmissa prohibitio postulandi seu advocatiam exercendi coram sæculari judice, cadit etiam in presbyteros et Episcopos : dicitur enim clerici *in subdiaconatu et supra* coram sæculari judice advocati fieri non præsumant.

6° An autem sacerdos possit esse advocatus et procurator saltem coram judice ecclesiastico? Negant doctores communiter (vide Schmalzgrueber, in titulum 37, libri 1 decretalium, n. 10, et Pirrhing, in eumdem titulum, n. 9). Fundantur textu ipso legis, qui ejusmodi officia universaliter decernit sacerdoti vetita, absque ulla ecclesiastici vel sæcularis judicis distin-

ctione : *Non sibi licitum est postulare* (cap. 3, tituli 37, libri 1 decret.); et confirmant ratione a legislatore adducta, *cum sacerdotis sit officium nulli nocere, omnibus autem velle prodesse* : quæ ratio, aiunt, urget etiam quoad judicia ecclesiastica. Contrarius tamen huic sententiæ fuit celebris canonista Hostiensis, qui putavit sacerdoti illicitum non esse coram judice ecclesiastico advocati officium, modo sine salario exerceatur. Ad quam opinionem me inclinari, nisi doctorum communis obstaret auctoritas, faterer : putarem nempe sensum legis posse intelligi de advocati officio, prout est publicum seu publica quædam professio et ordinaria exercitatio, ex qua lucrum percipi solcat; quo sensu nec coram ecclesiastico judice liceret sacerdoti advocatiam exercere. Atvero quando quis, præsertim sacerdos, coram judice ecclesiastico convenitur, non posse eum ab alio sacerdote defendi, non mihi videtur ex textu legis rigorose fluere. Et certe sacerdotali dignitati magis congruit, ut pro sacerdote ad tribunal Episcopi vocato, procuratoris et advocati officium potius exerceat sacerdos, quam inferior clericus, et præsertim laicus; ad quos tamen recurrere cogetur Reus, si inter consacerdotes defensorem suum eligere prohibeatur. Sed quidquid sit de hac quæstione, certum omnino est nonnullos dari casus in quibus etiam sacerdoti licitum est coram judice ecclesiastico advocatum et procuratorem agere, nempe :

7° In ipsa decretali quatuor prohibitioni exceptiones subnectuntur : *Primo* quidem advocatus potest esse sacerdos pro seipso seu in propria causa; « in qua, ait Pirrhing, sacerdos « vel alius clericus non cogitur procuratorem vel alium con- « stituere, sed potest per seipsum agere, vel causam suam defendere » (in titulum 37, libri 1 decret., n. 10). *Secundo,* item in causa suæ Ecclesiæ. *Tertio,* pro personis conjunctis; quod de conjunctis usque ad quartum gradum intelligendum esse tenent doctores communiter, ut videre est apud Pirrhing (loco citato). Est item communis doctorum sententia, verba hæc decretalis, *pro personis conjunctis,* licet rigorose non significent

nisi conjunctionem sanguinis, extendi tamen debere ad conjunctionem spiritualem, ita ut coram judice ecclesiastico possit sacerdos defendere fratrem suum spiritualem, verbi gratia, canonicus canonicum : idque, aiunt, *ob paritatem et majoritatem rationis et secundum æquitatem* (Pirrhing, loco citato). *Quarto,* pro personis miserabilibus, quarum defensio ad Ecclesiam spectat, quales sunt pauperes, pupilli, orphani et viduæ. Addendam esse *quintam* exceptionem, nempe pro defendendo Episcopo suo, concludunt canonistæ ex capite *In nostra* (4, tituli *de Procuratoribus,* libri 1 decret.), ubi videmus procuratores a Tullensi quodam Episcopo ad Sedis Apostolicæ tribunal directos, pro lite ibi ipsum inter et decanum pendente, minime rejectos fuisse ex eo quod essent presbyteri. « Etiam presbyteri (ait Pirrhing, in tit. 38, libri 1 decret., n. 21) constitui possunt procuratores ad lites in causa Episcopi sui, præsertim si is defendendus sit, ut colligitur ex capite *In nostra.* »

8° Tum subdiaconi, tum diaconi, tum etiam sacerdotes, si neque ex reditibus ecclesiasticis, neque aliunde habeant unde vivant, et Episcopus aut non velit aut non possit illis providere, licite possunt munere advocationis fungi, etiam coram judice sæculari et in causis sæcularibus. Ita doctores communiter : in cujus conclusionis probationem sic disserit Pirrhing : « Nam si clericus victum et vestitum sibi quærere potest exercendo agriculturam (can. *Clericus* 3, distinct. 91), multo magis in tali necessitate poterit exercere munus advocationis, quod nobilius est; præsertim quia necessitas legem non habet : et, si clerico licet advocare pro pauperibus et aliis miserabilibus personis, ut illarum necessitati succurrat, multo magis erit id licitum ut propriæ necessitati consulat, cum charitas bene ordinata incipiat a seipso. » (In titulum 37, libri 1 decretalium, n. 10.)

9° Contra id quod diximus, licitum non esse presbyteris advocatiæ exercitium, *etiam in curiis ecclesiasticis* (exceptis supra memoratis nonnullis casibus), non ignoramus objici

nobis posse auctorem quemdam magni nominis, qui putavit *jure ipso canonico* presbyteris concessum *ut se advocatos in tribunalibus ecclesiasticis libere exibeant* (capite scilicet *Sacerdotes, de Postulando*); additque fuisse illam Fagnani sententiam. Sed quomodo verum sit hoc utrumque assertum, ego plane videre non potui.

Nam *primo,* dicto capite *Cum sacerdotis,* de presbytero dicitur, *non...* ipsi *licitum est postulare;* et certum est hanc prohibitionem a canonistis *communiter* intelligi quoad utrumque forum, ut supra indicavimus. Excepto nempe Hostiensi (cum paucissimis forte aliis), tenent doctores per hunc textum prohiberi sacerdotes ab exercenda advocatia, *etiam coram ecclesiastico judice.* Unde non videtur contrarium recte tanquam certum asseri. *Secundo,* nedum Fagnanus sentiat quod supponit auctor de quo loquimur, omnino oppositum tenet et ex professo docet. Commentans enim citatum caput *Cum sacerdotis,* sic arguit : « Regula est, sacerdoti non esse licitum advocationis « officium exercere seu postulare, ut hic expressum. Et habet « locum hæc regula etiam in foro ecclesiastico. Nam etsi « Hostiensis... sentiat sacerdoti esse illicitum postulare in foro « sæculari dumtaxat, non autem in foro ecclesiastico, nisi cum « perceptione salarii; tamen ejus opinio ab antiquis et mo- « dernis doctoribus communiter reprobatur. » Et postquam variis rationibus ostendit merito reprobari prædictam Hostiensis opinionem, sic addit : « Tene igitur differentiam esse inter « *clericos* et *sacerdotes.* Nam clerici etiam in sacris, et benefi- « ciati, in foro Ecclesiæ possunt esse advocati... Sed sacerdo- « tibus hoc non licet, etiam coram judice ecclesiastico, nisi in « quatuor casibus hic expressis. »

10° De brevibus autem Pontificiis, quibus sacerdoti facultas conceditur advocatiam in utroque foro exercendi, prout exercent advocati laici (excepta tamen causa sanguinis), testatur Benedictus XIV, et raro id concedi, et solere dumtaxat *eousque advocationis exercitum eidem permitti, quousque certos ecclesiasticos reditus in congruam sustentationem, aut beneficium*

*residentiale fuerit assecutus* (1). Si ergo raro concedandur ejusmodi rescripta et brevia, et cum talibus insuper restrictionibus, non est cur de abusu arguantur Romani pontifices. Loquimur autem hic de facultate sacerdotibus quandoque a Papa concessa, ut *ubilibet* advocatiam ordinariam exerceant. Nam si agatur de speciali advocatia quæ exercetur apud curiam Romanam, quam rationabiliter eam sacerdotibus generaliter concedat Sedes Apostolica (ob peculiarem nempe ejus modi advocatiæ naturam et ordinationem), dicemus sub puncto sequenti.

## V.

*De facultate quam ex usu et indulgentia Sedis Apostolicæ habent clerici etiam sacerdotes advocati munus publicum in curia Romana exercendi.*

1° Certa est notabilis illa a jure communi exceptio, qua clericis etiam sacerdotibus fas est in Romana curia advocati officio fungi. « Ex tolerantia Pontificis servatum esse ut cle« rici in Romana curia advocationis et procurationis publica « munera exerceant, contra juris regulas, » asserit Octavianus Vestrius (in sua *Pract.*, lib. 3, cap. 4, n. 4). Item regulam generalem qua prohibentur advocationem exercere clerici explicans Fagnanus, eam exceptionem memorat : « Declaratur, « inquit, supra dicta regula, ut non obtineat in curia Romana, « ubi contrarium servatur de consuetudine. » (In caput *Clerici* 1, tituli 37, libri 1 decret., n. 22.) « In Romana curia, ait « Pirrhing, ex consuetudine et indulgentia S. Pontificis, etiam « clerici advocationis et procurationis publica munera exer« cere possunt. » (In caput *Clerici* 1, *de Postulando*, n. 12.) « Addi debet (nempe exceptionibus ad generalem regulam) « consuetudo Romanæ curiæ, in qua, Summi Pontificis tole« rantia, clerici, etiam sacerdotes, obire solent munera advo-

(1) *De Synodo diœcesana*, l. 13, c. 10, n. 12.

« cationis et procurationis. » (In tit. 37, libri 1 decret., n. 8.) Et ita testantur non tantum canonistæ, sed et hodierna etiam praxis, quam sub oculis habemus. Clerici nempe, etiam sacerdotes, lauream in utroque jure adepti, et expletis nonnullis aliis conditionibus, possunt Romæ in albo advocatorum publicorum inscribi, et advocatiam in causis etiam sæcularibus, perinde ac si essent laici, exercere.

2° De hac vero Romanæ curiæ praxi sic adnotat Cardinalis de Luca (*de Relat. curiæ Romanæ*, discursu 46, n. 17) : « Ad-
« vocati itaque, juxta Romanæ curiæ stylum sunt illi, utriusque
« juris communis, civilis et canonici (sub quo reliquum jus par-
« ticulare venit) professores, qui tam in scriptis quam oretenus,
« causas in puncto juris tantum tuentur; judicibus insinuantes,
« quid de jure verius statutum sit; sive an juris jam notæ et
« receptæ propositiones illi casui bene applicentur, et con-
« gruant, et quomodo. Ita solas nobiles ac scientificas ingenii
« partes explicando..., processus et acta nullatenus vident...
« Minusque in actorum judicialium compilatione respiciunt...
« Se non ingerunt in conficiendis minutis instrumentorum, alia-
« rumque conventionum... Nullatenus se ingerunt in aliis acti-
« bus vel rebus judicialibus... In desuetudinem quoque hodie
« pene abiit inadvocatis ille usus, qui antiquitus erat frequens,
« annuorum scilicet vel menstruorum stipendiorum, quæ sub
« salarii nomine vulgo explicari solent..... Hinc proinde sequi-
« tur, ut sit probabili fundamento innixa curiæ consuetudo, a
« scriptoribus communiter probata, ut clerici etiam in sacris,
« istud munus licite peragant, quamvis ex sacrorum canonum
« et conciliorum decretis eis vetitum sit, atque illicitum repu-
« tetur, dum ita etiam claustralibus et regularibus clericis con-
« gruere possit; tum ex dicta ratione, quod laborum ingenii mer-
« cedem nonnisi a sponte dantibus recipiunt; tum fortius quia
« omnis occasio abest calumniandi, vel mendacii reatum incur-
« rendi, dum scribunt et loquuntur juxta ea quæ in facto per
« causæ patronos præsupponuntur: ita, more antiquorum juris
« consultorum, respondentes juxta ea quæ proponuntur; eo

« modo quo etiam religiosi moralis theologiæ professores super « casibus conscientiæ consulti respondent; adeo ut aliud vitæ « forensis ac sæcularis vestigium adesse non videatur, nisi in « casu quo in tribunali Auditoris Cameræ, vel in aliis superius « recensitis, informationes fiant in contradictorio, dum in Rota « et in Camera ac in sacris congregationibus, iste stylus non ha- « betur, ut agendo de tribunalibus supra advertitur; ac etiam « quia ista est principaliter curia Papæ, principis ecclesiastici. »

## § V.

### Utrum religiosi procuratores et advocati esse possint.

1° Est generalis regula, non posse religiosos advocati, procuratorisve munus exercere, sive coram sæculari, sive etiam coram ecclesiastico judice. Sed ab hac regula excipiuntur causæ monasterii, in quibus potest religiosus dictum officium obire, modo a Prælato suo regulari deputetur. Pro quo citat Gratianus Pelagium Papam sic rescribentem : *De præsentium portitore, quod defensor factus non est, nulla vobis animi molestia sit : quia vere satis amarissimum habeo de isto proposito ad illud officium homines deduci, in quo nullomodo quæ a monachis Deo promissa sunt, valeant adimpleri. Omnimodo enim est illius habitus et istius officii diversitas : illic enim quies, oratio, labor manuum : at hic causarum cognitio, conventiones, actus, publica litigia, et quæcumque vel ecclesiastica instituta, vel supplicantium necessitas poscit.* Addit Gratianus : « Gelasius tamen permittit « illos ex dispensatione fieri defensores. » (Caput *de Præsentium* 20, q. 1, causæ 16.) In concilio autem Tarraconensi sic decretum fuit capite 11 : *Ut nullus eorum, id est, monachorum, forensis negotii susceptor vel executor existat, nisi quod monasterii exposcit utilitas, Abbate sibi nihilominus imperante.* (Cap. *Monachi* 35, q. 1, causæ 16.) Decimo tertio sæculo quidam canonici regulares contenderunt sibi licere advocatiæ exercitium, eo quod nempe canones id prohibentes de *Monachis* loqueren-

tur, non de canonicis regularibus. Ast eorum errorem repressit Innocentius III, hoc suo ad Compostellanum Archiepiscopum rescripto : *Ex parte tua nobis fuit propositum, quod quidam canonici regulares, non solum in ecclesiasticis, verum etiam in forensibus causis præsumunt advocati officium exercere. Cumque objicitur eis, quod non debent esse forensis vel ecclesiastici negotii susceptores vel executores, nisi forte id monasterii exposcat utilitas, Abbate nihilominus imperante, ad suam proponunt insolentiam excusandam, quod capitulum illud, per quod prædicta prohiberi videntur, de Monachis, non de canonicis regularibus, loquitur manifeste. Unde consultationi tuæ taliter respondemus, quod idem judicium de canonicis regularibus, quod de Monachis, quantum ad supra dicta, credimus observandum, licet de Monachis in canone specialiter sit expressum.* (Cap. 2, tituli 37, libri 1 decretalium.)

Ex illis porro textibus certum omnino est, prohiberi religiosos ab exercendo advocati et procuratoris officio, etiam coram ecclesiastico judice, nisi in causis utilitatem monasterii respicientibus. Et hoc jus commune hodiedum etiam vigere pariter certum est : tum quia ei per novas leges derogatum non fuit; tum quia non invecta est in contrarium generalis consuetudo; tum etiam quia consuetudo contraria, sicubi introducta foret, pro corruptela, disciplinæ religiosæ eversiva, habenda esset. Quomodo autem intelligenda sit generalis illa juris communis regula, magis determinate exponentes canonistæ quædam utiliter adnotant. Nempe,

2° « Ut religiosus possit esse advocatus vel procurator, duo « copulative requiruntur, utilitas monasterii et superioris « mandatum seu licentia; ita ut si alterutra conditio deficiat, « non possit obire munus advocati vel procuratoris, nec in foro « sæculari, nec in ecclesiastico... Requiritur autem ut licen- « tia, non tantum sit petita, sed obtenta, ut colligitur ex citato « (capite *Ex parte* 2, tituli, 37, libri 1 decr.); ubi exigitur, ut « Abbas id imperet : non potest autem duci imperare, nisi li- « centiam concedat...: sufficit autem interdum tacita seu præ- « sumpta licentia Prælati, ad hoc ut religiosus in judicio po-

« stulare possit, si videlicet absens sit a monasterio... Et potest « hanc licentiam dare etiam superior immediatus religionis; « nec exigitur consensus conventus, neque etiam Episcopi seu « Ordinarii loci, nisi monasterium ipsi esset subjectum. » (Pirrhing, in titulum 37, libri 1 decretalium, n. 17.)

3° « Præter mandatum seu licentiam Prælati, requiritur « etiam utilitas monasterii, ut munus advocati religiosus obire « possit... Non potest religiosus, etiam cum licentia Prælati, esse « advocatus pro personis sibi sanguine conjunctis..., quia in « eo nulla vertitutur utilitas monasterii, et non decet ut reli- « giosi propter carnalem cognationem sæcularibus negotiis se « involvant. » (Pirrhing, loco citato, n. 18 et 19.)

4° Utrum religiosi possint advocati procuratorisque munus obire pro miserabilibus personis, disputant doctores : affirmant Imola, Sanchez : negat Layman (vide Pirrhing, loco citato).

5° « Prælatus seu superior ordinis potest esse advocatus « vel procurator in judicio sine licentia sui conventus; quia « ipse non pendet a conventu, sicut conventuales ab ipso...; « idque non solum in causa pertinente ad utilitatem monasterii, « sed etiam in alia causa ecclesiastica, si gravis sit, et perti- « nens ad utilitatem publicam, verbi gratia, electionem Epi- « scopi. » (Pirrhing, loco citato, n. 19.)

## § VI.

### Quibus, in causis constitui possit procurator.

« In omnibus causis et negotiis adhiberi potest procurator, « in quibus id non reperitur expresse prohibitum. » (Pirrhing, in titulum 38, libri 1 decretalium, n. 25.) Quod generale principium unanimiter a doctoribus tanquam certum traditur.

Porro aliunde certum est, de causis dumtaxat criminalibus moveri posse difficultatem : nam quoad cæteras nullibi in jure

prohibetur procuratorem constitui. Quæstio autem olim acriter disputata, de procuratore in causis criminalibus admittendo vel non admittendo, sic breviter resolvi potest :

1° Si de crimine non agatur *criminaliter* (id est in hunc finem ut delictum debita pœna plectatur), sed dumtaxat *civiliter* (id est in hunc finem ut obtineatur aliqua compensatio pecuniaria, vel alius civilis effectus), admittitur, tam pro actore quam Reo, procurator. Est sententia communis doctorum. Fundantur autem, tum lege *Licet* (42, *de Procuratoribus,* in Pandectis Justiniani) ; tum quod in hoc casu nullatenus necesse sit litigantes ipsos adesse, cum non in eorum persona, sed tantum in eorum bonis executio facienda sit ; tum præcipue capite *Tua* (5, *de Procuratoribus*), ubi Innocentius III declarat, agi posse per procuratorem in causa criminali adulterii, si agatur dumtaxat ad obtinendum viri et uxoris divortium : secus autem si postuletur, patratum crimen pœna corporis afflictiva plecti.

2° Si agatur criminaliter quidem, sed de crimine quod plecti solummodo debeat exilii aut inferiore pœna, est pariter admittendus procurator. « Etenim firmissima opinio est, quod « in omnibus causis a relegatione infra, admittitur procurator, « cum satisdatione de standojuri... Et sic in criminalibus, in « quibus intrat pœna pecuniaria, exilii et etiam excommuni- « cationis, Reus absens poterit se defendere per procuratorem. « Nam pœna exilii non dicitur pœna corporis afflictiva, sed « media collocatur inter corporalem et pecuniariam. (Monacelli formularium, titulo 15, formula 2, adnotatio 10.) Ita communiter sentiunt doctores ; quia nempe posita procuratoris convenienti satisdatione (cautionnement), moraliter certum est Reum sese hujusmodi pœnis non substracturum, si ad eas condemnetur.

3° Si agatur de crimine criminaliter, et imponenda sit pœna corporis afflictiva et relegatione major, non admittitur procurator pro Reo, sed personaliter comparere debet. Eruitur ex capite *Veniens* (15, tituli 1, libri 5 decretalium), in quo

Innocentius III, loquens de Pragensi Episcopo, apud Sedem Apostolicam in re criminali accusato, et qui impedimenta prætexens procuratores miserat, sic habet : *Licet autem excusationes hujusmodi (sicut erant) frivolas æstimantes, ipsum reputavimus contumacem, nec procuratores ejus in causa possemus recipere criminali,* etc. Citant præterea canonistæ quasdam juris Romani leges, tanquam in ecclesiastico foro quoad hoc receptas. « Ratio est, ait Pirrhing, quia ubi agitur de pœna capitis vel « alia corporali Reo infligenda, sententia judicis reddi illusoria « posset, neque executioni mandari : nam in procuratorem « non esset executioni mandanda, quia ipse non deliquit : « contra Reum autem absentem non facile executioni mandari « posset, quia in judicis potestate non esset, et ad evitandam « pœnam fuga sibi consuleret. » (Pirrhing, in titulum 38, libri 1 decretalium, n. 31.)

An autem actor seu accusator teneatur etiam personaliter comparere? Attento jure Romano (lege ultima, c. *de Accus.*). Respondendum esset affirmative, quia juxta jus illud vigebat pœna talionis, ita ut accusator sese obligare teneretur, si in probatione succumberet, ad subeundam eam ipsam pœnam, quam subire debuisset Reus, si fuisset convictus. Unde ne dictam pœnam accusator effugeret, ad personaliter comparendum adigebatur. Et hoc jus viguisse olim videtur in judiciis etiam ecclesiasticis. Atvero jamdudum in desuetudinem abiit pœnæ talionis usus, et accusator in probando deficiens solet ad expensas dumtaxat et ad pœnam pecuniariam condemnari. Cessat proinde ratio, quæ personalem ejus præsentiam requirebat.

## § VII.

### De modo constituendi procuratorem et de procuratorio mandato.

1. Ut valide constituatur procurator, necesse non est ut sit præsens; sed etiam absens valide constituitur, modo consentiat. Ita doctores communiter.

2. Valet quilibet consensum exprimendi modus, quo procurator sufficienter palam facit se litteras procuratorias accipere: immo satis est ut qui scienter recepit hujusmodi litteras, protestationem in contrarium non emiserit. Quod constat ex capite *Instrumento* (1, tituli 10, libri 1 Clementinarum), quo sic in concilio Viennensi a Clementi V decretum fuit: *Instrumento vel litteris, quibus te aliquis in causis suis procuratorem constituens, pro te debito modo cavit, simpliciter* (*nulla facta protestatione*) *a te scienter receptis, non potes postea recusare defensionem illius: imo cogi poteris ipsum defendere in omnibus causis et negotiis ad quæ prædicta instrumenta seu litteræ se extendunt: cum per hæc ad omnia tuum præstitisse videaris assensum.*

3. Procurator constitui potest, non tantum ad præsentes, sed etiam ad futuras lites, juxta jus Romanum (l. 3, ff. *de Procuratoribus*), in ecclesiastico foro quoad hoc receptum. Ita doctores communiter.

4. Procuratori actoris *regulariter* necessarium est mandatum legitimum: quo si careat, procurator falsus in jure dicitur, et ab eo gesta in judicio sunt omnino irrita. Constat capite *In nostra* (4, tituli 38, libri 1 decretalium), in quo videmus irritum declarari ab Innocentio III judicium quoddam, eo quod procuratores actoris jam ab actore revocati fuissent ante litis discussionem; ac proinde falsi procuratores extitissent.

5. Diximus *regulariter* necessarium esse ut procurator actoris habeat mandatum legitimum: nam ad hanc regulam generalem plures dantur exceptiones: nempe,

*Primo*, « Si dominus præsens et sciens suo nomine aliquem « in judicio contendere, istud patitur; quia tali dominus man- « dasse videtur (l. *Qui patitur* 18, ff. mand.). *Secundo*, si talis « sit qui causas tractare consuevit, et secum habet instrumenta « sive acta ipsius causæ; quia hæc præsumptionem mandati « fundant (capite *Coram* 34, *de Officio deleg.*). *Tertio*, si sint « consortes ejusdem litis; nam hi pro se invicem etiam absque « mandato in judicio possunt agere (l. *Commune* 2, c. *de Consor-* « *tibus ejusdem litis*). *Quarto*, si sint personæ conjunctæ, quales

« sunt parentes, liberi, fratres, affines (lege *Sed et hoc* 35, ff. *de* « *Procuratoribus*); imo omnes conjuncti usque ad quartum gra- « dum in linea transversali... *Quinto,* si maritus agere velit pro « uxore...; proceditque hoc etiamsi agatur tantum de bonis « istius paraphernalibus; estque perinde, sive habeat admi- « nistrationem illorum maritus, sive illam retinuerit sibi uxor. « *Sexto,* si Episcopus vel Prælatus bona et jura ecclesiæ suæ « perdat, vel defendere aut recuperare negligat; tunc enim ca- « nonici et clerici singuli agere super iisdem possunt, etiam sine « mandato. (Cap. *Licet* 1, *de Restit. spoliat.*—Cap. *Cum olim* 34, « *de Testibus et attest.* — Cap. *Si quis* 6, *de Rebus Ecclesiæ non* « *alien.*); et ratio est, quia ipsorum interest res et jura ecclesiæ « suæ salva et illæsa servari. His ergo omnibus agere sine « mandato permittitur, nisi aliud constet de voluntate domini « pro quo interveniunt, vel causa sit speciale mandatum exi- « gens. » (Schmalzgrueber, in titulum 38, libri I decret., n. 25.)

6. Procuratori Rei necessarium non est mandatum ; sed pro Reo absente quilibet ex iis qui legitime standi in judicio jus habent, defensorem et procuratorem sese constituere potest; modo tamen satisdet pro judicato solvendo, et etiam cautionem præstet de rato, casu quo Reus convenitur actione reali. Ita jus Romanum, in ecclesiastico foro quoad hoc receptum. Ratio est, quia boni publici interest absentes, etiam ignorantes, per quemcumque defendi, ne ignari patiantur damnum.

7. Quando requiritur mandatum procuratorium, non sufficit qualecumque, sed debet esse in forma legitima, et non revocatum aut aliunde extinctum.

Ut autem mandatum sit in forma legitima, quædam conditiones de jure communi requiruntur et sufficiunt : nempe, ut ponatur nomen constituentis, procuratoris constituti, actoris contra quem, judicis apud quem agendum, qualitas causæ demandatæ, dies et annus. Ita doctores communiter. De jure

autem particulari alicui curiæ, id est, ex ejus stylo aut statutis, fieri posset ut aliquæ aliæ conditiones requirerentur.

Quoad modum describendi mandati procuratorii, cum sufficientibus de jure communi conditionibus, vide ad calcem tractatus (*in collectione formularum*).

## § VIII.

### De potestate procuratoris, et de actuum ipsius effectibus.

1. Tanquam regula generalis habetur, officium et potestatem procuratoris ad plura non extendi, quam ei fuerit injunctum. Hinc domino nullatenus præjudicant, quæ a procuratore extra fines mandati peraguntur. Ita tenent doctores communiter, qui plures in probationem juris Romani textus adducunt (vide Pirrhing, in titulum 38, libri 1 decretalium, § 7). Sed et attento solo jure naturali, res extra dubium censenda est, ut patet. Unde in foro etiam ecclesiastico pro certa habenda est dicta generalis regula. Dubium autem esse potest, an in tali vel tali casu mandatum suum procurator prætergrediatur: unde magis in specie, quid possit aut non possit remanet determinandum.

2. Nulla censenda est procuratoris potestas, si constituens plenam libertatem in dando mandato non habuerit. Quam conclusionem ipso naturali jure fundari satis patet. Eam insuper canonistæ eruunt ex capite *Accedens* (10, tituli 38, libri 1 decretalium), ut videre est apud Pirrhing (in citatum titulum 38, libri 1 decretalium, n. 57).

3. Constitutus ad lites, potest non tantum agere, sed etiam respondere: idest, dominum defendere si a reo reconveniatur. Imo si constitutus ad agendum, noluerit dominum defendere seu pro eo respondere, poterit ab agendo repelli. Ita jus Romanum, quoad hoc in foro ecclesiastico receptum. Vide textus apud Pirrhing (loco citato, n. 56). Imo putant plures cano-

nistæ hoc precedere, etiamsi constituens in mandato adhibuisset formulam restrictivam, *ad agendum tantum*. Posset nempe etiam tunc procurator dominum defendere, si non vi mandati, saltem quia quilibet potest defendere alium, etiam sine mandato, dum modo præstet cautionem de judicato solvendo (Pirrhing, loco cit.).

4. Procurator generaliter constitutus *ad negotia,* non addito *judicialia et extrajudicialia*, censetur etiam constitutus ad lites, ita ut agere et defendere possit, exceptis causis quæ speciale mandatum requirunt. Sic enim decrevit Bonifacius VIII: *Qui generaliter constituitur ad negotia procurator, agere ac experiri potest, exceptis his casibus qui mandatum exigunt speciale* (cap. 5, tituli 19, libri 1, in 6). Ratio est quia tunc vox *negotium* censetur adhibita a constituente in sensu lato; et sic includit etiam lites.

5. Procurator generaliter constitutus, non censetur datus ad causas criminales agendas, nisi id specialiter exprimatur, aut nisi de crimine agendum esset dumtaxat civiliter, et non criminaliter. (Pirrhing, in titulum 38, libri 1 decretalium, n. 60.)

6. Casus in quibus procurator indiget speciali mandato enumerantur tres in capite *Qui ad agendum* (4, tituli 19, libri 1, in 6): *Procurator quoque absque speciali mandato juramentum deferre, transigere vel pacisci non potest, nisi ei bonorum vel causæ administratio libere sit concessa.* Glossa in citatum caput addit plures alios casus, nempe: « Nec in integrum restitutionem pro « altero petere... Item in causa suspecti tutoris... Item ubi « sunt duo procuratores omnium rerum alicujus : tunc enim « non potest unus ab alio sine speciali mandato exigere... « Item de interdicto... Item in acceptilatione... Item in re- « scriptorum impetratione... Item in causa matrimoniali... Item « secundum quosdam in voto transmarino... Item in consum- « ptorum instrumentorum exemplatione... Item in his quæ « Sedes Apostolica sibi specialiter reservavit... Item in con- « trahendo matrimonio... Item in absolutione petenda ab ex-

« communicatione... Item in contrahenda excommunicatione. « Item in præstatione juramenti de calumnia. »

7. In prædictis casibus procurator nequit admitti absque mandato specialem mentionem de illis faciente; ita ut non sufficiat clausula, qua in mandato generali constituens diceret, se constituisse suum procuratorem ad omnes causas, *etiam ad eas quæ speciale mandatum requirerent*. Constat ex decretali Bonifacii VIII : *Qui ad agendum et defendendum, ac generaliter ad omnia (etiamsi mandatum exigant speciale) constituitur procurator, ex vi generalitatis hujusmodi, ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet*. (Cap. *Qui ad agendum* 4, tit. 19, l. 1, in 6.) Ratio est quia lex frustra requireret speciale mandatum pro aliquibus causis, si constituens adhibita præfata generali clausula, posset etiam ad eas causas procuratorem suum idoneum efficere.

8. Si tamen in mandato procuratorio exprimantur aliqui ex casibus qui speciale mandatum requirunt, et constituens addat, et *ad alias omnes causas quæ speciale mandatum exigerent*, etiam ad alios casus non expressos admitti debet procurator. Constat ex modo citato capite *Qui ad agendum*, in quo sic decrevit Bonifacius VIII : *Sed si aliquis vel aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati fuissent, adjecta clausula generali, tunc ad non expressos etiam admitteretur*. Hoc tamen non extenditur ad casus non expressos, qui essent *graviores* casibus expressis; sed intelligendum est dumtaxat de similibus vel minoribus. Constat ex capite *Sedes* (15, *de Rescriptis*) et Clementina *Non potest* (2, *de Procuratoribus*).

9. Procurator sibi alium procuratorem substituere potest post litem contestatam : non vero ante, nisi esset datus in rem suam, vel nisi hanc substitutionem ipsi permiserit constituens. Ita expresse decrevit Bonifacius VIII, his verbis : *Licet autem a procuratore post litem contestatam possit (cum dominus sit litis effectus) dari alius procurator; antea tamen non potest, nisi in rem suam sit datus, vel a domino substituendi alium (etiam certa non expressa persona) sibi fuerit concessa potestas*. (Cap.

*Non indiscrete* 1, tituli 19, libri 1, in 6.) Dicitur autem procurator *datus in rem suam,* quando constituens sive dominus, per pactum particulare ei cessionem fecit omnis utilitatis, seu omnium fructuum, quos ex lite sperat, et litigando persequitur.

10. Mortuo procuratore substituente dum res adhuc est integra, substitutus poterit litem prosequi, si substitutus fuit ex permissione principalis seu domini; quia tunc censetur ab ipso domino constitutus : secus vero si procurator cum sibi substituerit vi facultatis sibi a lege concessæ, id est, eo quod, lite contestata, jam esset dominus litis : tunc enim mortuo procuratore substituente, expirat substituti mandatum, si res sit adhuc integra. Ita canonistæ et Rota (vide Pirrhing, in tit. 38, libri 1 decret., n. 77). Remanet dicendum de effectibus actuum procuratoris relative ad dominum qui eum constituit : utrum nempe ipsi noceant vel prosint a procuratore gesta.

11. Si ex judicis vel legis præcepto dominus aliquid facere debuisset, et hoc facere omisit ipsius procurator, omissio illa domino imputatur et nocet; nisi tamen procuratori supervenerit rem faciendi moralis impossibilitas. Ita doctores communiter (vide Pirrhing, loco cit., n. 78).

12. Si procurator ipse (non autem dominus) ex judicis vel legis præcepto aliquid facere teneatur et non faciat, et talis sit ejusmodi negligentia, ut cadat in delictum, et pœna sit plectenda, id nocet procuratori, non domino. Quia nempe non censetur dominus, procuratorem etiam generalem constituendo, voluisse ei delictum præcipere. (Pirrhing, loco cit., n. 79.)

13. Si vero procuratoris contumacia in omittendo quod facere tenetur, non certo cadat in delictum, id est non certo sit de iis omissionibus, quæ juxta dispositionem legis pœna plecti debent, tunc procuratoris negligentia nocet domino. Unde, verbi gratia, si procurator omisit appellare intra decem dies, ita ut sententia in rem judicatam transeat, non admittetur po-

stea dominus appellare volens. Item si procurator negligens fuit in producendo testes aliasque probationes intra præscriptum terminum, præjudicium ex tali negligentia ortum subire cogetur dominus. Ideo nempe quia sibi imputare debet quod negligentem vel imperitum procuratorem elegerit. Si tamen malitiose id fecit procurator, succurritur domino. (Ita communiter doctores arguunt ex quibusdam juris Romani textibus. Vide Pirrhing, loco cit., n. 80.)

14. Quando procurator, non omittendo, sed positive aliquid illicite faciendo deliquit, fecitque quod pœnæ sit ob noxium, tale factum non præjudicat domino; nisi tamen dominus ad id speciale mandatum dederit, vel factum ipsum jam peractum expresse ratum habuerit. (Pirrhing, loco cit., n. 81.)

15. « Confessio procuratoris facta in judicio ordinorie do-« mino præjudicat, ut constat ex capite *Suborta* (21, *de Sententia* « *et re judicata*) et capite *Olim* (*de Censib.*). Nam procurator, ex « necessitate officii sui, debet respondere ad exhibitas partis ad-« versæ positiones, ad quod habet mandatum speciale vel gene-« rale. Hoc autem maxime verum est, si procuratoris confessio « fiat post litis contestationem ; nam si in ipso ingressu in judi-« cium, sive post oblatum libellum procurator ultro fateatur « intentionem actoris, non præjudicat talis confessio domino ; « cum ea, sine necessitate facta, prodigalitas seu renuntiatio ju-« ris videri possit, quæ sine mandato speciali procuratori non « competit... Imo universim, quando voluntarie et sine neces-« sitate procurator confitetur, non præjudicat domino... Quod « autem dictum est confessionem procuratoris in judicio, re-« spondendo ad positiones adversarii, factam, nocere domino, « id limitandum est, nisi dominus eam revocet, uti potest, pro-« bando errorem. Arguitur capite ultimo *de Confessione sive* « *facti sive juris.* »

« Aliud vero quoad hoc de advocato, cujus confessio non « obest parti seu clienti, quominus eam statim revocare et ad-« vocato suo contradicere possit; uti sumitur ex capite *Cum* « *causam* (62, *de Appell.*)...; quia advocatus non habet mandatum

« ad respondendum et contradicendum sicut procurator ; ideo-« que sufficit si confessio advocati a parte revocetur, etiam « non allegato et probato errore.» (Pirrhing, in tit. 38, libri 1 decretalium, n. 82.)

16. Ex mandato procuratorio oritur actio directa mandati, quæ datur domino contra procuratorem, ut rationem reddat omnium quæ gessit, et restituat quæ ex re seu lite consecutus est, sive juste sive injuste (lege *Qui proprio* 46, § *procurator*, ff. *de Procuratoribus*) : item ut omne damnum, per dolum vel culpam seu negligentiam procuratoris domino illatum, compensetur. (Lege *Licet* 42, § *ea obligatio*, ff. *de Procuratoribus*. — Lege *Procuratorem* 11, et lege *a Procuratore* 13, c. *Mandati.*) Si vero procurator dictum damnum compensare nequit, concedenda est domino restitutio in integrum, id est facultas de causa judicata iterum litigandi, eodem modo ac si nondum judicata fuisset ; infertur id ex lege *Eleganter* (7, ff. *de Dolo*).

Hinc licet, ut supra dictum est, domino præjudicet culpa et negligentia procuratoris, ita ut in judicio condemnari possit ad solvendum id quod culpa procuratoris neglectum est (quia sibi imputare debet dominus quod negligentem procuratorem constituerit); tamen per actionem mandati ab eo recuperare potest dominus damna et interesse.

17. Vicissim procurator sive Actoris sive Rei, contra dominum habet mandati actionem, ad repetendas omnes expensas, quas occasione mandati seu negotii sibi commissi bona fide fecit. Constat tum jure Romano (vide textus citatos apud Pirrhing, in tit. 38, libri 1 decret., n. 85), tum decretali Innocentii III sic decernentis : *Mandamus quatenus expensas archidiacono restitui faciatis, si legitime probare potuerit se de mandato capituli suscepisse prædicta negotia promovenda, et propter hoc ad Sedem Apostolicam accessisse* (capite *Cum pro causa* 6, tituli 38, libri 1 decretalium).

## § IX.

Quotuplici modo cesset procuratoris officium et potestas?

1. Cessat revocatione, modo res adhuc sit integra : si vero res jam integra non sit, non valet revocatio nisi ex justa causa. Constat utraque pars propositionis capite *Quamvis* (2, *de Procuratoribus*, in 6) : *Quamvis procurator possit ante litem contestatam, etiam sine causa libere a domino revocari, postea tamen ipso nolente nequibit ; nisi cum eum domino inimicum fieri, vel suspectum, aut adversario affinitate conjungi, vel ejus hæredem fieri, seu ingredi religionem, aut in longum peregrinari, vel ægritudine aut vinculis detinere contingat, seu alia rationabilis causa subsit, propter quam sit merito revocandus.*

Sedulo tamen advertendum est, non sufficere post contestationem litis, justam adesse revocandi procuratoris causam, ut valeat illa revocatio; sed requiri insuper ut intimetur judici, vel adversæ parti. Sic enim decrevit Gregorius IX : *Mandato procuratoris post litem contestatam a domino revocato, si hoc ignorante judice vel adversario factum fuerit, judicium quod idem quasi procurator postmodum expertus est, ratum esse debebit.* (Capite 13, tituli 38, libri 1 decretalium.)

2. Cessat procuratoris officium et potestas mutuo consensu constituentis et constituti; ita scilicet ut si ambo consentiant, possit revocari procurator, etiam re non integra ; idque extra omnem controversiam est. Addit tamen Schmalzgrueber (in tit. 38, libri 1 decret., n. 39), post contestationem litis necessarium insuper esse partis adversæ consensum; eo quod per litis contestationem quasi contrahatur cum adversario; a contractu autem, parte altera invita, non liceat recedere. Id fundat citatus auctor quibusdam Justinianei juris textibus.

3. Finitur procuratoris potestas per ipsius exonerationem, seu quando ipse mandato renuntiat, lite nondum contestata.

Nam ante litis contestationem ipsi liberum est procuratoris officium resignare.

Atvero post litis contestationem, nequit procurator, invito domino, sese officio exonerare, nisi justa de causa; verbi gratia, eo quod supervenerit infirmitas, vel inimicitia cum principali, vel inexspectatum negotium, et hujusmodi. Ita doctores communiter.

4. Item cessat mutatione procuratoris, seu quando ipsi alius substituitur; quia hujusmodi substitutio censetur revocatio. Est sententia communis doctorum. Unde quæ diximus de casu revocationis, substitutioni applicanda veniunt.

5. Cessat finita instantia, seu lata definitiva sententia. Nam tunc procurator debet quidem, ne sententia in rem judicatam transeat, appellationem interponere, vel saltem principalem statim admonere ut ipse, si velit, appellet; non autem tenetur appellationem prosequi. Est sententia communis doctorum.

6. Cessat per mortem constituentis re adhuc integra; nam Justinianeum jus, ab Ecclesia in hoc puncto receptum, ita expresse decreverat: *Inter causas omittendi mandati, etiam mors mandatoris est; nam mandatum solvitur morte* (lege *Inter causas* 26, tituli 1, libri 17 digestorum). *Item si adhuc integro mandato, mors alterius interveniat, idest, vel ejus qui mandaverit, vel illius qui mandatus, solvitur mandatum* (titulo *Mandatum* 27, § 10, libri 3 institutionum). Et in hoc concordant canonistæ.

Si vero procurator ad executionem jam deduxit mandatum suum, quando intervenit constituentis obitus, in sua potestate perseverat. Constat ex citato jure Romano; in adducto enim *Institutionum* paragrapho sic additur: *Receptum est, si eo mortuo qui tibi mandaverat, tu ignorans eum decessisse executus fueris mandatum, posse te agere mandati actione.* Et valere in foro ecclesiastico illam juris dispositionem concorditer tradunt canonistæ; sed cum notabili exceptione a Clemente V facta hoc modo: *Procuratorem a Prælato, rectore, vel alio quolibet pro Ecclesia sua vel beneficio constitutum, per mortem constituentis revocari censemus: etiam quoad negotia jam incepta, et causas in*

*quibus per ipsum lis fuerit ante mortem hujusmodi contestata.* (Capite 4, tituli 10, libri 1 Clementinarum.) Ex qua Clementina sequitur, etiam contestata lite, cessare procuratoris potestatem per mortem constituentis, si constituens illum deputaverit pro rebus *Ecclesiæ suæ, vel beneficii sui.*

7. Expirat procuratoris potestas per ipsius obitum; eo nempe sensu, quod ad hæredes ipsius non transeat. Idque ab omnibus ut certum admittitur, ex ea ratione quod in procuratore eligatur personalis industria. Applicanda autem venit hæc regula etiam in casu inceptæ jam causæ.

## § X.

De procuratoribus communitatum seu universitatum, qui et syndici vocantur.

In superioribus paragraphis egimus de procuratore, quatenus a privatis personis constituto. Nunc de procuratoribus quos sibi constituunt *universitates,* disserendum. Universitatis autem nomine hic intelligimus quodlibet corpus morale ex multis personis coalescens; quales sunt, verbi gratia, civitates, ordines religiosi, monasteria, Ecclesiæ, collegia studiorum, collegia opificum. Hujusmodi vero universitatum seu communitatum procuratores, proprio nomine syndici vocati sunt. Hodie tamen fere solet reservari appellatio ista procuratoribus qui a *collegiis studiorum* deputantur. Cæterarum vero communitatum syndici commune procuratorum nomen retinent. Quo prænotato præcipuas juris sacri dispositiones, ad hujusmodi procuratores spectantes, hoc modo exponi posse visæ sunt :

1. Ut rite constituatur alicujus universitatis seu communitatis procurator, vocandi sunt omnes qui jus suffragii habent, juxta regulam juris 29 in *sexto : Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Estque extra omnem controversiam, invalidam fore procuratoris electionem, si vocata non fuerint omnia communitatis membra, quibus suffragium decisivum competit.

2. Si, vocatis omnibus vocandis, aliqui non veniant, possunt

præsentes procuratorem constituere, modo duæ tertiæ partes præsentes sint, et major præsentium pars consentiat. Ita doctores communiter.

3. Electio syndici a capitulo facta, confirmari debet consensu Abbatis (si agatur de syndico monasterii), vel Episcopi (si agatur de syndico Ecclesiæ cathedralis). Id tamen intelligitur quando constituendus est procurator ad tuenda jura capitulo simul et Abbati vel Episcopo communia : secus si constituendus esset super bonis et juribus, quæ separatim ab Abbate vel Episcopo capitulum possidet. Tunc enim capitulum absque dicta confirmatione suum posset syndicum deputare (de quo vide Schmalzgrueber, in titulum 39, libri I decretalium, n. 3).

4. Apud eos religiosos ordines, quorum regula superioribus tribuit constituendi procuratoris potestatem, necesse non est eum capitulariter eligi ; sed ad standum in judicio admitti debebit, si habeat mandatum authenticum a superiore, qui, juxta sui Ordinis institutum, hujusmodi mandatum valide concedere potest. Id quidem non reperio adnotatum ab iis auctoribus, quos præ manibus habeo ; sed videtur omnino admittendum. Alioquin enim, cum in dictis Ordinibus præfatas deliberationes capitulares regula non admittat, non possent ullomodo communitates talium ordinum convenire aut convenire ; quod absurdum est. Nec dicatur injuriam fieri hujusmodi communitatum membris, si ipsis non consentientibus, aliquis pro eorum communibus bonis et juribus in judicio agat aut respondeat : Nam tales ordines religiosos ingrediendo, regulam ita disponentem noverunt, atque ipsi consenserunt.

5. Quid peculiare sit Fratrum minorum Ordini quoad syndicum, vide apud Ferraris, voce *Syndicus*, n. 9.

6. Consultius est ut religiosi non sint procuratores seu syndici suorum Ordinum, monasteriorum conventuumve ; sed potius extraneo id muneris demandent, assignato ipsi ad hoc convenienti salario. Constat ex sequenti S. Gregorii Magni decreto : *Sicut studii nostri esse debet a litigiis forensibus monachos submovere, ita necesse est nostra provisione, quemadmodum*

*negotia eorum disponi debeant, ordinare. Pro qua re tibi præcipimus, quatenus cum Fausto loqui debeas; cui (si voluerit) constituto salario, monasterii generaliter debeas negotia commendare. Expedit enim pro parvo incommodo a strepitu causarum servos Dei esse quietos.* (Capite unico, tituli 39, libri 1 decretalium.)

7. Cum tamen prædicta decretalis suadeat tantum, non autem rigorose præcipiat, ut in procuratorem suum communitates religiosæ extraneum assumant; imo cum non ita loquatur laudatus Pontifex nisi in casu *parvi incommodi*, ex assumpto extraneo orituri, sequitur vetitum non esse conventibus et monasteriis, præsertim si notabilis inde ipsis exurgat utilitas, religiosum pro tali officio deputare. Quod præterea certum faciunt multi juris sacri textus : scribebat Priori et Fratribus S. Trinitatis, anno 1180, Eugenius III : *Insuper statuimus, ut liceat vobis in causis Ecclesiæ vestræ ferre testimonium; dummodo unus ex vobis vel duo ad agendum et respondendum instituantur : quorum testimonium in causis in quibus actores vel responsales sunt instituti non debet admitti.* (C. *Insuper* 16, *de Testibus.*)

Anno 1200, Innocentius III decernebat, injuste a judicibus non recipi ad agendum et respondendum pro negotiis suis litigiosis cujusdam Ordinis religiosi fratres. (C. *Cum deputati* 16, tituli 1, libri 2 decret.)

Consonat concilium Agathense ita statuens : *Similiter ut nullus eorum, id est, monachorum, forensis negotii susceptor vel executor existat, nisi quod monasterii exposcit utilitas, Abbate sibi nihilominus imperante.* (Canone *Monachi* 35, quæstionis 1, causæ 16.) Confirmatur insuper constanti multorum ordinum religiosorum praxi, qui, non extraneos, sed sui ordinis fratres procuratores constituunt. Contra hos autem non admittitur exceptio a tribunalibus, ex eo solo titulo quod religiosi sint.

8. « Communitas necessario debet constituere syndicum. « Cum enim per seipsam nec convenire nec conveniri possit, « necessarium omnino est constitui aliquem qui ipsam repræ- « sentet, et ejus causas in judicio persequatur, et is est syn-

« dicus. » (Ita cum communi jurisperitorum sententia Schmalzgrueber, in tit. 39, libri I decretalium, n. 5.)

9. Possunt a communitate constitui plures syndici ; et censentur deputati *in solidum*, quamvis id in instrumento non exprimatur ; censentur etiam constituti *cum libera*, id est, cum plena agendi potestate. (Ita communiter doctores. Vide Schmalzgrueber, loco citato.)

10. Finitur officium syndici iisdem modis ac aliorum procuratorum ; nisi quod non finiatur morte constituentis (cum communitas censeatur semper eadem permanere) ; nec finita instantia seu pronuntiata judicis sententia, cum syndicus, utpote permanenter ad lites omnes, etiam futuras, constitutus, appellationem non tantum interponere, sed et prosequi possit.

11. Licet monasterii syndicus non potuerit a solo Abbate sine consensu capituli constitui, potest tamen a solo Abbate revocari. « Ratio est, ait Schmalzgrueber (loco citato), quia ipse « potest agere solus in causis sui monasterii (cap. *Edoceri* 21, « *de Rescriptis*) ; ergo etiam solus revocare syndicum et in se « assumere actionem. »

12. « Jus eligendi syndicos, procuratores, et officiales mona« steriorum monialium, jure ordinario pertinet ad Episcopum : « aliquando tamen vigore legis fundationis, vel etiam consue« tudinis, aut constitutionis, ad moniales ; et aliquando, vigore « juris patronatus aut alterius conventionis, etiam ad laicos.

« Quatenus hoc jus spectet ad moniales, Episcopus sinat eas « suo jure uti, servata sibi approbatione et remotione ad for« mam concilii Tridentini et decretorum Sacræ Congregationis, « quæ refert Nicolius (in Flosc. verbo monasterium, n. 9)... « Si vero electio et deputatio ad laicos pertineret, Episcopus « non debet, neque potest, talem deputationem respuere, quam« vis sic deputatis incumberet redditnum monasterii admini« stratio ; sed contentus maneat habere superintendentiam, « juxta dispositionem Tridentini concilii (cap. 8 et 9, sess. 22 « *de Ref.*). »

13. « Syndici sive officiales deputati monasteriorum (monia-

« lium) durare debent per triennium et non ultra (Sacra Con-« gregatio in Oriensi 30 julii 1615). Immo si Episcopus ani-« madvertat non esse utiles, parumque propensos et diligentes « servitio, etiam durante triennio poterit eos removere, sicuti « Sacra Congregatio per litteras sub datum 12 maii 1617 (quas « authenticas vidi) respondit Archiepiscopo Surrentino... Ve-« rumtamen... prudenter agat et cum causa gravi : quia remo-« tus ab officio præsumitur remotus propter delictum... Sequi-« tur quod peccetur contra justitiam, si quis ab officio (ab alio « quam Episcopo collato) depellatur sine magna causa.» (Mona-celli formularium, parte I, tit. 11, ad Formulam 14 adnotatio-nes.)

## CAPUT IV.

### DE ADVOCATIS.

Hic expendendum occurrit : 1° quid sint advocati et quænam variæ eorum species; 2° quid fuerint olim ecclesiarum advocati; 3° qui sint advocati in curia Romana; 4° quinam possint aut non possint advocati officium exercere; 5° quod-nam sit advocatorum officium seu obligationes.

### § I.

#### Quid sint advocati et quænam advocatorum species.

« Advocatus (qui alias etiam patronus causæ, et orator et « causidicus appellatur) proprie dictus est ille, qui pro altero « præsente postulat, seu defensionem præstat, et ei authori-« tate, consilio, opera sua, in judicio assistit. » (Schmalzgrueber, « in tit. 37, libri 1 decret., n. 2.)

Quid autem in jurisprudentiæ stylo per vocem *postulare* in-telligendum sit, expresse determinatum habetur in jure Ro-

mano (lege 1, § 2, ff. *de Postulando*), et in decreto Gratiani (can. 2, causæ 3, quæst. 7), hoc modo : *Est autem postulare, desiderium suum vel amici sui, in jure apud eum qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio resistere;* quæ vetustissima definitio Ulpiano Jurisconsulto tribuitur. Invaluit autem omnino usus advocatorum officium per dictum vocabulum *postulare* exprimendi; adeo ut, et in civilis, et in canonici juris corpore, quæ ad munus advocatorum pertinent, sub titulo *de postulando* reposita sint.

Quomodo vero advocatus a procuratore differat, jam in superiori capite indicavimus. Quod discrimen concinne adnotavit Vinnius his verbis : « Advocatus personam suscipit, procurator « negotium : unde advocato meo sum susceptus vel cliens; « procuratori mandator vel dominus. Advocatus clientis sui « causam orat, jus ei suppeditat, concipit libellos, preces et « alia id genus; procurator administer est et executor advo- « cationis, advocato instrumenta et cognitionem totius ne- « gotii subministrans. » (*Partitiones juris,* libri 3, capite 18, in nota *f.*)

Præmissa autem notio sive definitio convenit dumtaxat advocatis *stricte sumptis,* et secundum jus commune. Nam ea vox antiquitus generaliori, ac proinde paulo diverso sensu adhibita fuit; et in curia romana non id officii explent advocati, quod cæterarum regionum advocatis de jure communi competit; ut in sequentibus paragraphis adnotatur.

Varias advocatorum species sic recenset Schmalzgrueber (in titulum 37, libri 1 decretalium, n. 4) : « 1° alii sunt *pu-* « *blici,* qui in causis publicis et Fisci operam suam impendunt : « alii *privati,* qui operam suam præstant in causis privatorum; « 2° alii sunt *Ordinarii,* qui publica authoritate ad causas pe- « rorandas destinati, quasi ex officio patrocinium litigantibus « conferunt; et hi quia dum officium istud suscipiunt, jura- « mentum deponunt, et in album advocatorum referuntur, « *jurati, immatriculati* dicuntur : alii vero sunt *extraordinarii,* « qui nec publica auctoritate constituti, nec in numerum ad-

« vocatorum adlecti, extra ordinem quasi, partibus patroci-« nantur in judicio; 3° denique alii sunt *voluntarii*, qui a par-« tibus rogati spontanee suum auxilium pollicentur : alii *ne-« cessarii* qui authoritate judicis inviti jubentur causam clientis « suscipere. »

## § II.

### Quid fuerint olim advocati seu defensores ecclesiarum.

Valde intricata et apud eruditos disputata materia hæc. Quæ tamen sibi probabiliora visa sunt colligendo Ferrarius, putavit quatuor distinguenda esse hujusmodi advocatiæ genera, nempe : defensionis, jurisdictionis, administrationis, et protectionis. De prima dumtaxat, utpote quæ sola fuit vera advocatia juxta sensum hodiernum hujus vocis, aliquid breviter attingemus.

*Advocatia defensionis* duplex fuit : *forensis* seu *togata* una, *armata* seu *sagata* altera. « Quinto saltem sæculo in oriente « *defensores* erant, iique presbyteri. Nam in Ephesina synodo « (act. 5) memoratur Asphalius presbyter Anthiochenæ Eccle-« siæ apud regiam urbem *defensor*. Et in Constantinopolitano « Flaviani concilio (quod in Chalcedonensi synodo perlectum « est), actione 2, occurrit Joannes presbyter et *defensor*. Sub « ejusdem quinti sæculi initium, habuit Africana Ecclesia de-« fensores, eosque laicos. Carthaginense anni 401 concilium « (canone 41 in Amortii editione, in aliis 42) ita statuit : *Ab « imperatoribus universis visum est postulandum propter afflictio-« nem pauperum, quorum molestiis sine intermissione fatigatur « Ecclesia, ut defensores eis adversus potentias divitum cum Epi-« scoporum provisione delegentur.* » (Ferraris, voce *Advocati ecclesiarum*, n. 4.) In concilio Carthaginensi anni 407 (sive, ut alii malunt, in Milevitano 2, anni 416) simile occurrit decretum : *Placuit etiam ut petant, ex nomine provinciarum omnium, legati perrecturi Vincentius et Fortunatianus, a gloriosissimis im-*

*peratoribus, ut dent facultatem Ecclesiæ defensores constituendi Scholasticos, qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum; ut, more sacerdotum provinciæ, iidem ipsi qui defensionem ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis ecclesiarum quoties necessitas flagitaverit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi judicum secretaria* (apud Ferraris, loco cit.). In codice Theodosiano (lege 38, *de Episc. eccles. et clericis*) sic statuitur : *Ut quæcumque de nobis ad Ecclesiam tantum pertinentia specialiter fuerint impetrata, non per coronatos, sed ab advocatis eorum arbitratu, et judicibus innotescant et sortiantur effectum.* Multa alia documenta congerit (loco citato) Ferraris, ex quibus hæc duo concludi posse videntur : 1° a remotissima antiquitate extitisse *forenses* ecclesiarum defensores seu advocatos; 2° eos in oriente clericos fuisse; in Africa vero, necnon apud Longobardos, in Italiæ regno, Gallia et Germania, laicos; Romæ autem clericos jam a tertio sæculo, postea clericos et laicos, donec Gelasius Papa illud muneris voluit clericis proprium. Hæc de advocatia *defensionis forensis*. Defensio vero *armata* sub Longobardorum imperio introducta est. Apud ipsos nempe si quid contentionis inter Ecclesias laicosve præpotentes, aut etiam inter Episcopos et monasteria oriretur, duello omnis decisio committebatur. At cum clericis monachisque arma tractare interdictum esset, alios pro se in pugnam mittere cogebantur. De qua injusta et barbara necessitate sic conquerebatur Atto Vercellensis Episcopus (*de Præsenti jur. Eccl.*) : *Ad pugnam producere heu! nostros compellimur Vicarios, ut vel istorum cæde victi, vel illorum quasi absoluti videamur.*

De reliquis supra enumeratis advocatiæ speciebus, vide Ferraris, qui argumentum illud diligenter excussit. Hic pro scopo nostro satis sit adnotasse advocati denominatione antiquitus aliud generalius fuisse significatum, quam communiter hodie eadem voce intelligendum venit.

## § III.

Quid sint advocati in curia Romana.

« Apud omnes forte reliquas civitates et mundi partes, quæ « juxta civiles et canonicas leges, cum advocatorum inter- « ventu, lites et judicia expediunt, præcipua causæ directio « et cura, tum a principio, tum in decursu et fine, penes ad- « vocatum est. Qui proinde causæ patronus merito vocitatur. « Advocatorum scilicet munus atque officium est, priores illas « concinnare petitiones, quæ variis nominibus libelli, suppli- « cationis, commissionis, monitorii, et similibus aliis designari « solent : Item articulos ad probationem disponere : item alias « instantias, responsiones, actusque cæteros ad plenam usque « processus compilationem exerere : item post absolutam « utrinque documentorum productionem, processui studere, « clientumque rationes, sive quæ ad factum, sive quæ ad jus « pertinent urgere. Ita quod procuratores dici possint meri « advocatorum ministri, eorumque mecanici quodam modo « adjutores in deducendis ad executionem citationibus, exi- « bendis testibus, conquirendis scripturis, aliisque id genus « procurandis; nec non causæ studentem advocatum adju- « vando, indicatis ei quæ magis ad rem faciunt documentorum « et scripturarum paginis. »

« Atvero in curia Romana, contraria dictorum officiorum « ordinatione proceditur. Ibi enim præfatas aliasque procura- « torum partes obeunt *sollicitatores :* quas vero modo diximus « esse advocatorum proprias, eas sibi assumunt *procuratores ;* « qui proinde, non vero advocati, ex dictæ curiæ stylo, pro « causarum patronis habentur. Unde solita apud scriptores « adnotatio, id apud Romanam curiam esse procuratorem, « quod apud regiones cæteras advocatus... Hinc vero sequitur « *advocati* officium in curia Romana esse quid singulare atque « illi curiæ proprium· restringi nempe ad munus meri juris-

« consulti, qui propositis sibi titulis seu motivis quibus sese « fundat procurator, respondet *de jure;* id est, exponit et « probat quid juris sequatur ex causæ capitibus, prout ei a « procuratore exponuntur. Adeo ut advocati nullatenus in co- « gnitionem ipsorum processuum, neque in ea quæ ad factum « pertinent, sese ingerant; et sic extra omne mendacii et ca- « lumniæ periculum versantur. Ita ut officium hujusmodi pos- « sit forsan et a quolibet religioso, etiam et reformatæ obser- « vantiæ, illæsis sacris canonibus, exerceri... Ex quo palam fit, « cur, dum apud cæteras curias plures sunt advocati quam « procuratores, in curia Romana multo plures procuratores « quam advocati numerentur. Ex centum nempe causis, vix « decem occurrunt in quibus interveniant advocati; sed ple- « rumque expediuntur per solos procuratores; eo vel magis « quod hi periti esse soleant, et simul ad exercendam, si velint, « advocatiam habiles. » (Card. de Luca, *Dottore volgare*, libro 15, cap. 41, n. 13 et seq., facta a me in latinum translatione.)

## § IV.

### Quinam possint advocati officium exercere.

I. « Postulare sive advocare omnes possunt quibus expresse « in jure id non reperitur prohibitum: nam edictum de postu- « lando prohibitorium est, sicut et illud de procuratore con- « stituendo. » (Pirrhing, in tit. 37, libri 1 decret., § 2.) Ita doctores communiter tanquam omnino certum tenent, non tantum quoad jus Romanum, sed etiam quoad forum ecclesiasticum.

II. Quinam jure Romano prohibeantur ab exercendo advocati munere, concinne exposuit Vinnius, adnotans alios ob personæ conditionem, alios vero propter causas personæ extrinsecas removeri: « Eorum, inquit, qui prohibentur CON- « DITIONE PERSONÆ, tres edicto ordines prætor fecit. *Primus*

« *ordo* est eorum qui in totum ad postulandum non admittun-
« tur; in quo ordine duos prætor removit : ab ætate, minorem
« septemdecim annis; a vitio corporis, surdum. *Secundus ordo*
« eorum est qui pro aliis postulare prohibentur, pro se non
« prohibentur. In hoc ordine sex excepti, notati tres edicto, et
« totidem constitutionibus. Edicto hi : a sexu fœminæ; a vitio
« corporis cœcus; item personæ turpitudine notabiles, quales
« sunt hi quatuor : qui muliebria passus est; qui capitali cri-
« mine damnatus; qui damnatus calumniæ publici judicii; qui
« operas locavit in hoc, ut cum bestiis depugnaret. Consti-
« tutionibus excepti, a vilitate conditionis cohortalis; a reli-
« gione, omnes sacrosanctæ catholicæ religionis mysteriis non
« imbuti; ab imperitia, qui juris et legum ignari... *Tertius*
« *ordo* habet eos qui, et pro se et pro certis quibusdam perso-
« nis hanc operam navare possunt, pro cæteris prohibentur.
« In hoc ordine sunt omnes edicto aut constitutionibus infamia
« notati, præter superiores illos quatuor, quos in secundo or-
« dine prætor notavit. Personæ pro quibus postulare iis per-
« mittitur sunt, quæ eos aut sanguine tanguut aut affinitate,
« aut quorum tutelam curamve gerunt.

« Causæ externæ, quæ alioqui idoneos pro tempore remo-
« vent, sunt...: interdum ipsa causa cui patrocinantur; persona
« adversus quam agitur; locus postulandi. *Principio*, sicut
« nemo idoneus judex est in ea causa cujus patrocinium sus-
« cepit, sic vice versa qui judex in aliqua causa constitutus est,
« non potest in eadem uni ex litigatoribus patrocinium præ-
« stare. *Secundo*, non cuivis adversus quosvis causam agere
« concessum, quamvis cæteris rebus integro : excepti, advo-
« catus Fisci, qui adversus Fiscum postulare prohibetur, præ-
« terquam si pro se aut pro supra scriptis personis postulet...;
« et privatus quivis, qui aliquem defendendum suscepit : neque
« enim ipsi licet adversus eum advocatiam convertere, nisi
« forte quis pupillo, adversus cujus patrem postulabat, tutor
« datus fuerit. *Tertio*, in eo loco in quo certus et definitus
« advocatorum numerus constitutus est, advocationem exer-

« cere, nisi qui intra numerum sunt, non possunt.» (Vinnius, *Partitiones juris,* lib. 3, cap. 18.) Textus qui hanc juris Romani expositionem firmant, indicatos reperies apud citatum auctorem.

Præter eos qui lege prohibentur, possunt etiam per sententiam judicis alii removeri. (Vinnius, citato loco.)

III. Quod autem in hac re disposuit jus Romanum, valet etiam *regulariter* in foro ecclesiastico. Est enim regula generalis, communiter a canonistis admissa, et usu firmata, servandam esse in judiciis ecclesiasticis Romani juris dispositionem, ubi ei nec canones nec legitima consuetudo contraria derogarunt. Non autem integre utrumque jus concordat, quia præter eos quos ab officio advocati removet Justinianea legislatio, quidam alii a jure canonico munere hoc interdicuntur. Hinc abs re non erit integrum catalogum subjungere eorum qui in judiciis ecclesiasticis tanquam advocati admitti nequeunt.

1° Nec pro se, nec pro aliis, advocatiam exercere possunt, ob jus Romanum in foro ecclesiastico receptum : minor septemdecim annis (lege 1, ff. *de Postulando*): surdus (ex modo citata lege): muti non fit mentio, quia stultum fuisset per legem eum ab advocatia arcere : item lex tacet de servo, sed certum est ei ex jure Romano non licuisse judiciis interesse, et a fortiori advocatiam exercere.

2° Non possunt pro aliis (quamquam pro se possint) esse advocati, ob juris Romani, in foro ecclesiastico receptam prohibitionem : fœminæ (ex citata lege 1, ff. *de Postulando*); sed excipitur mulier tutrix filii, quæ pro ipso postulare potest, ut ex capite *Ex parte* (67, *de Appellationibus*) arguunt canonistæ : cœcus (ex citata lege 1, ff. *de Postulando*) : infamia insigni notati (nempe, qui muliebria in corpore suo consentiens seu non invitus passus est ; damnatus publico judicio de capitali crimine, vel de calumnia ; qui operas suas ad pugnandum cum bestiis in arena olim locabat) (ex citata lege 1, ff. *de Postulando*): cohortales, id est, apparitores seu officiales præsidum (lege ultima, c. *de Advocatis*) : pagani et hæretici (lege ultima,

c. *de Postulando;* et simul canone *Nemo* 7, *de Pœnitentia*, dist. 1).

3° Possunt postulare pro se, et pro consanguineis ac affinibus, nec non pro minoribus suis et pupillis; non autem pro ulla alia persona; idque ob juris Romani in foro ecclesiastico receptam dispositionem: infames minus insignes; cum enim supra monuerimus infames infamia *insigni*, pro se tantum postulare posse, hic de infamibus infamia minori seu *minus insigni* dicimus, eos posse pro consanguineis etiam, et pro eis quorum tutores sunt, advocatiam exercere. Quæ infamia quomodo dignosci possit, fuse disserunt auctores. Pro scopo autem præsentis tractatus satis erit transcripsisse quæ gratianus ex digestis (titulo *de Postulando*) desumpsit: « Porro infamia multipliciter « irrogatur: aliquando enim contrahitur genere delicti decla- « rati per sententiam; veluti cum judex pronuntiat, *injuriam « fecisti, hæreditatem expilasti, calumniatus es.* Aliquando ge- « nere pœnæ; sicut illi qui damnantur ad opus publicum, qui « pristinum quidem statum obtinent, sed damno infamiæ etiam « post impletum tempus subjiciuntur. Aliquando genere pœnæ « et delicti declarati per sententiam; veluti dum fustibus cæso « per præconem dicitur ἐσυκοφάντησας, id est, calumniatus es. « Aliquando ipso genere facti; ut exercentes improbum fœnus « et illicite exigentes usuras usurarum; et mulier quæ intra « tempus quo moris est lugere maritum, contrahit matrimo- « nium, et qui sciens eam uxorem duxerit. » (Can. *Infames* 2, causæ 3, q. 7, decreti Gratianæi.)

4° Postulare seu esse advocati nequeunt, ob prohibitionem legis ecclesiasticæ, excommunicati; ut constat ex capite *Decernimus* (8, *de Sententia excommunicatorum*, in 6). His enim communicatio cum fidelibus omnis, etiam forensis, est interdicta.

5° Quibus in casibus clericis et monachis advocati officium obire liceat vel non liceat, satis in superiori capite indicavimus, dum eorumdem ad procuratoris munus exercendum idoneitatem in quæstionem vocavimus.

6° Ob prohibitionem juris Romani, in foro ecclesiastico receptam, ab officio advocati arcetur judex, quoad illam causam in qua judex constitutus fuit; ita ut tunc ipsi non liceat ulli ex litigantibus patrocinari (lege *Quisquis* 6, c. *de Postulando*). Dici etiam potest ejusmodi prohibitionem ex jure naturali fluere; eo quod merito timendum sit ne talis judex sententiam ferat in favorem sui clientis.

7° Item ob prohibitionem juris Romani, in foro ecclesiastico receptam, non licet potentioribus officium advocati obire. (Titulo *Ne liceat potentioribus*, 14, libri 2 Codicis Justiniani.) Hinc in judicio ecclesiastico non admittendi sunt tanquam advocati magnates, nec ullus sive clericus, sive laicus, divitiis muneribusve publicis aut alia de causa, notabiliter præpotens. Ratio est, ne pars adversa opprimatur. Dicta autem prohibitio jure naturali fundatur, ut patet.

8° Item a munere advocati jure Romano arcentur litterarum et jurium imperiti (lege *Nec cæterorum* 2, tituli *de Postulando*, Codicis Justiniani). Utrum autem et quo sensu prohibitio illa vim habeat in foro ecclesiastico, non mihi plane liquet. Si nempe notorium sit aliquem esse rudem in litteris et jure canonico, videtur a judice repelli posse, aut etiam debere, ne clienti noceat potius quam prosit; et hoc sensu urgere in foro ecclesiastico dictam Codicis Justinianei prohibitionem dici potest. Atvero utrum necesse sit, ut qui coram judice ecclesiastico vult advocatum agere, publica obtinuerit idoneitatis testimonia, seu ut approbatus fuerit ad publicum advocatiæ officium, attento jure communi forsan disputari posset. De quo nonnulla dumtaxat adnotabimus, nempe :

9° Ad quæstionem, *utrum quis debeat esse ad officium publicum advocati approbatus, ut possit coram judice ecclesiastico pro aliis postulare, seu advocati officium exercere,* videtur distinguendum inter jus commune, et jus alicui curiæ ecclesiasticæ proprium. Ad jus commune quod attinet, nullam reperio legem ecclesiasticam, aut juris Romani in foro ecclesiastico receptam dispositionem, qua decernatur litigantes teneri ad assumendos

advocatos suos ex numero eorum, qui publice pro hujusmodi exercendo munere fuerunt approbati et in album causidicorum relati. Hinc cum certum sit principium, *postulare posse omnes qui jure non prohibentur*, sequitur pro advocato eligi posse etiam eum qui non sit de advocatorum, authoritate publica approbatorum, albo; modo aliunde non laboret ulle ex enumeratis defectibus, qui juxta juris sacri decreta a dicto officio arcent. Nihilominus tamen posset aliqua curia ecclesiastica id legis habere (sive ex statutis ipsi propriis, sive ex legitima consuetudine), ut ad exercendam advocatiam apud ipsam non admitterentur nisi advocati publici. Tunc autem ejusmodi advocati deberent auctoritate ecclesiastica ut tales approbari; quod non nisi prævio judicio de idoneitate, et emissa ab ipsis professione fidei catholicæ fieri debet. Posset autem, ut videtur, quilibet Episcopus, si ipsi utile videretur, ejusmodi advocatorum ab ipso approbatorum album conficere, extra quod defensores sumere non liceret iis, qui apud ejusdem Episcopi tribunal lites habent. Res tamen valde ardua est, et facile invidiam Prælato concitaret, eo quod litigantium libertatem coarctare videretur; præsertim si parvus sit approbatorum ejusmodi advocatorum numerus.

## § V.

### De advocatorum officio.

1. « Certum est non posse ab ipsis suscipi causam injustam; alioquin si sciens id fecerit, tenebitur tum parti læsæ, « tum clienti (si cum decepit, dicens esse causam justam), ad « restitutionem damni illati. Dixi *si sciens, etc.*; nam si ignoranter causam injustam defendit, videndum an ignorantia « hæc fuerit culpabilis, an inculpabilis. Si prius, solum tenebitur juxta modum culpæ. Si posterius, ad nihil omnino. « In utroque tamen casu, errore cognito, debet causam desere « rere, vel potius clientem disponere ut ipsemet cedat lite, et

« cum adversario suo componat (S. Thomas, 2, 2, q. 71, a. 3, « ad 2). Addidi *si eum* decepit; nam si clientem monuit de in- « justitia causæ, et hic nihilominus in prosecutione causæ « stare voluit, parti quidem adversæ pro reparatione damni « illati obligabitur : non tamen clienti, utpote qui sciens et vo- « lens damnum hoc passus est. » (Schmalzgrueber, in titulum 37, libri 1 decretalium, n. 15; et consonat communis doctorum sententia.)

2. « Certum est non esse opus, ut advocatus sit certus de « justitia causæ quam suscipit; quia potest suscipere defen- « dendam causam etiam mere probabilem, saltem si sit æque « probabilis vel probabilior, quam sit causa oppositæ partis. « Ratio est, quia si hoc non liceret, vix unquam liceret advo- « cato patrocinium interponere, cum lites fere omnes orian- « tur ex jure vel facto dubio. » (Schmalzgrueber, loco citato; et consonat communis doctorum sententia.)

4. « Certum est non posse illum suscipere causam probabi- « lem, in qua nulla spes prudens affulget victoriæ, nisi monito « prius de hoc periculo suo cliente. Ratio est, quia suscipiendo « ejusmodi causam, nulla prævia monitione de periculo, sub- « jicit clientem suum manifesto discrimini, cum sperari ex « patrocinio illius nihil aliud possit, quam expensæ frustraneæ. « Ex quo sequitur, si advocatus sciat in dicasterio in quo cau- « sam perorat practicari sententiam suæ contrariam, eum de- « bere desistere a patrocinio. » (Schmalzgrueber, loco citato.) In hoc etiam concordant doctores.

5. An autem causam suscipere possit defendendam, quando, licet non modica victoriæ spes affulgeat, major tamen stat probabilitas pro adversario? Inter doctores controvertitur. Communius tamen affirmative respondent, modo advocatus de minori probabilitate clientem moneat. (Vide Schmalzgrueber, loco citato, n. 16.)

6. Si advocatus sit *Ordinarius* seu juratus et immatriculatus, id est, in advocatorum album seu matriculam relatus, et judex ei præcipiat patrocinium præstare clienti, qui propter juris

vel facti impedimentum, vel propter notoriam egestatem, sibi defensorem acquirere nequit, non potest id officii recusare sine justa causa. Imo tenetur ejusmodi clientem gratis defendere, si non habeat unde salarium advocato solvat, nec aliunde pro talibus advocatis de salario provisum sit ex ærario publico. Ita enim disposuit jus Romanum (lege *Hunc titulum* 1, § *ait prætor* 4, ff. *de Postulando*); quæ dispositio in jure canonico recepta est, ut tenent communiter canonistæ. Si autem in hoc casu advocatus patrocinium præstare renueret, posset magistratus ad id eum compellere sub pœna privationis officii (lege *Providentiam* 7, tituli *de Postulando,* Codicis Justinianei).

7. Cæteras advocatorum obligationes recensendo citatus Schmalzgrueber, eas fundat variis juris Romani textibus ; sed fundantur etiam jure naturali, ut legenti facile patebit; ac omnino censendæ sunt etiam in foro ecclesiastico urgere. En laudati auctoris verba :

« Si causam aliquam sibi defendendam susceperit, illius « merita diligenter rimari, et nihil eorum debet omittere quæ « causæ defendendæ proficua esse possunt (lege *Rem non no-* « *vam* 14, tituli *de Judic.*, Codicis Justiniani). Alias si quovis « modo per culpam suam vel imperitiam amittat causam in « judicio, non solum salarii nihil potest exigere, sed ad ejus « etiam quod accepit restitutionem et resarcitionem omnis « damni quod clienti inde ortum est, in conscientia obliga- « tur. »

« In judicio, ab injuria, probris, conviciis sibi temperent; « sed legum vi, ac rationum momentis, non contumeliis et « opprobriis adversum se pugnent (lege *Quisquis* 6, c. *de Po-* « *stulando*). »

« In deductione causæ studeant brevitati, superfluas alle- « gationes resecent, præsertim vero vitent frivolas et frustra- « torias dilationes et exceptiones, quibus pro sæculi nostri vitio « causæ adeo protrahuntur, ut clientes prius ad mendicitatem « quam causæ finem perductos se videant (lege *Quisquis* ci- « tata; et lege *Properandum* 13, c. *de Judic.*). »

« In defensione causæ nullam legem falsam allegabunt, vel « perverse interpretabuntur, nec producent falsa instrumenta, « aut testes falsos vel corruptos; alias falsi crimen incurrent « (lege *Rem non novam* citata). »

« Fidelitatem et silentium clienti servent : nam si cum ad- « versario, aut ejus advocatis colluserint, vel causam prodi- « derint, aut aliquid in eorum gratiam omiserint, tanquam « prævaricatores et criminis falsi rei puniri poterunt (lege *Si* « *quis* 38, § 8, ff. *de Pœn.*). »

« Causam semel susceptam cliente invito non deserent, nisi « reperiant esse injustam, sed ad exitum perducant usque ad « sententiam definitivam (lege *Properandum* citata). »

« Non exigant vel recipiant immodicum lucrum, honorarii « sive mercedis et salarii nomine, quamvis impendissent dili- « gentiam debitam, et causam ad optatum finem perduxerint « (lege *Si quis* 5, c. *de Postulando*). »

## CAPUT V.

### DE AUDITORIBUS, ASSESSORIBUS, FISCALI PROMOTORE ET ADVOCATO, NOTARIIS ET ACTUARIIS, NEC NON CURSORIBUS SEU BAJULIS (REMISSIVE).

Necessaria etiam de his personis, earumque officiis notio; sed cum in secunda tractatus parte (sectione 2), ubi de recte intelligenda et ordinanda episcopali curia normam tradimus, opportunior redeat de iisdem disserendi occasio, quam hic omittimus descriptionem, reperiet lector dicto loco expositam.

*Nota.* Item de testibus hic silemus, opportuniori loco in secunda parte de iis dicturi.

# SECTIO V.

## De Foro competenti, seu quisnam Judex ecclesiasticus sit in unaquaque causa competens.

Quia jurisdictio, seu fori competentia, totius judicii contentiosi fundamentum est, ita ut eo deficiente judicium sit nullum; ideo quoad unamquamque causam ante omnia dignoscendum est quisnam judex legitimus sit seu competens. Neque enim quilibet judex potestatem habet quaslibet causas dirimendi; sed certas dumtaxat quæ ipsius jurisdictioni subjacent. Hinc sedulo canonistæ materiam illam *de foro competenti* expendere solent; sub quo titulo duo determinant: 1° nempe quænam causæ ad judicem ecclesiasticam pertineant, et quænam ad tribunal sæculare; 2° quisnam ex judicibus ecclesiasticis competens sit quoad singulas causas, quæ fori ecclesiastici sunt.

Nos de priori argumento supra jam (sectione 3) tractavimus, agendo scilicet de judiciorum ecclesiasticorum materia seu objecto proprio; unde hic determinandum solummodo remanet quodnam ex variis Ecclesiæ tribunalibus, pro causarum ad forum ecclesiasticum pertinentium varietate, adiri possit aut debeat.

## CAPUT I.

### QUID SIT FORUS ET QUOTUPLEX.

1° *Quid nomine fori intelligendum veniat.* — « Varia signifi-
« catione vocabulum illud, teste Festo, usurpari solet. Aliquo-
« ties enim sumitur pro loco vendendis et emendis mercibus
« destinato : et sic dicitur forum Livii, Semproniani, Julii, etc.,
« ex nomine scilicet eorum qui hæc loca ad dictum finem ac-
« commodarunt. Quandoque designat locum in quo fieri judi-
« cia, vel tractari cum populo solebat... Usurpabatur insuper
« pro loco adunationi civitatum sub provinciæ præside desti-
« nato... Item pro territorio intra cujus fines jus a magistratu
« dicitur, dirimuntur lites, puniuntur rei.

« Nos vero per *Forum* aliud non intelligimus, quam ipsam-
« met legitimam auctoritatem, ad quam citatæ partes venire
« tenentur, ut, proposita actione, auditisque actore et reo, ab
« eadem auctoritate pronuntietur absolutionis vel condemna-
« tionis sententia. » (Bianchi, t. 4, pag. 584.)

« Forus seu Forum, ait Pirrhing (in titulum 2, libri 2 decre-
« talium, sect. 1, § 1), quod ex primæva nominis impositione
« significat locum publicum ad quem res venales deferuntur,
« in proposito significat, inprimis locum in quo lites et judicia
« exercentur, seu ubi quis convenire potest; capite *Forus* (10,
« extra, *de Verborum significatione*); ubi dicitur : *Forus est*
« *exercendarum litium locus.* Et hoc forum alias etiam tribunal,
« vel auditorium, vel etiam, respectu Papæ aut judicis eccle-
« siastici, consistorium vocatur, ut notat Hostiensis (in summa,
« titulo *de Foro compet.*, n. 1 et 2). Forum etiam significat totum
« territorium in quo quisque judex habet jurisdictionem (lege
« *Pupillus*, 239, ff. *de Verborum significatione*) ; quo sensu etiam
« tota diœcesis dicitur territorium Episcopi. Putat tamen Hos-
« tiensis, quod Forus in masculino genere significet locum in

« quo jus redditur... ; forum vero in neutro genere pona-
« tur pro territorio cujuslibet judicis, intra quod jus reddere
« seu dicere potest... Verum hæc differentia fori in genere
« masculino et neutro grammaticalis solum est, nullum habens
« fundamentum in jure. »

« Itaque proprie loquendo forum competens vocatur tribu-
« nal judicis, cujus jurisdictioni reus subjicitur, sive in quo
« reus ab actore conveniri debet aut potest... Adeoque forum
« dicit et importat, tum jurisdictionem quæ exercetur in litibus
« dirimendis, tum etiam locum seu tribunal in quo lites diri-
« muntur ; ita ut forum sit aliquid aggregatum et compositum
« ex utrisque. »

« Omissis aliis significationibus, ait Huth (ad titulum 2, li-
« bri 2 decretalium, quæst. 1), hic nomine fori venit vel locus
« disceptiendis et terminandis litibus, vel jurisdictio judicium
« exercentis seu potestas publica de causa in judicium deducta
« cognoscendi et pronuntiandi. »

2° *Quotuplex distinguatur forum.* — « Aliud est forum *compe-*
« *tens*, in quo reus conveniri potest et debet, vel ubi judex
« est competens et jurisdictionem habens in reum : aliud est
« *incompetens*, ubi reus conveniri nec potest nec debet. Compe-
« tens dividitur in *ecclesiasticum* et *sæculare* : ecclesiasticum in
« *externum* et *internum*. Internum in forum pœnitentiale sive
« sacramentale, et in non sacramentale. Item aliud forum est
« *contentiosum*, aliud *voluntarium* : hic de foro externo et con-
« tentioso sermo est. » (Huth, in titulum 2, libri 2 decretalium, quæst. 1.)

## CAPUT II.

QUÆSTIO AN QUIS SIT COMPETENS, RESOLVITUR IN ISTAM : AN QUIS JURISDICTIONEM SIVE ORDINARIAM SIVE EXTRAORDINARIAM HABEAT IN TALEM TALIUM PERSONARUM CAUSAM.

1. *Competentia nihil aliud est quam ipsamet jurisdictio.* — Nam ille judex competens dicitur qui potestatem habet jus dicendi talibus personis quoad talem materiam seu talem causam : sed jurisdicundi potestas est id ipsum quod jurisdictionem vocamus : ergo competentia idem est ac jurisdictio.

2. *Competentia proprie dicta, est jurisdictio in personas simul et earum causam ; non vero in solas personas, aut solam causam.* — Nam fieri potest ut quis jurisdictionem quidem habeat in certas personas, sed quoad aliquam dumtaxat causarum speciem, non vero quoad omnes causas, quæ inter ejusmodi personas oriri possunt : quod verificatur, verbi gratia, in Episcopo : is enim jurisdictionem quidem in omnes diœcesanos suos habet ; sed quoad ecclesiasticas, non quoad sæculares ipsorum causas. Item fieri potest ut quis jurisdictionem habeat in certum aliquod causarum genus, sed sub hac conditione restrictiva, ut causæ illæ inter certas personas, non inter alias, vertantur : sic Episcopus potestatem habet delinquentes clericos judicandi et puniendi ; non tamen alios quam diœcesis suæ. Hinc quamvis personæ sint de numero earum in quas magistratus jurisdictionem habet, si tamen causa inter ipsas orta non simul eidem jurisdictioni subjaceat, potestate judicandi ille magistratus carebit. Item, quamvis causa sit de specie earum in quas magistratus jurisdictio extenditur, nisi simul eadem jurisdictio extendatur ad personas quæ de hac causa judicandæ sunt, deest iterum jurisdicundi potestas. Jam vero qui potestate causam judicandi caret, nequaquam habet competentiam seu jurisdictionem proprie dictam ; sed e contra incompetens

dicitur. Ergo non datur competentia proprie dicta nisi in personas simul et ipsarum causam.

Ut autem habeatur competentia quoad personas, satis est haberi quoad Reum; est enim generalis et omnino certa juris regula, Actorem sequi forum Rei.

III. *Competentia est semper, vel ordinaria, vel extraordinaria jurisdictio.* — Nam ex dictis competentia idem est ac jurisdictio; sed jurisdictio adæquate dividi potest in *Ordinariam,* quam nempe habet judex ex ipso muneris sui titulo, et in *extraordinariam,* quæ aliunde ipsi confertur : ergo competentia est semper, vel ordinaria, vel extraordinaria jurisdictio.

Et hinc patet quæstionem, *an quis sit competens,* resolvi in istam, an quis jurisdictionem sive ordinariam sive extraordinariam habeat in talem talium personarum causam.

Quam de competentia notionem hoc modo in antecessum determinare libuit, ut facilior sterneretur via ad dignoscendum, quisnam in unaquaque causa sit judex competens. Nunc enim potest difficultas ad duplex hoc quæsitum reduci : 1° quomodo dignosci possit utrum quis competentiam habeat vi jurisdictionis extraordinariæ; 2° quomodo constare item possit an quis competens sit ex vi ordinariæ jurisdictionis. De quo in sequentibus capitibus.

## CAPUT III.

### QUOMODO DIGNOSCI POSSIT UTRUM QUIS COMPETENTIAM HABEAT VI EXTRAORDINARIÆ JURISDICTIONIS.

Ut dignoscatur an quis ex jurisdictione extraordinaria competens judex sit, explorandum est, an ipsi competat aliquis ex titulis quibus ejusmodi jurisdictio acquiritur, et insuper an sic acquisita jurisdictio suspensa necne fuerit, aut etiam sublata. Omnis autem jurisdictio extraordinaria, acquiritur, vel delegatione, vel prorogatione, vel causæ connexione, vel recon-

ventione, vel compromissione partium, vel privilegio certis personis concesso. Tollitur vero vel suspenditur avocatione, præventione, appellatione, relatione, et quibusdam aliis intervenientibus circumstantiis a jure determinatis.

De singulis extraordinariam jurisdictionem acquirendi vel amittendi modis hic tradenda notio est; qua semel comparata quisque facile possit discernere, utrum talis judex quoad talem causam polleat necne extraordinaria jurisdictione.

I. *De jurisdictione acquisita per delegationem.* — Duplici modo delegari potest jurisdictio : vel nempe independenter ab omni circumscriptione territoriali, vel potestate coarctata intra certi alicujus territorii fines. Priori modo jurisdictionem delegatam habent, verbi gratia, judices a Papa delegati quoad certam aliquam causam, vel ad certas causarum species, ubicumque terrarum degant personæ inter quas illæ causæ vertuntur : posteriori modo jurisdictionem delegatam habet, verbi gratia, delegatus Papæ quoad certas causas alicujus dumtaxat provinciæ. Quomodo in utroque casu dignosci possit utrum quis ex jurisdictione sua delegata competens sit quoad certam aliquam causam, sic determinari potest.

1° Quando jurisdictio delegata non alligatur alicui territorio, potest difficultas solvi ex sola mandati seu diplomatis delegationem exprimentis inspectione. Nam tunc mandatum exprimet concedi jurisdictionem quoad talem causam, aut talem causarum speciem; et simul indicabit hoc intelligi quoad personas quaslibet, aut dumtaxat quoad determinatas in singulari vel in specie; et cum simul non assignetur ulla territorialis circumscriptio, hoc ipso id intelligendum venit de dictis personis ubicumque terrarum degant. Unde si verificetur causam de qua agitur, et personas inter quas vertitur, esse de earum numero, in quas concessam jurisdictionem mandati tenor testatur, concludendum erit hunc judicem quoad causam illam competentem esse ; modo tamen competentia illa suspensa aut sublata non fuerit aliquo ex modis infra enumerandis. Notandum autem est, ab ordinario qui certo territorio affixam juris-

dictionem habet, non posse delegari nisi jurisdictionem territoriali pariter circumscriptione coarctatam. Delegatus, verbi gratia, Episcopi censendus semper est (etiamsi in mandato non exprimeretur) jurisdictionem habere territorio alligatam; quia ad summum illam habebit in tota diœcesi, non vero ultra; cum Episcopus non possit potestatem quam non habet alteri transmittere. Aliter dicendum de Papa, cui totus mundus territorium est.

2° Quando jurisdictio delegata alicui particulari territorio affigitur, ad affirmandam judicis delegati competentiam non sufficit causam de qua agitur, et personas inter quas vertitur, esse de numero earum in quas per diploma delegationis confertur jurisdictio; sed necessarium est insuper verificari alias conditiones, ex parte circumscriptionis territorialis necessarias; quæ nempe respiciunt domicilium, locum in quo sita est res de qua contenditur, locumque in quo peractus est contractus vel patratum delictum. Quænam autem sint eæ conditiones territorialem circumscriptionem respicientes, sequenti capite expendimus, agendo nempe de Ordinaria jurisdictione : nam sive ordinaria, sive extraordinaria sit jurisdictio quæ territorialiter circumscribitur, eædem ex ea circumscriptione conditiones relative ad competentiam exurgunt. Si ergo ex parte harum conditionum mox exponendarum nihil deficiat, et aliunde ex mandato delegationis constet judici delegato collatam fuisse jurisdictionem in eam causarum et personarum speciem, ad quam pertinet causa particularis de qua agitur, concludendum erit judicem illum relative ad hanc particularem causam esse competentem : modo tamen (quod semper subaudiendum est) ipsius jurisdictio suspensa vel sublata non fuerit, interveniente aliqua ex infra enumerandis circumstantiis quæ hunc effectum habent. Hæc de competentia per delegationem acquisita. Nunc ad alios modos competentiam vi jurisdictionis extraordinariæ acquirendi gradum faciamus.

II. *De jurisdictione per prorogationem acquisita.* — Ut digno-

scatur an quis ex prorogatione competens judex quoad causam aliquam evaserit, sciendum est: 1° quid sit prorogatio; 2° quatuplex distinguatur; 3° quænam requirantur conditiones ut prorogatio valeat; 4° an laici possint prorogare; 5° an et idem fas sit clericis.

1° *Quid sit prorogatio.* — « Prorogare jurisdictionem nihil « aliud est quam voluntarie alicui judici se subjiciendo, cui « quis alias in illa causa subjectus non est, ejus jurisdictionem « ac potestatem supra se extendere, et sic alienum et incom- « petentem judicem, sponte in eum consentiendo, suum et « competentem facere. » (Pirrhing, in titulum 2, libri 2 decretalium, n. 182.) Prorogatio definitur apud Adamum Huth (in tit. 2, lib. 2 decret., q. 12, resp. 4) : « Extensio jurisdi- « ctionis ad personas, causam, tempus, vel locum, in quas, « quando et ubi alias non competit, consensu libero earumdem « personarum facta. » Brevius definiri potest : *Judici, alioquin incompetenti per consensum partium addita sufficiens jurisdictio.* Certum est jure Romano partibus concedi multis in casibus facultatem hanc judicem non suum adeundi, et competentem efficiendi. (Vide leges Justinianeas, a Pirrhing et Huth, loco citato, indicatas.) Quæ dispositio in jus etiam ecclesiasticum an ex parte transierit, et hodiedum permaneat, ex modo dicendis liquebit.

2° *Quotuplex distinguatur prorogatio.* — « Fit autem hæc « prorogatio quatuor potissimum modis, videlicet : de una « persona ad aliam personam, de re ad rem (seu de una « causa ad aliam causam), de tempore ad tempus, de loco ad « locum. *Exemplum primæ prorogationis:* quando scilicet judici, « qui limitatam jurisdictionem habet in una civitate vel ter- « ritorio, subditi alieni mutuo consensu se subjiciunt, ut « causa eorum cognoscatur per illum, cui alias quoad suas per- « sonas non sunt subjecti. *Exemplum secundæ prorogationis*, sci- « licet de re ad rem, est, si judici habenti limitatam jurisdictio- « nem, ut non possit cognoscere de summa excedente centum « aureos, partes litigantes super majore summa se ei mutuo

« consensu subjiciunt, ut etiam possit cognoscere de majore « illa summa. *Exemplum tertiæ prorogationis* est de tempore ad « tempus, quando causa intra certum tempus terminanda, « cum consensu partium et judicis prorogatur, ut etiam post « illud cognosci et definiri possit. *Denique exemplum jurisdi-* « *ctionis prorogatæ* de loco ad locum est, quando de uno loco « territorii ad alium ejusdem territorii, cum consensu partium « transfertur forum seu judicium. Quod si partes prorogare « velint jurisdictionem ab uno loco ad alium alterius jurisdi- « ctionis seu territorii, tum requiritur consensus judicis illius « loci. » (Pirrhing, in titulum 2, libri 2 decretalium, n. 182.)

3° *Quænam requirantur conditiones ut prorogatio valeat.* — « Requiritur *primo*, ut is cui partes litigantes se subjiciunt, « habeat jurisdictionem aliquam. Nam alioquin partes non tam « veterem jurisdictionem prorogarent seu extenderent, quam « novam conferrent... Cum prorogare nihil aliud sit quam « extendere, consequenter ubi nulla est jurisdictio, ea extendi « non potest.

« *Secundo* requitur, ut judex cujus jurisdictio prorogatur, « habeat jurisdictionem ordinariam. Nam jurisdictio judicis « delegati ad certam causam non potest, etiam partium con- « sensu, prorogari seu extendi de persona ad personam, neque « de causa ad causam non expressam (1) ; quamvis jurisdictio « delegati ad universitatem causarum prorogari possit, secun- « dum probabilem sententiam, cum hæc jurisdictio Ordinariæ « æquiparetur. Quamvis autem prorogatio jurisdictionis dele- « gatæ, etiam ex partium consensu, quoad substantialia (vide- « licet de persona ad personam, vel de re ad rem aliam non « expressam) fieri nequeat, potest tamen fieri extensio quoad « accidentalia, videlicet de tempore ad tempus, vel de loco « ad locum, vel de minore quantitate ad majorem.

(1) Id firmat Pirrhing capite 40, tituli 29, libri 1 decretalium, ubi de prorogatione quoad quemdam judicem delegatum facta sic decernit Gregorius IX : ***Jurisdictionis prorogatio nulla noscitur extitisse, cum hujusmodi delegata jurisdictio ad alias personas nequeat prorogari.***

« *Tertio* requiritur, ut judex habeat jurisdictionem similem, « seu ejusdem generis, adeoque sufficientem ad cognitionem « et decisionem causæ quæ inter litigantes vertitur : ut, si « causa sit spiritualis, jurisdictionem habeat spiritualem : si « criminalis, non solum possit cognoscere de causis civilibus, « sed etiam de causis criminalibus criminaliter intentatis, ha- « beatque potestatem crimina coercendi... Porro etsi hujus- « modi prorogatio jurisdictionis in causa criminali facta valeat « in præjudicium partium prorogantium quæ in eam consen- « serunt, non tamen per hoc infertur præjudicium Ordinario « judici competenti, quominus is de commisso crimine inqui- « rere et cognoscere illudque punire possit, ad resarciendum « jus reipublicæ offensæ; quia voluntate privatorum seu par- « tium non potest præjudicari juri publico.

« *Quarto* requiritur, ut partes alieno judici se scienter et « libera voluntate subjiciant. Nam si quis ideo respondeat co- « ram judice, quia existimat se ejus jurisdictioni subjectum, « cum non sit, defectu voluntatis seu consensus inutilis est « prorogatio, nec valet quod agitur... Igitur utriusque partis « litigantis consensu fieri debet prorogatio alienæ jurisdictio- « nis : non tamen requiritur consensus illarum expressus, sed « sufficit tacitus; qui scilicet ipso facto fit, veluti litis conte- « statione, vel etiam oppositione alicujus exceptionis dilatoriæ « ante litem contestatam... Non tamen censetur aliquis in ju- « dicem non suum consentire, adeoque neque prorogare ejus « jurisdictionem, si solum coram eo citante compareat, vel « etiam copiam libelli sui edi petat, vel det satisfactionem de « sistendo se judicio : quin imo citatus tenetur comparere « coram judice, ut exceptionem fori declinatoriam opponat, « nisi notorium sit judicem esse incompetentem.

« Non autem ad prorogationem jurisdictionis requiritur con- « sensus ipsius judicis Ordinarii, cujus forum declinatur; sed « sufficit consensus partium litigantium; cum jure cautum sit « privatorum consensum facere judicem eum qui præest « (lege 3, c. *de Juris d. omn. jud.*). Neque etiam necessarium

« est ut ipsius judicis, in quem fit prorogatio, consensus inter-
« veniat; modo patiatur postea litem ante se contestari. »

« *Quinto* requiritur, ad prorogationem, ut ea fiat lege non
« prohibente, sed permittente. » (Pirrhing, in titulum 2, libri 2 decretalium, n. 183 et seq.) Quibus autem in casibus leges ecclesiasticæ permittant fieri prorogationem, liquebit ex sequentibus numeris.

4° *Species aliquæ causarum in quibus prorogationi non datur locus.* — 1° In causis appellationis fieri nequit prorogatio ; quia de natura appellationis est ut gradatim ab inferiore judice ad ipsius superiorem fiat. Ita doctores communiter (vide Schmalzgrueber, in tit. 2, libri 2 decretalium, n. 145. — Pirrhing, in eumdem tit., n. 188). 2° Neque in causis criminalibus, quando proceditur, non per viam accusationis, sed ex mero officio judicis seu per inquisitionem (Pirrhing, loco citato). 3° Neque in causis Papæ reservatis, aut a Papa advocatis (Schmalzgrueber, loco modo citato). 4° Neque in foro sacramentali Pœnitentiæ : nisi enim confessarius jurisdictionem habeat, eam ipsi pœnitens prorogando conferre nequit ; et quamvis aliquando sacerdos jurisdictione carens valide possit absolvere, verbi gratia, in mortis articulo et quibusdam aliis casibus, id tamen non ex prorogatione provenit, sed quia Ecclesia tunc jurisdictionem supplet.

An autem in cæteris, præter dictas causarum species, detur prorogationi locus, expendendum remanet. Expendemus autem singillatim quoad laicos, quoad clericos et quoad religiosos.

5° *An laici possint in causis ad forum ecclesiasticum pertinentibus jurisdictionem judicis non sui prorogare.* — In causis laicorum temporalibus et ad forum sæculare pertinentibus, possunt ex jure Romano laici competentem reddere judicem non suum ; exceptis tamen certis causarum speciebus in eodem jure Justinianeo expressis. Hodiernæ vero multarum gentium sæculares leges dispositionem illam immutarunt. Prætermissis autem ejusmodi sæcularis fori causis, quæ ad scopum nostrum non faciunt, quoad causas dumtaxat ecclesiasticas laicorum

expendenda nobis venit quæstio, an prorogationi detur locus. Porro ecclesiasticæ illæ causæ distingui possunt in sacramentales, quæ scilicet sacramenta respiciunt, et non sacramentales, quales sunt causæ decimarum, juris patronatus, usurarum et similium. Quo prænotato, sic concludimus :

*Primo,* in causis ecclesiasticis sacramentalibus non possunt laici, absque proprii Episcopi consensu, judicem non suum adire et competentem efficere. Est unanimis canonistarum doctrina ; quam probant capite *Nullus* (3, tituli 29, libri 3 decretalium), in quo sic decernitur : *Nullus Episcopus alterius parochianum judicare præsumat. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare potest.* « Ibi, inquit Schmalzgrueber, paritas insti-« tuitur inter collationem ordinum et inter causarum cognitio-« nem : atqui certum est non posse Episcopum alienos subditos « ordinare absque consensu proprii eorum Episcopi ; ergo eos-« dem nec poterit judicare. » (In titulum 2, libri 2 decretalium, n. 145.)

*Secundo,* etiam in causis ecclesiasticis laicorum non sacramentalibus, contra paucos veteres canonistas, tenendum est non dari locum prorogationi. Abbas Panormitanus (in caput *Significasti* 18, *de Foro competenti*, n. 15) sustinet laicos in causis ecclesiasticis non sacramentalibus, verbi gratia, super jure patronatus, posse sine consensu proprii judicis prorogare jurisdictionem alterius judicis ecclesiastici : eo quod nempe id jure non reperiatur prohibitum ; sed generaliter permittatur laicos, sine sui judicis assensu, in alium sive sæcularem, sive etiam ecclesiasticum judicem consentire ; et ab ea generali regula soli excipiantur clerici. Sed falsum est id non reperiri jure prohibitum, cum in citato capite *Nullus* (3, tit. 29, lib. 3 decret.) expresse prohibeatur ne Episcopus alterius subditum judicare præsumat. Unde merito derelinquitur hæc Abbatis opinio.

6° *An et qualiter clerici possint judicis non sui jurisdictionem prorogare.* — Cum hujus quæstionis solutio præcipue pendeat a capite *Significasti* 18, tituli 2, libri 2 decretalium), ideo

textum hunc præmittimus, varias dein conclusiones deducturi : « Significasti nobis quod P... clericus, ad petitionem C... « mercatoris, se tuæ jurisdictioni subjecit, si in termino nunc « elapso de pecunia mutuata non satisfecisset eidem... Inquisi- « tioni tuæ taliter respondemus, quod licet privatorum consen- « sus eum, qui jurisdictioni præesse dignoscitur, suum possit « judicem constituere, clerici tamen in judicem non suum « (nisi forte sit persona ecclesiastica, et Episcopi diœcesani « voluntas accedat) consentire non possunt. » Alloquitur autem in hac decretali Gregorius IX Abbatem Trecensem. Facilis ex ea lege canonica propositæ quæstionis solutio. Nam,

*Primo*, patet clericos, absque consensu proprii Episcopi, non posse adire et competentem efficere judicem non suum, sive in causis suis spiritualibus, sive etiam in temporalibus. Expresse enim decernit Gregorius IX, non posse clericos in judicem non suum consentire, *nisi Episcopi diœcesani voluntas accedat*. Id autem pronuntiatur universaliter, ac proinde quoad causas omnes clericorum quæ ad forum ecclesiasticum pertinent; ergo et quoad temporales eorum causas, cum et istæ ratione status clericalis sint etiam ecclesiasticæ, et cæteroquin in casu particulari pro quo decretalis facta est, ageretur de temporali causa cujusdam clerici.

*Secundo*, possunt tamen clerici, proprio consentiente Episcopo, adire et competentem efficere judicem non suum, modo ille sit persona ecclesiastica. Cum enim Gregorius IX decernat id ipsis non licere *nisi sit persona ecclesiastica et Episcopi diœcesani voluntas accedat*, aperte colligitur licere, modo istæ duæ conditiones adimpleantur. « Sufficit autem consensus « tacitus Episcopi, ut si scivit clericum subditum suum litigare « coram judice ecclesiastico, et non contradixit. » (Pirrhing, in tit. 2, lib. 2 decretalium, n. 191.)

*Tertio*, etiamsi causa sit mere profana, et permittat Episcopus, non possunt clerici consentire in judicem sæcularem et ipsius jurisdictionem prorogare. Nam ex decretali Gregorii IX non sufficit proprii Episcopi consensus, sed additur, *nisi sit*

*persona ecclesiastica;* quibus profecto verbis sæcularis judex excluditur, etiam in hypothesi consentientis Episcopi. Atque idem pariter colligitur ex capite *Si diligenti* (12, tituli 2, libri 2 decretalium), cujus dispositio sic in titulo ei decretali præfixo contrahitur : *Clericus non potest constituere sibi judicem laicum, etiamsi proprium juramentum, et adversarii consensus accedat.* Nec objiciatur, posse sæcularem judicem ex delegatione Episcopi mere temporales clericorum causas cognoscere ; unde a pari idem poterit ex ejusdem Episcopi consensu. Negatur enim paritas, nam laicus judicans ex delegatione Episcopi, non vi suæ, sed vi ecclesiasticæ potestatis judicat : atvero in altero casu judicaret vi propriæ potestatis, licet per consensum partium et Episcopi prorogatæ ; quod lex canonica prohibitum voluit. Item objici solent quidam canones; sed immerito eos allegari vide probatum apud Schmalzgrueber (in tit. 2, libri 2 decret., n. 147). Conclusionem autem nostram confirmat communis doctorum sententia, quam sic testatur Pirrhing (in titulum 2, libri 2 decretalium, n. 194) : « Clerici « ne quidem cum consensu Episcopi sui prorogare possunt « jurisdictionem judicis sæcularis seque illi subjicere, in causa « criminali aut civili, sive mere spirituali et ecclesiastica, sive « temporali. Ita glossa (finalis in citatum caput *Significasti*) « communiter recepta. Rationem assignat glossa citata : quia « sicut clericus non potest renuntiare privilegio fori concesso « in favorem totius Ordinis clericalis (capite *Si diligenti* 12, « *de foro competenti*), ita nec Episcopus potest hoc privilegium « clericorum minuere, vel consentire ut clerici illi renuntient; « multo minus clericos ad id compellere ; sicut etiam Episco- « pus non potest permittere aut consentire, ut clericus ver- « beretur, contra privilegium canonis. »

*Quarto,* « sed neque clerici, sine consensu Episcopi seu Or- « dinarii prorogare possunt jurisdictionem Metropolitani, « eique se subjicere, ut constat ex capite 1 *De foro competenti* « in 6 ; ubi habetur, quod Archiepiscopus vel officialis ejus de « causis subditorum suffraganei sui cognoscere non potest abs-

« que licentia suffraganei, quamvis utraque pars litigantium « velit, et in eum consentiat. » (Pirrhing, in tit. 2, libri 2 « decret., n. 191.)

*Quinto,* « imo neque ipsi Episcopi suffraganei, sine licentia « Archiepiscopi seu metropolitani sui, possunt prorogare juris- « dictionem in alienum judicem ecclesiasticum : Quia sicut « Episcopus est judex ordinarius clericorum sibi subditorum, « ita etiam Archiepiscopus suorum suffraganeorum. » (Pirrhing, loco cit.) Quæ tamen ultima verba intelligenda sunt quoad ea pauca dumtaxat in quibus metropolitanus jurisdictionem in suffraganeos post concilium Tridentinum conservavit. Nam, ut notum est, valde restricta fuit metropolitana in suffraganeos jurisdictio.

7° *An religiosi exempti et Papæ immediate subjecti, per viam prorogationis se subjicere jurisdictioni Ordinariorum possint.* — « Satis convenit inter doctores hoc eos non posse sine con- « sensu Papæ, in iis quæ pertinent ad jurisdictionem conten- « tiosam... An idem dicendum in iis quæ pertinent ad jurisdi- « ctionem voluntariam, cujusmodi est absolutio a peccatis et « censuris, dispensatio in votis, juramentis, irregularitatibus, « legibus, recitatione breviarii, jejunii, etc., dissident inter se « doctores. » (Schmalzgrueber, in titulum 2, libri 2 decretalium, n. 149.) Communiorem sententiam sequens citatus auctor putat, in his casibus posse religiosos ad Episcopi jurisdictionem recurrere, sub his tamen restrictionibus : *Primo,* ut facile adiri non possit Papa vel ejus legatus; *secundo,* ut superiores Ordinis potestate dispensandi careant; quia alioquin ad hos et non ad Episcopum esset recurrendum; *tertio,* ut Prælatus religionis hunc ad Episcopalem jurisdictionem recursum permittat. Sufficit autem tacita ipsius licentia, vel etiam aliquoties præsumpta, verbi gratia, si sit impeditus.

Ex iis autem quæ de prorogatione disseruimus, satis poterit lector dignoscere, utrum quis hac via jurisdictionem acquisiverit, et competens quoad certam aliquam causam (alias jurisdictioni suæ extraneam) factus fuerit.

III. *De jurisdictione quæ ex compromissione, vel arbitrorum juridica deputatione oritur.* — Quando quis arbiter legitime constituitur, potestatem, qua antea carebat, de causa cognoscendi et pronuntiandi acquirit. Quæ potestas, etsi jurisdictio proprie dicta non sit, est tamen quasi-jurisdictio. Unde ad plenam discussionem quæstionis *utrum quis sit judex competens,* inquirendum etiam est, quandonam quis tanquam arbiter de causa cognoscere et pronuntiare legitime possit. Quæ notio satis comparabitur, si exponatur, 1° quid et quotuplex sit arbiter; 2° quænam requirantur conditiones ad legitimam arbitrorum constitutionem. Non enim hic agendum habemus de arbitrorum officio, aut de vi et effectibus arbitralis sententiæ; sed de competentia tantum dignoscenda.

1° *Quid et quotuplex sit arbiter.* — *Primo,* arbiter lato sensu dicitur, qui ad aliquod negotium æstimandum et terminandum constitutus est: stricto vero sensu, idest, quatenus a judice proprie dicto contradistinguitur, definiri potest, *persona, sive ex dispositione juris, sive ex conventione partium, constituta, ut de causa cognoscat et sententiam proferat.* (Vide Schmalzgrueber, in titulum 42, libri 1 decretalium, n. 1.)

*Secundo,* alii sunt arbitri *juris* seu necessarii, alii *compromissionis* seu voluntarii. Priores sunt qui ex præscripto legis, principis, vel judicis, constituuntur: posteriores qui solo partium consensu assumuntur.

*Tertio,* arbiter compromissarius, alius est proprie dictus, qui ad id constituitur, ut servato juris ordine ac forma judicii procedat et pronuntiet: alius improprie dictus seu *arbitrator,* qui ad hoc assumitur, ut ex æquo et bono, etiam non servata judicii, forma, litem componat.

*Quarto,* differt arbiter compromissarius a judice proprie dicto *quoad ipsam constitutionem:* siquidem judex publica auctoritate, arbiter compromissarius voluntate partium constituitur: ille invitus dari potest, hic nonnisi volens. — Item differt *quoad potestatem:* siquidem arbitria sunt stricti juris, ita ut in iis observari debeant compromissi fines: amplior

autem est judicis, Ordinarii præsertim, potestas. — Item differt *quoad sententiæ vim et efficatiam ;* nam ex sententia judicis oritur actio, et exceptio rei judicatæ : neutra datur ex pronuntiatione arbitri, sed pœnæ tantum petitio. — Item differt *quoad executionem*, siquidem judex sententiam valide a se latam exequi potest : non autem potest arbiter, quia jurisdictione caret, sed executio demandatur judici Ordinario ipsius Rei. Has et nonnullas alias differentias vide ex jure Romano probatas, apud Schmalzgrueber (in titulum 42, libri 2 decretalium, n. 2 et seq.).

*Quinto*, differt etiam multipliciter arbiter juris ab arbitro compromissario. Nam arbitri juris compelli possunt ad munus hoc suscipiendum ; non autem arbitri compromissarii. Si tamen arbiter compromissarius arbitrium semel suscepit, adimplere illud tenetur, nisi excusetur ex incidente impedimento aliquo. — Item arbitri juris habent jurisdictionem quasi ordinariam, et propterea instar veri judicis partes citare, testes examinare, et alia facere possunt ad causæ definitionem necessaria : atvero arbitri compromissarii non possunt partes ad comparendum, nec testes ad testificandum compellere. — Item, a sententia arbitri juris appellari potest, non vero a sententia arbitri compromissarii. (Vide Schmalzgrueber, loco citato.)

*Sexto*. Inter arbitrum compromissarium proprie dictum et arbitratorem, sex discrimina enumerat laudatus Schmalzgrueber (in titulum 42, libri 1 decretalium, n. 4), quæ vide apud ipsum, aliosve canonistas, in ipsorum commentariis in titulum 42, libri primi decretalium.

*Septimo*. « Arbitri juris possunt constitui ex variis causis et « aliquando etiam debent. Casus quibus ex legis præscripto « constitui debent, sunt maxime sequentes : in causa suspi- « cionis objectæ judici (capite *Suspicionis* 39, *de Officio deleg.* « — Capite *Si contra* 4, et capite *Ab arbitris* 11, eodem titulo, « in 6) : si diversi judices super revocatione litterarum « apostolicarum discordent (capite *Pastoralis* 14, *de Rescri-*

« *ptis*) : si Episcopus cum clerico sibi subjecto contro-« versiam habeat (canone *Clericus* 46, causæ 11, quæst. 1).» Hæc Schmalzgrueber, loco citato, n. 5.

2° *Quœnam requirantur conditiones ut legitime arbitri compromissarii constituantur et competentiam habeant.* — Requiritur ut arbiter sit de iis qui possunt constitui ; ut compromittentes sint de iis qui possunt arbitros constituere ; et tandem ut causa sit de iis quæ arbitrio terminari possunt. Hinc quærendum,

*Primo,* quinam in arbitros assumi possint? — Est regula generalis assumi posse omnes qui lege non prohibentur. A lege autem, tum canonica, tum Justinianea in foro Ecclesiæ recepta, prohibiti reperiuntur sequentes : pupillus, furiosus, surdus et mutus (lege *Sed si* 9, ff. *de Arbitriis*). Minor 20 annis (lege *Cum lege* 41, ff. *de Arbitris*). Excommunicatus vitandus (capite *Si quem* 59, *de Sentent. excomm.*). Si tamen assumatur in arbitrum ejusmodi excommunicatus, et ipse in causa pronuntiaverit, probabilius ipsius laudum (1) tenet, quia non est actus jurisdictionis, ob cujus unius defectum acta a judice excommunicato invalida sunt (vide Suarez, *de Censuris,* disp. 16, sect. 1, n. 6). Item arbitrum agere prohibetur mulier (in codice Justiniani, lege ultima tituli *de Arbitris*) : excipiendæ tamen mulieres quæ vel jure, vel consuetudine, vel privilegio jurisdictionem obtinent, quales sunt reginæ, ducissæ, abbatissæ, etc.: tunc enim in eas compromitti potest (capite *Dilecti* 4, *de Arbitris*). Item religiosus absque superioris consensu arbiter esse nequit. Item assumi nequit in arbitrum laicus in causa spirituali (capite *Contingit* 8, *de Arbitris*); nisi munitus sit privilegio apostolico, vel assumatur junctim cum clerico (capite *Per tuas* 9, *de Arbitris*). Tandem nullus in propria causa arbiter esse permittitur. (Vide circa ejusmodi exclusiones Schmalzgrueber, in titulum 43, libri 1 decretalium.)

Licet prædicti in arbitros assumi nequeant, non inde sequitur eos omnes prohiberi etiam esse *arbitratores.* Certum est,

(1) ***Laudum*** vocari solet sententia arbitri.

verbi gratia, mulierem posse arbitratricem constitui (vide Schmalzgrueber, citato loco, n. 13); et pariter est communior apud doctores sententia, posse laicum in causa spirituali arbitratorem agere, quamvis arbiter esse nequeat.

An autem legitimus arbiter censendus sit ille, quem sibi substituisset arbiter compromissarius, negandum videtur cum Schmalzgrueber (in tit. 43, lib. 1 decret., n. 19); quia partes, nisi aliter exprimant, censentur consensisse in eum quem elegerunt, non in alium.

*Secundo.* Quinam sibi arbitros constituere possint. — Est regula generalis eos omnes posse causam suam arbitris dirimendam committere, qui rerum suarum ita liberam administrationem habent, ut etiam alienare eas possint. Hanc regulam deducunt communiter doctores ex capite *Cum tempore* (5, tituli 43, libri 1 decretalium). Ratio est, quia compromissum ad alienationem deducit; unde qui alienare nequit, nec habilis ad compromittendum censendus est. Ex ea vero generali regula, exclusi a potestate arbitros sibi constituendi reperiuntur sequentes:

Pupillus sine authoritate tutoris: minor curatorem habens, sine authoritate curatoris et judicis decreto, si agatur de rebus immobilibus, aut quæ his æquiparantur: furiosus et prodigus: fœmina in certis casibus: filius familias, nisi agatur de bonis castrensibus vel quasi castrensibus quorum independentem a patre administrationem habet: tutores et curatores quoad res quas sine solemnitatibus alienare nequeunt: procurator in negotio sibi commisso, nisi in mandato specialem facultatem habeat compromissum faciendi: religiosus, etiam administrationem habens, sine licentia superiorum: parochus vel alius beneficiatus, sine consensu Episcopi, in præjudicium Ecclesiæ vel beneficii sui. Quæ exclusiones, quibus canonici vel romani juris textibus fulciantur, videri potest apud canonistas, ubi titulum 43, libri 1 decretalium, commentariis illustrant.

Specialis intercedit difficultas quoad Prælatum in causa Ecclesiæ suæ. Potest quidem compromissum facere absque

consensu capituli, si agatur de rebus mobilibus non pretiosis; et cum consensu capituli de bonis etiam immobilibus, aut mobilibus pretiosis : atvero utrum absque consensu capituli et aliis solemnitalibus possit in arbitros consentire, dum agitur de bonis immobilibus aut mobilibus pretiosis, inter doctores controvertitur. Negativam sententiam ut probabiliorem defendit Schmalzgrueber (in titulum 43, libri 1 decretalium, n. 8).

*Tertio,* quænam causæ arbitrorum judicio a partibus committi possint. — Regula generalis est, posse compromissum fieri quoad omnes causas, pro quibus in jure id non prohibetur. Jure autem arbitrorum sententia dirimi non permittuntur sequentes causæ : 1° *Causæ criminales,* si criminaliter intententur (capite *Causa* 9, *de In integrum restitutione;* et lege non distinguemus 32, ff. *de Arbitris*). Ratio est, quia crimina non privato arbitrio remittenda, sed publica authoritate condigne sunt vindicanda. 2° *Causæ matrimoniales* quando agitur de matrimonii valore vel nullitate (capite *Causa* 9, *de In integrum restitutione*); quia nempe requirunt majorem judicem, ne contingat matrimonia dissolvi vel conciliari contra canones. 3° *Causæ beneficiales,* ne sine canonica institutione aperiatur via ad beneficia ecclesiastica, contra primam ex *regulis juris,* in *sexto* libro decretalium positis, quæ sic habet : *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.* 4° *Causæ exemptionis,* ne jus eximentis per arbitrorum sententiam lædatur ex facto exempti (capite *Cum tempore* 5, *de Arbitris,* libri 1 decretalium, titulo 43). 5° *Causæ decisæ* per sententiam indubitatam, et quæ in rem judicatam transiit; quia sicut transactio, ita compromissum fieri debet de re dubia (capite *Exposita* 11, tituli 43, libri 1 decretalium). 6° *Causæ restitutionis in integrum* (1), nisi incidenter tractentur (capite *Causa* 9, *de In integrum restitutione*). 7° *Causæ communitatum,*

(1) Restitui in integrum causa dicitur, quando per officium judicis reducitur in eum statum, in quo erat antequam cœpta fuisset.

quæ nempe respiciunt regnum, civitatem, aut aliam communitatem; ne privatorum pactionibus præjudicium inferatur bono publico. 8° Causæ omnes super quibus transigi nequit. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 43, libri 1 decretalium, n. 16.)

*Nota.* Quomodo dignoscatur utrum competens sit *arbiter juris,* non est cur speciatim expendatur. Arbiter enim juris est ad instar judicis delegati quoad determinatam aliquam causam, et eodem modo ac pro judice delegato ipsius competentia dignosci potest. Et ideo requisitas conditiones ut arbiter legitime constituatur, ad arbitros compromissarios restrinximus.

IV. *De jurisdictione seu competentia ex reconventione, causæ connexione et privilegio exorta.* — Recensitis modis jurisdictionem seu competentiam extraordinariam acquirendi, annumerandæ sunt reconventio, causæ connexio, et privilegium; de quibus remanet tradenda quoad præsentem scopum notio.

1. Quid sit reconventio, et quomodo per eam judex, alioquin incompetens, competens evadat. — Quando Reus coram judice conventus, vicissim ipse Actorem coram eodem judice convenit, ejus actus *reconventio* vocatur. In causa autem quam Reus sic *reconveniendo* proponit contra Actorem, ipse fit Actor, et vice versa Actor Rei personam induit. Unde si stricte servaretur celebris regula, *Actor forum Rei sequitur,* qui reconvenit, non posset id facere nisi coram tribunali a quo pendet adversa pars. Sed jure canonico, non minus quam Justinianeo, cautum est, ut ubi fit conventio, ibi simul fieri possit reconventio; et judex qui jurisdictionem habet ad terminandam causam conventionis, hoc ipso æqualem habeat ad terminandam simul causam reconventionis; ut patet ex titulo 4, *de Mutuis petitionibus,* libri 2 decretalium. Et sic evenit ut judex, qui jurisdictione in aliquam causam careret, eam acquirat si causa hæc per modum reconventionis coram ipsius tribunali proponatur.

2. Quid sit causarum connexio, seu continentia, et quomodo per eam judex, aliunde incompetens, competens evadat. — Connexæ dicuntur duæ causæ, quando una sine altera commode discuti et dirimi nequit; quod evenit, vel quando plures personæ eadem causa involvuntur, quia, verbi gratia, cohæredes aut sociæ fuerunt; vel quando causæ decisio pendet a decisione plurium quæstionum.

Regula generalis est causas connexas ab uno eodemque judice dirimi debere, ut colligitur e multis juris canonici textibus, quos indicatos vide apud Schmalzgrueber (in titulum 1, libri 2 decretalium, n. 72).

Quisnam autem sit legitimus judex quoad ejusmodi causas connexas, inter doctores controvertitur. Alii tenent adeundum illum qui est superior respectu omnium interesse habentium. Contendunt alii minime distinguendum esse inter superiorem, inferiorem, æqualemve judicem; sed ab eo judice terminandam litem, qui jurisdictionem habens in unum ex coreis, causam præoccupavit. Alii sic distingunt : si judex coram quo lis cœpta est, competens sit respectu omnium coreorum vel causarum connexarum, coram eo, licet inferiori, causa finienda est; sin vero respectu alicujus ex coreis, vel alicujus ex causis connexis, incompetens reperiatur, adeundus est qui superior est respectu omnium causarum connexarum, vel omnium coreorum. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 2 decret., n. 74.)

Generalis vero regula modo tradita, causas nempe connexas ab uno eodemque judice esse terminandas, nonnullis exceptionibus obnoxia est. Nam 1° si actor causas connexas dividat, atque ad diversos judices deferat, reus vero ante litis contestationem non opponat exceptionem *non dividendæ causæ,* acta in diversis judiciis valebunt (vide Schmalzgrueber, loco citato, n. 75). 2° Si una ex causis connexis spiritualis sit, judex laicus de temporali judicans, non potest simul de spirituali cognoscere ; sed tenetur eam ad judicem ecclesiasticum remittere :

constat ex capite *Tuam* (3, *de Ordine cognit.*). Sunt et alii nonnulli casus, in quibus connexæ causæ dividi possint, et a diversis judicibus dirimi, quos vide expositos apud Schmalzgrueber (citato loco).

3. Aliquando evenit ut certis personis concedatur forum privilegiatum. Vi scilicet hujus privilegii, judex qui alioquin in ejusmodi personas, quando ad judicium trahuntur, jurisdictionem non haberet, erga easdem competentiam acquirit; et vice versa judex ordinarius, qui seposito privilegio fori, dictas personas judicare posset, ob obtentum privilegium competentiam amittit. Ad dignoscendum autem utrum talis judex in tali causa, competentiam ob ejusmodi privilegium acquisiverit vel amiserit, videndus ipsiusmet indulti tenor, nec potest de ea re tradi generalis regula.

## CAPUT IV.

### QUOMODO DIGNOSCI QUEAT UTRUM QUIS COMPETENS SIT VI ORDINARIÆ JURISDICTIONIS.

Jurisdictio ordinaria (id est, magistratibus vel superioribus competens vi ipsiusmet, quo funguntur, officii seu muneris), duplicis generis est : alia nempe territorii alicujus terminis circumscripta; alia vero ab omni territoriali circumscriptione independens. Jurisdictio, verbi gratia, Episcopi tripliciter determinatur : personis, causis et loco; est nempe in certas personas, in certas causas et intra fines diœcesecos coarctata. Sunt autem alii prælati, quorum jurisdictio dupliciter dumtaxat determinatur, personis scilicet et causis. Tales sunt, verbi gratia, generales ordinum religiosorum superiores, congregationes Romanæ Cardinalium, etc. Hi nempe jurisdictionem habent per totum mundum; ad certas quidem personas

et certas causarum species restrictam, sed non ad certum locum sive territorium.

Ut autem circumlocutiones devitando res expeditius evolvatur, liceat mihi duas illas classes Ordinariorum, sub nomine *territorialium* et *non-territorialium* designare : ita nempe ut non-territoriales dicantur judices, quorum jurisdictio ab omni territorii limitatione libera est ; territoriales vero, qui intra certos territorii fines jus dicunt. De utrisque autem resolvenda venit quæstio, quomodo dignosci possit eorum in unaquaque causa competentia.

### ARTICULUS I.

Quomodo dignosci queat utrum aliquis non-territorialis Ordinarius competens sit in aliqua causa.

Quando agitur de iis superioribus qui jurisdictionem habent a territoriali circumscriptione liberam, facile est dignoscere utrum in tali vel tali causa competentes sint. Videndum nempe est utrum personæ, inter quas causa illa vertitur, sint de numero earum, in quas dicti superiores jurisdictionem vi muneris sui habent ; et insuper utrum causa ipsa sit de specie earum quæ eorumdem superiorum jurisdictioni fuerunt subjectæ. Quæ duæ conditiones si verificentur, aderit competentia : si vero ambæ vel alterutra deficient, et ipsa competentia deerit.

Unde quoad ejusmodi judices evanescit multiplex circa competentiam difficultas, quæ oritur ex circumstantiis loci ; domicilii nempe, et loci in quo vel res sita, vel gestus contractus, vel patratum delictum est. Illæ enim circumstantiæ competentiam non afficiunt, nisi quando judex intra fines alicujus territorii in jure dicundo circumscriptus est. Hinc quoad judices territoriales potissimum instituenda et sedulo expendenda venit de dignoscenda competentia quæstio.

## ARTICULUS II.

### Quomodo dignosci queat an quis territorialis judex in aliqua causa competens sit.

Quando ordinaria (1) jurisdictio, non tantum ad certas personas et certas causarum species restringitur, sed insuper intra certi territorii fines coarctatur, ad determinandam competentiam concurrunt supra memoratæ circumstantiæ loci. Est nempe habenda ratio, tum domicilii personarum inter quas causa vertitur, tum loci in quo vel sita est res de qua contenditur, vel peractus contractus fuit, vel patratum delictum. De hujusmodi circumstantiis loci, ad dignoscendam competentiam omnino attendendis, in sequentibus paragraphis disserendum venit.

### § I.

#### De competentia judicum territorialium ratione domicilii.

Ut dignoscatur an et qualiter judex aliquis territorialis competens in aliqua causa sit ratione domicilii, sciendum est imprimis quid nomine domicilii in jure intelligendum veniat: tum quænam sit variarum specierum domicilii vis, ad determinandum competentem forum.

I. *Quid dicatur domicilium relate ad competentiam fori.* — Variæ distinguendæ sunt domicilii species, et de singulis præmittenda notio, ut postea quænam insit unicuique propria vis ad determinendam competentem forum facilius intelligatur.

1° A voce *domus* repetendam esse nominis hujus originem satis patet. Cum nempe singuli homines in domo aliqua de-

(1) Idem currit quoad jurisdictionem delegatam, quando et ipsa territoriali circumscriptione concluditur. Unde quæ in hoc articulo dicimus de circumstantiis loci relative ad competentiam judicis Ordinarii, intelligenda etiam sunt de jurisdictione delegata territorialiter circumscripta, prout supra jam monuimus.

gere soleant, ut *domicilium* generatim diceretur locus in quo quisque commoratur, usus loquendi invexit.

2° Duplex præcipue distinguitur domicilium : *Originis* nempe, et *habitationis*. Domicilium *originis* dicitur locus in quo quis natus est : domicilium vero *habitationis*, locus in quo quis degit seu commoratur, etiamsi in eo natus non sit.

3° Domicilium habitationis subdistinguitur in *proprie dictum*, quando nempe quis alicubi degit cum animo in perpetuum ibidem manendi, si nihil avocet : et improprie dictum seu *quasi-domicilium*, quando quis alicubi degens, proposuit, non in perpetuum, sed per notabilem anni partem, aut diutius, ibidem commorari.

4° Iterum distingui potest domicilium in *verum* et *fictum*. Domicilium *verum*, est illud quod quis vera, id est, corporali præsentia, alicubi contrahit. *Fictitium*, est locus quem jus tanquam verum domicilium assignat certis personis, ob specialem earum conditionem, etiamsi de facto in hujusmodi loco non commorentur. Ejusmodi fictione juris factum, ut olim omnibus civibus Romanis *commune domicilium* haberetur Roma, id est, Sedes Imperatoris; ita ut, ex jure Romano, quilibet Romæ conveniri posset, etiam in prima instantia, quamvis ibi nec domicilium haberet, nec contraxisset, nec deliquisset : quia nempe *in orbe romano qui sunt, ex constitutione Imperatoris Antonini, cives Romani effecti sunt*, ut dicitur lege *In orbe* (17, ff. *de Stat. hom.*) : Quæ juris Romani dispositio, an et quatenus in jus canonicum transierit quoad ecclesiasticam romanam curiam, infra expendimus. Ex simili fictione juris, senator domicilium acquirit in urbe in cujus senatum relatus est, ita disponente jure Romano, lege *Filii* (22, ff. *ad municip.*) : Item miles in loco ubi meret, si nihil in patria possideat, lege *Municeps* (23, ff. *ad municip.*) : Item uxor, ubicumque ipsa habitet, mariti domicilium habere censetur; quod domicilium juris, etiam defuncto viro perseverat, quandiu in viduitate manet; ita pariter disponente Romano jure (ultima lege tituli *de Incolis*, in codice Justiniani; et pluribus aliis). Item monachus alicui

monasterio adscriptus, ibi domicilium habere censetur, etiamsi forte actu præsens non sit, ut tenent doctores communiter. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 2, libri 2 decretalium, n. 14.) Item beneficiatus domicilium habere censetur locum beneficii, etiamsi ibidem non degat; ita scilicet ut si beneficium residentiam exigat, possit coram Ordinario illius loci beneficiatus conveniri, tum in causis beneficium respicientibus, tum etiam in aliis : si vero residentiam non exigat, in causis dumtaxat beneficium respicientibus. (Vide Schmalzgrueber, citato loco). Item vagabundis pro domicilio est quilibet locus in quo reperiuntur; licet non commorando, sed transeundo ibidem existant.

Qua de singulis domicilii speciebus præmissa magis obvia notione, expendendum venit quomodo unumquodque ex dictis domiciliis contrahatur, et quamnam vim habeat ad competentem determinandum forum.

II. *Quomodo contrahatur, et fori competentiam determinet, domicilium originis.* — Etsi in jure canonico rarius ad originis domicilium attendendum sit, cum fere nunquam ab ejusmodi domicilio superioribus ecclesiasticis competentia accedat, prætermitti tamen non oportuit duplex proposita quæstio, quippe quæ ad illustrandum totam de foro competenti materiam nonnihil conferat.

1° Quomodo contrahatur domicilium originis. — Jam diximus originis domicilium vocitari locum, in quo quis natus est; sed minus accurata est illa notio; quia locus in quo quis natus est, nec solus nec semper constituit id, quod in jure domicilium originis dicitur. Nam *primo* hoc nomine venit in jure Romano, non tantum locus in quo quis fuit in lucem editus, sed et locus in quo ipsius pater, vel etiam ipsius paternus avus natus est. Constat lege *Assumptio* (6, ff. *ad municip.*), et lege *Filios* (3, codicis, *de Municip. et origin.*), et lege *Libertus* (17, § 9, ff. *ad municip.*). Ut tamen quis pro domicilio originis habeat locum in quo paternus ipsius avus natus est, requiritur ut vivente adhuc avo ortus vel saltem conceptus fuerit (vide

Schmalzgrueber, in titulum 2, libri 2 decretalium, n. 20). Ille autem multiplex modus originis domicilium contrahendi, in jure Romano determinatus, valere et in jure canonico censendus est; cum in ista re ab Ecclesia non fuerit Justinianea legislatio correcta. « Non tamen, ait Pirrhing (in tit. 2, lib. 2 « decretalium, n. 10), sequitur quis originem aliorum ascen« dentium seu parentum majorum et antiquiorum; alioquin « quivis esset civis originarius illius loci in quo Adam natus « est, quod esset absurdum. Neque etiam sequitur quis mater« nam originem, vel avorum maternorum : » nisi tamen si spurius, et patrem nominare non possit vel non audeat; quia is domicilium originarium matris sequitur. (Vide Schmalzgrueber in tit. 2, libr 2 decret., n. 22.)

*Secundo*, an quis domicilium originis in eo loco habeat, in quo ex matre istac transeunte natus est, inter doctores controvertitur. Prima sententia, quæ est Abbatis, Barbosæ, Pirrhing, cum multis aliis, negat; contendens nempe requiri ut in loco in quo quis natus est, parentes ejus, non transeundo, sed commorando extiterint. Secunda vero sententia affirmat, nonnullos juris Romani textus allegans, et hanc addens rationem, quod alioquin, qui Romæ ex transeuntibus, et Viennam ad domiciliumibi figendum pergentibus parentibus natus est, civis originarius Viennæ foret discendus, quod absurdum est. Tertia cum Schmalzgrueber, sic distinguit : qui in itinere natus est, vel ita natus est dum parentes ejus ad domicilium (a quo ad tempus exiverant) redibant, vel contra natus est dum parentes ejus, domicilio priore deserto, alibi domicilium constituturi migrabant : si prius, sic natus originarius non est loci ubi natus est, sed loci ubi domicilium parentes habent : si posterius, domicilium originis ipsi est locus ubi editus in lucem est.

2° An et qualiter ex originis domicilio oriatur competentia fori? — « Domicilium originis (ait Huth, in tit. 2, libri 2 de« cret., quæst. 3), hodie vix servit, nisi de jure canonico ad « susceptionem ordinum (cap. 3, *de Tempore ordinand.*, in 6). »

Excepta ergo illa de sacris ordinibus suscipiendis materia (quam ad tractatum de jure sacramentario remittimus), tanquam regula poni potest, reum conveniendum non esse coram judice domicilii originis, sed coram judice domicilii habitationis, vel coram judice domicilii ficti, a jure certis personis (verbi gratia, uxori, monachis, vagabundis, etc.) assignati. Probatur *primo* textibus juris canonici : in capite *Significavit* (5, tituli 29, libri 3 decretalium) declaratum videmus, quosdam, qui ex loco originis in aliam diœcesim migraverant, a jurisdictione Episcoporum loci derelicti non pendere, sed potestati Ordinarii diœcesis in quam mansionem transtulerant subjici. Item in ultimo capite tituli 2, libri 2 decretalium, ubi varii enumerantur forum sortiendi modi, de originis domicilio omnino siletur. Probatur *secundo* praxi ecclesiasticorum tribunalium, quam generalem testantur doctores (vide Schmalzgrueber, in tit. 2, libri 2 decretalium, n. 23). Probatur *tertio* unanimi canonistarum consensu, quem ibidem testatur citatus auctor. Ratio est, quia per domicilium habitationis quis fit Ordinario illius loci vere et proprie subditus; unde non posset simul, absque ordinis perturbatione, idem Ordinario loci in quo est domicilium originis subjectus remanere. Quod si quis in ipso domicilio originis habeat et domicilium habitationis, dubium non est quin ibidem conveniri possit : at vero si transeundo tantum in loco originis existat, an possit ibidem conveniri, non reperio apud canonistas clare expressum. « Per « domicilium originis, ait Pirrhing (in tit. 2, libri 2 decret., « n. 11), subjicitur quis solum secundum quid; ita ut conve« niri non possit, nisi in loco præsens sit.» Quæ verba innuunt citari posse in domicilio originis qui ibidem, etiam iter faciendo, reperitur. Aliter autem sentire videtur Schmalzgrueber dum ait : « Generaliter receptum est, ut nemo in loco « originis, sive in criminalibus, sive inc ivilibus conveniatur, si « non concurrat domicilium habitationis.» (In tit. 2, libri 2 decret., n. 23.)

III. *Quomodo contrahatur, et fori competentiam determinet do-*

*micilium habitationis proprie dictum.* — Jam diximus domicilium habitationis duplex distingui: stricte sumptum nempe, quod constituitur corporali in aliquo loco præsentia, cum animo ibidem stabiliter manendi, nisi quid avocet: et quasi-domicilium, a priori differens, eo quod ad ipsum constituendum sufficiat propositum manendi per notabile dumtaxat tempus. De domicilio habitationis proprie dicto hic agimus. De quo expendendum venit,

1° Quid requiratur et sufficiat ad tale domicilium alicubi constituendum? — *Primo,* requiritur simul animus stabiliter in eo loco permanendi, et actualis habitatio jam incepta. Duplicis hujus conditionis necessitatem communiter doctores admittunt, et probant pluribus Romani juris textibus, quos vide indicatos apud Schmalzgrueber (in tit. 2, libri 2 decretalium, n. 9). Hinc ut quis dictum domicilium alicubi sibi comparet, non sufficit ab ipso ibi emptam esse domum, translatasve res suas, cum proposito eodem migrandi et in perpetuum ibi commorandi; sed insuper necesse est ut jam de facto ibi habitare cœperit. Vicissim non sufficit actualis habitatio, si desit stabiliter commorandi animus.

*Secundo,* præter prædictam duplicem conditionem nulla alia requiritur; quod etiam communiter doctores tenent. Hinc non requiritur ut quis fortunas suas, sive in totum, sive ex parte, in locum domicilii transtulerit: nonnullis autem Justinianei juris textibus, qui contrarium innuere videntur, quomodo responderi soleat, vide apud Schmalzgrueber (in tit. 2, libri 2 decret., n. 10). Pariter non requiritur ut per aliquot menses jam ibi degerit; sed posito in perpetuum commorandi animo, acquirit domicilium statim ac eo pervenit. (Lege *Pupillus* 239, ff. *de Verborum significatione.*) Pariter non requiritur ut de facto postea permaneat; sufficit enim perpetuitas proposita, quamvis deinde propositum mutari et domicilium alio transferri contingat. Item non requiritur, sive in facto, sive in proposito, habitatio nunquam interrupta; sed etiamsi identidem quis a domicilio suo discedat, modo ipsi revertendi animus

perseveret, domicilium non amittit; quia nempe hoc modo intelligitur in ea materia habitationis perpetuitas seu stabilitas.

Unde cum in hac re jus Romanum Ecclesia sequatur, concludendum est, de jure canonico ad comparandum proprie dictum domicilium requiri et sufficere, inceptam habitationem, cum proposito stabiliter ibi permanendi, nisi quid advocet.

*Tertio,* difficultas oritur, quando non constat, utrum quis alicubi existens habuerit necne animum ibidem stabiliter commorandi. Tunc nempe quæritur unde colligi seu præsumi debeat hocce ipsius propositum, a quo pendet domicilii veritas. « Aliqui requirunt decennium, ob textum legis *Nec ipsi* (2, co- « dicis, *de Incolis*). Sed hoc universaliter verum esse non po- « test. Nam 1°, si quis in habitationis locum totam familiam, « rerumque et fortunarum suarum summam transtulerit; si « beneficio ecclesiastico, personalem residentiam exigenti, « deservire cœperit; si aliæ conjecturæ concurrant, quæ ani- « mum figendi domicilium satis declarant, domicilium con- « tractum, etiam ex habitatione temporis brevioris, præsumitur. « Contra autem 2°, neque ex habitione quæ decennio diutur- « nior fuerit domicilium constitutum recte præsumitur, si ha- « bitationis causa temporanea solum fuerit, exempli gratia, « studiorum, famulatus, negotii, vel præfecturæ solum tempo- « raneæ... Ex quo patet, in hac re plurimum tribuendum esse « prudentiæ et arbitrio judicis; qui proinde ut recte ferat ju- « dicium, accurate considerare debebit circumstantias loci, « personarum, et vel maxime causarum diuturnioris commo- « rationis in loco. » (Schmalzgrueber, in tit. 2, libri 2 decret., n. 11.) Enumerat postea ibidem citatus auctor præcipuas circumstantias, ex quibus merito præsumi possit stabiliter commorandi animus.

*Quarto,* « potest quis in duobus vel pluribus locis simul ha- « bere domicilium, ad eum effectum ut utrobique subditus « censeatur et conveniri possit (lege *Labeo* 5, et lege *Assum-* « *ptio* 6, ff. *ad municip.*) : Veluti si in duobus aut pluribus locis « æque instructus sit ad habitandum, nec minus in uno loco

« quam in alio moretur; sed magnam anni partem, adeoque « ferme æqualiter in utroque loco, habitare soleat : tunc enim « censebitur in utroque loco, vel in omnibus illis domicilium « habere. » (Pirrhing, in tit. 2, libri 2 decret., n. 13.)

2° Quomodo ex domicilio habitationis proprie dicto determinatus remaneat forus seu judex competens. — « Vis do- « micilii habitationis generalis est, ut ratione illius sortiatur « quis forum quoad universam jurisdictionem, tam contentio- « sam, quam voluntariam; est enim generalis et præcipua ju- « risdictionis causa; ita ut soli illi qui domicilium alicubi ha- « bent et incolæ sunt, proprie ac simpliciter sint subditi. Hinc « cum omnibus aliis foris concurrit, imo iis potentius est..., « excepto foro rei sitæ, de quo infra. Ita communis doctorum « sententia. » (Schmalzgrueber, in tit. 2, libri 2 decretalium, n. 15.)

« Per forum domicilii, quod contrahitur ratione habitatio- « nis permanentis, fit quis absolute subditus judici seu magi- « stratui loci, tam in causis civilibus quam criminalibus... Quare « judex domicilii cognoscere, et subditus ratione illius apud « eumdem conveniri potest; non tantum de contractibus aut « delictis in loco domicilii, sed etiam alibi, sive extra territo- « rium illius, celebratis aut commissis, vel de re alibi sita; ut do- « cet Abbas (in tit. 2, libri 2 decret., n. 38), ubi ait, forum « domicilii esse forum ordinarium et generale quoad omnia; « adeo ut quis sortiatur forum in loco domicilii, sive ibi repe- « riatur et existat, sive non. Idque sumitur ex lege 1, c. *Ubi « de crimine agi oporteat;* ubi dicitur quod rei criminum pos- « sunt coerceri ubi delicta commissa vel inchoata sunt, et ubi « reperiuntur habere domicilium... Quamobrem, licet judex « domicilii non possit subditum absentem, extra territorium « suum capere (cum iste sit actus judicialis per quem aliena « jurisdictio violaretur), potest tamen eumdem per nuntium « vel litteras citare; quamvis enim eam citationem nuntius « foris exequatur et intimet reo, hæc tamen intimatio nuntii « non est actus judicialis, et ideo etiam in territorio alieno

« fieri potest. Quin imo etiamsi subditus ratione domicilii, « extra territorium delinquat, judex domicilii punire eum po- « test, et contumaciter absentem excommunicare. Nam cum « excommunicatio invisibiliter liget animam, ejus executio fit « sine strepitu judiciario, adeoque per eam alienum territorium « non violatur. Idque extenditur, quod non tantum ad instan- « tiam vel accusationem partis offensæ, sed etiam ex officio « inquirere, procedere, et alibi seu extra territorium delin- « quentem subditum punire potest judex domicilii, si a judice « loci commissi delicti non sit præventus, ut ex communiori « sententia doctorum tradit Covarruvias. » (Pirrhing, in tit. 2, l. 2 decret., n. 14.) Judex tamen domicilii non potest subdito suo pœnam corporalem extra territorium infligere, ut constat capite ultimo *de Jurisd. omn. judic.*

Ea est ergo regulariter vis domicilii habitationis, ut inter varios judices (qui aliunde, attenta specie causæ et personarum inter quas vertitur, jurisdictione non carent) ille semper sit competens, intra cujus territorium reus domicilium ejusmodi habet. Unde quamvis competens etiam esse aliquoties possit judex loci in quo factus contractus, vel patratum delictum fuit, vel sita est res de qua lis movetur (ut modo videbimus), hoc tamen non impedit quin simul et cumulative tunc competens sit judex domicilii, et coram ipso reum convenire possit actor, si malit.

Prædictum autem effectum producit vis domicilii habitationis proprie dicti, etiamsi reus in loco domicilii sui non existat : potest enim citari absens, et, si contumaciter non compareat, immissio in bona ejusdem fieri (ut constat ex capite *Causam, de Dolo et contumacia*), et sententia pronuntiari. « Ratio est, ait Schmalzgrueber (in tit. 2, lib. 2 decret., « n. 15), quia per forum domicilii fit quis absolute subditus « judici seu magistratui loci, et talis manet quocumque in « loco existat, nisi mutaverit domicilium. »

Excipitur tamen a prædicta generali regula : 1° Uxor et vidua, quæ conveniendа est in loco domicilii maritalis, ubi-

cumque ipsa habitet. Constat ex lege Justinianea *Filii* (22, ff. *ad municip.*), in jure canonico (utpote in hoc non contrario) vim obtinente. 2° Hæres, si conveniatur ex persona defuncti, et per defunctum ipsum judicium fuerit jam inceptum : tunc enim hæres conveniendus est in eo loco ubi defunctus conventus est, etiamsi ipse jurisdictioni loci illius subjectus non sit. Constat ex lege Justinianea *Is qui Romæ* (34, ff. *de Judic.*).

IV. *Quomodo constituatur, et fori competentiam determinet, quasi-domicilium.* — Frequenter contingit ut in aliquo loco degentes, domicilium proprie dictum ibi non acquirant, sed dumtaxat quasi-domicilium. De qua domicilii specie quæstio pariter occurrit, quomodo comparetur, et quosnam effectus quoad fori competentiam secum trahat.

1. Quomodo comparetur quasi-domicilium. — « Quasi-« domicilium sortitur aliquis in loco illo, in quo animo, non « perpetuo, sed per annum, vel majorem, vel saltem notabi-« lem anni partem, commorandi degit. Tale habent in acade-« micis studiosi, in loco legationis legati, in oppidis famuli et « ancillæ, in civitatibus negotiatores si officinam aut tabernam « ibidem constituerunt vel conduxerunt, animo per notabilem « anni partem ibi commorandi. » (Schmalzgrueber, in tit. 2 decret., n. 16.)

2. Quænam sit quasi-domicilii vis ad determinandum competentem forum. — *Primo*, « effectus quasi-domicilii est, « quod hoc habentes, quandiu ibidem existunt, tenentur le-« gibus, statutis et consuetudinibus illius loci ; id enim bonum « publicum loci cujuscumque exigit, ne alias ordo, quies et « partium consonantia tollatur. » (Schmalzgrueber, loco citato.)

*Secundo*, « acquirunt jus parochiæ et subditi ei fiunt in « foro externo ; ita ut sacramenta non solum pœnitentiæ, sed « etiam omnia alia recipere possint ab Episcopo vel parocho « illius loci, excepto sacramento ordinis : neque opus est li-« centia tacita vel expressa parochi vel Episcopi domicilii...;

« estque hoc verum, etiamsi parochia domicilii facile adiri pos-« sit, ut praxis universalis observat.

*Tertio,* « iidem in loco quasi-domicilii probabilius possunt « dispensari in votis et juramentis, jungi matrimonio, habere « sepulturam... Et ratio est, quia quamdiu in tali loco moran-« tur, vere sunt parochiani illius loci, et consequenter favori-« bus et juribus parochianorum loci ejusdem gaudent. » (Schmalzgrueber, loco cit.)

*Quarto,* certum est cum qui habet alicubi quasi-domicilium, posse ibidem conveniri ratione contractuum celebratorum, vel delictorum commissorum, in quasi-domicilii loco. « Ratio « patens est, quia actus in quasi-domicilio gesti, vel sunt liciti, « vel illiciti : si prius, tribuunt forum ratione contractus vel « quasi-contractus : si posterius, forum delicti operantur. » (Schmalzgrueber, in tit. 2, libri 2 decret., n. 17.)

*Quinto,* quoad actus gestos alibi, an possit quis conveniri in quasi-domicilii loco, controvertitur. Alii negant; quia textus juris Romani, qui facultatem dant conveniendi Reum in loco ipsius domicilii, quoad actus ejus alibi gestos, de domicilio proprie dicto loquuntur, nec debent ad quasi-domicilium extendi; item, quia alioquin non esset discrimen domicilium inter et quasi-domicilium, nisi in hoc quod illud esset ex se perpetuum, hoc temporaneum; quod dici nequaquam potest. « Sed retinenda est affirmativa sententia (ait Schmalzgrueber, « in tit. 2, lib. 2 decret., n. 17); quia talis subjicitur jurisdi-« ctioni fori interni in loco ubi quasi-domicilium habet : fru-« stra autem plus requiritur ut subjiciatur jurisdictioni fori « externi; quod si autem jurisdictionem fori externi judex « loci illius in eum habet, cognoscere etiam de actibus ejus-« dem ubicumque gestis potest. Confirmatur : quia per se « videtur absurdum esse, ut quis diu moretur in loco, et in « eo respondere non teneatur, præsertim cum (ut dictum est) « legibus, statutis et consuetudinibus loci in quo degunt, hu-« jusmodi incolæ et ipsi teneantur. » Negat citatus auctor juris textus, a sententia opposita allegatos, non posse ad

quasi-domicilium extendi. Ad rationem autem ab ejusdem sententiæ patronis additam, et supra relatam, respondet : sufficiens remanere discrimen domicilium inter et quasi-domicilium ; cum illud faciat civem in ordine ad onera et munera publica, quem effectum non operatur quasi-domicilium.

V. *Quomodo constituantur et fori competentiam determinent ea domicilia quæ fictitia vocavimus.* — Sub initium hujus paragraphi diximus, a jure certis personis certum locum pro domicilio assignari, etsi in eo vel nullatenus commorentur, vel non eo modo qui proprie dictum habitationis domicilium constituit. Vult nempe lex, ut quoad tales personas ejusmodi assignatus locus eosdem effectus trahat, ac si foret earum proprie dictum habitationis domicilium. De hujusmodi fictitiis domiciliis relate ad competentiam fori, nunc est breviter disserendum.

1° De domicilio fictitio uxoris et viduæ. — « Uxor... do-« micilium et forum mariti sortitur, ubicumque ipsa habitet; « idque etiam defuncto marito retinet quamdiu in viduitate « permanserit (lege finali, c. *de Incolis;* — lege finali, ff. *ad « municip.;* — lege unica, c. *de Mulier.*) Proceditque hoc « quoad omnia; ita ut fiat vere civis ejus urbis cujus est vir. » Ita Schmalzgrueber (in tit. 2, libri 2 decret., n. 14). Ex qua juris Romani dispositione (utpote quæ in jure etiam canonico valere æstimenda sit), sequitur uxorem vel viduam, etsi alibi commoretur, remanere tamen subjectam jurisdictioni Episcopi, in cujus diœcesi extat mariti domicilium. Hoc tamen non impedit quin eadem, si alibi commoretur cum proposito in perpetuum vel per notabilem anni partem remanendi, ibi etiam domicilium vel quasi-domicilium acquirat : Quo casu iis personis annumeranda erit quæ duplex habent domicilium, et ratione utriusque duplici Ordinario subsunt; ita ut inter duos illos Ordinarios locus sit prævention. Ex quo sequitur, verbi gratia, viduam ad alteras nuptias convolantem, posse matrimonio conjungi ab Ordinario domicilii mariti defuncti, quamvis in alia diœcesi domicilium ipsa sibi acquisiverit.

2° De domicilio ficto religiosorum. — Est communis docto-

rum sententia, religiosum quemlibet domicilium habere in loco monasterii cui adscriptus est; ac perseverare ejusmodi domicilium, quandiu voluntate superiorum ad aliud monasterium non transfertur. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 2, l. 2 decret., n. 14.) Tale autem domicilium non potest a religioso acquiri vi voluntatis propriæ in eo permanendi in perpetuum vel per notabilem anni partem; cum religiosus non sit juris sui, nec penes ipsius arbitrium stet plus minusve alicubi commorari; sed possit, altero etiam post adventum suum die, alio mitti. Hinc non potest verum domicilium habitationis acquirere, sed fictitium dumtaxat; id est, ex dispositione legis, quæ vult ipsi tanquam verum domicilium esse monasterium cui adscriptus fuit.

3° De domicilio ficto militum. — Item militibus tanquam domicilium esse locum ubi merent, voluit lex Justinianea *Municeps* (23, ff. *ad municip.*), in jure canonico recepta. Et merito quidem : nam si miles non posset conveniri ubi meret, nullibi posset in judicium vocari; quia cum facultatem non habeat militiam relinquendi et alio se transferendi, nullibi posset citatus respondere. Hinc concludendum est militem Episcopo loci in quo meret subjici, tum quoad contentiosam, tum quoad voluntariam jurisdictionem ecclesiasticam.

4° De domicilio ficto vagorum. — « Vagi qui nullibi sta-« bilem sedem aut domicilium habent..., ubique forum sor-« tiuntur; et domicilium habere censentur ac dicuntur, ubi « inveniuntur; ita ut ibi conveniri possint, etiam ratione con-« tractus alibi initi, ac puniri propter delicta alibi commissa. » Ita Pirrhing (in tit. 2, lib. 2 decret., n. 15), cum communi doctorum sententia.

5° De domicilio ficto clericorum ratione beneficii. — Contingere potest ut clericus in loco beneficii sui non commoretur; tum quod beneficium residentiam non exigat, tum quod dispensationem a residentia obtinuerit. Nihilominus tunc beneficii locus est ipsi tanquam domicilium, et domicilii effectus producit; ita scilicet, ut, si beneficium residentiam exigat,

possit beneficiatus apud Ordinarium loci, in quo extat beneficium, conveniri, non tantum in causis beneficium respicientibus, sed etiam in aliis; quia ratione beneficii residentiam exigentis, clericus evadit verus et proprius Episcopi loci illius subditus, etiamsi ibidem de facto non resideat. Et hoc verum remanet quoad singula hujusmodi beneficia, si plura in diversis dioecesibus ex dispensatione pontificia simul possideat. Sin autem beneficium ex iis sit quae residentiam non postulant, beneficiatus ab Episcopo loci beneficii dependet duntaxat quoad causas beneficium respicientes. Quae communis canonistarum et theologorum doctrina, omnino pro regula ecclesiastica tenenda est. (Vide Pirrhing, in tit. 2, lib. 2 decret., n. 16; et Schmalzgrueber, eodem, n. 14.)

6° De domicilio facto quod quisque Romae habere censetur, quando ibi praesens est. — *Primo*, certum est posse quemlibet clericum statim ac Romae praesens est, ibidem conveniri, quamvis Romae domicilium aut quasi domicilium nondum acquisiverit, nec ibi delictum patraverit, aut contractum peregerit, nec Romae sita sit res pro qua conveniatur. Constat capite *Licet* (20, tituli 2, libri 2 decretalium), cui haec rubrica praefigitur: *quisque clericus potest in curia Romana conveniri, licet alius specifice forum ibi non sortiatur: habet tamen ex causa jus revocandi domum.* In decretali autem ipsa sic declaravit Gregorius IX: *Licet ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei de qua contra possessorem causa movetur (quibus forum regulariter quis sortitur), Episcopus vester apud Sedem Apostolicam conventus non fuerit: quia tamen omnium ecclesiarum mater est eadem et magistra, vita compelli potuit ut ibi suis adversariis responderet, nisi pro alia justa et necessaria causa venisset; quam si tunc allegasset, jus revocandi domum salvum fuisset eidem.* Ex quo textu arguunt communiter doctores, posse clericum Romae existentem ibidem conveniri, perinde ac si domicilium Romae haberet, ita nempe ut forum curiae Romanae declinare non possit, sub praetextu quod Romae domicilium non habeat, nec ibi deliquerit, nec contractum gesserit, nec ibidem sita

sit res de qua lis movetur. (Vide Pirrhing, in tit. 2, lib. 2 decret., n. 6; Ferraris, verbo *Forus,* n. 31.) Ratio cur clericus Romæ præsens possit ibi tanquam coram Ordinario domicilii conveniri, est, quia Papa, cui totus mundus territorium est, jurisdictionem ex domicilio ortam habet cumulative cum singulis Episcopis in quoslibet ipsorum subditos. Simile quid olim extitit in Romana republica : omnes scilicet ad Romanum imperium pertinentes, si Romæ præsentes forent, poterant ibidem conveniri, eo quoad Roma communis omnium patria et civitas censeretur (lege *Roma* 33, ff. *ad municip.*).

*Secundo,* quamvis clericus Romæ præsens et ibi conventus, curiæ Romanæ forum declinare nequeat, potest tamen causam *domum avocare* (idest, obtinere ut sibi liceat in suam diœcesim reverti, et ibi adversariis coram Ordinario suo respondere), si objiciat, se domi fore magis ac respondendum instructum. Est etiam communis doctorum sententia ; quæ cæteroquin aperte sequitur ex ultimis verbis supra citatæ decretalis Gregorii IX. Facultas autem causam domum avocandi multum differt a facultate forum declinandi : nam prior a lege concedi potest justa de causa, etiam posito quod forum sit competens : posterior vero fori incompetentiam supponit.

*Tertio,* ut clericus, prædictam rationem exponendo, possit causam domum avocare, necesse est ut Romam venerit ex *causa necessaria ;* verbi gratia ut venerit tanquam legatus, vel eo vocatus, vel ad ferendum testimonium, etc. Unde si Romam venerit voluntarie, idest, absque ulla necessitate vel quasi-necessitate, prædicta facultate causam domum advocandi carebit : sequitur ex ipso citatæ decretalis textu, ubi habetur, *nisi pro justa et necessaria causa venisset.*

*Quarto,* an in prædicto casu, non tantum clerici, sed et laici in causis spiritualibus in curia Romana conveniri possint? — « Respondeo : possunt in his æque ac clerici, si ibidem repe- « riantur, nec causam domum revocandi habeant... Ratio est, « quia Summus Pontifex in causis spiritualibus æque laicos ac « clericos sibi obstrictos tenet. Ergo sicut in causis clericorum

« quibusvis, ita in causis laicorum spiritualibus curia Romana, « tanquam Ordinarium Summi Pontificis tribunal, in prima « instantia judicare potest. Dixi autem, *si ibidem reperiantur :* « quod benignitati Sedis Apostolicæ tribuendum est; quæ licet « etiam de absentium causis in prima instantia cognoscere « possit, non tamen vult et solet, nisi ibidem reperiantur; ne « fideles nimium graventur si in locum adeo dissitum judicii « subeundi causa conferre se tenerentur. Accedit, quia sic « magis conservatur consistoriis inferioribus sua authoritas, « et cavetur ne pontificia dicasteria litium multitudine ob- « ruantur. » (Schmalzgrueber, in tit. 2, lib. 2 decretalium, n. 28.)

*Quinto,* exposita juris dispositio, in citata decretali *Licet* contenta, nullatenus sublata censenda est per decretum Tridentini concilii (sess. 24, c. 20, *de Ref.*), in quo sic statuitur : *Causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur ; atque omnino saltem infra biennium a die motæ litis terminentur.* « Sub illis enim verbis *co-* « *ram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur,* non solum (ut « optime respondet Fagnanus, in citatum caput *Licet*, n. 25) « comprehenditur Ordinarius loci domicilii, sed etiam Ordi- « narius cujusque loci, ubi quis ex juris præscripto forum sor- « titur, sive id contingat ratione originis, vel beneficii, sive « ratione delicti, contractus, vel rei litigiosæ. Et consequen- « ter comprehenditur etiam Ordinarius loci Romanæ curiæ, « cum in ea quilibet non solum clericus, sed etiam laicus in « causis ecclesiasticis et spiritualibus forum sortiatur, et « Papa sit Ordinarius singulorum. » (Ferraris, verbo *Forus*, n. 32.)

*Sexto,* an simul verum sit eum qui Romæ præsens est non posse, si velit nisi in curia Romana conveniri? — Ostendimus eum *posse* quidem ibi conveniri : nunc vero expendendus venit casus inversus : an scilicet existens Romæ, si conveniatur a partibus coram loci Ordinario, possit opponere declinato-

riam fori, et petere ut causa ad curiam Romanam remittatur.

Nisi de hac re extaret specialis dispositio Pontificia, modo exponenda, clarum esset de jure communi posse quemlibet, etsi Romæ præsentem, conveniri etiam extra Romanam curiam coram ipsius Ordinario : « Quia cum utrobique forum sortiatur, « est in optione actoris eum convenire in quo maluerit foro. « Et quidem coram Ordinario domicilii conveniri potest indi- « stincte, licet sit absens, etiam pro contractibus alibi gestis, « vel delictis alibi perpetratis : et est communis opinio.» (Fagnanus, in caput *Licet* 20, tituli 2, libri 2 decretalium, n. 40.)

Sed intervenit de hac ipsa materia lex ecclesiastica, quæ *constitutio Eugeniana vocari solet*, in qua sic decrevit Eugenius IV : « Divina in eminenti Sedis Apostolicæ specula dispo- « nente clementia constituti, ad ea libenter intendimus, per « quæ officiales prædictæ Sedis obsequiis ejus (ad quam veluti « fidelium omnium matrem, pro animarum salute quærenda, « et justitia prosequenda, de diversis mundi partibus confluit « multitudo) tutius et quietius se promptiores valeant exhi- « bere : hinc est quod nos ex certis rationabilibus causis moti, « etiam nonnullorum prædecessorum nostrorum vestigiis in- « hærentes, districtius inhibemus locorum ordinariis..., ne con- « tra officiales præfatos, quocumque nomine nuncupentur, in « nostris et dictæ Sedis obsequiis nunc et pro tempore exi- « stentes, necnon quoscumque alios pro suis et eorum causis « vel negotiis prosequendis ad sedem prædictam venientes, ac « in ea (durante negotiorum et causarum hujusmodi prosecu- « tione) moram trahentes, et recedentes ab eadem, procedere, « aut in eos excommunicationis, suspensionis vel interdicti, « aut privationis officiorum aut beneficiorum, seu quamvis « aliam sententiam promulgare præsumant.» (Cap. *Divina* 3, tituli 7, libri 5, extravagantium communium.)

Post latum illud decretum, jam non potuerunt extra curiam Romanam conveniri *officiales* Sedis Apostolicæ, *et quicumque alii, qui pro suis negotiis expediendis ad hanc Sedem accesserunt.*

Quinam autem illi sint, fuse expendit Fagnanus (citato loco). Pauca tantum adnotabimus. 1° Dictæ constitutionis privilegio illi soli comprehenduntur, qui Romæ, seu (ut dicitur) in curia Romana *morantur pro suis negotiis et causis expediendis*. 2° Illi soli qui in hunc finem jam per annum integrum Romæ morati sunt : ita expresse restrictum fuit privilegium a Paulo V in bulla *Universi agri*, § 4, n. 17, ubi sic habetur : *Auditor non concedat monitoria seu inhibitiones in vim constitutionis Eugenianæ ad favorem curialium, nisi pro illis, qui saltem per annum in curia continue residentiam fecerint* (bullarium Rom., tom. 5, part. 4, pag. 27, edit. Coquelines). Monitoria seu inhibitiones, de quibus in hoc textu, nihil aliud sunt quam litteræ ab Auditore Cameræ Apostolicæ concessæ, quibus ordinarius, ad cujus tribunal aliquis curialis (id est Romæ degens negotiorum expediendorum causa) citatus est, monetur et prohibetur ne procedat, sed actorem ad curiam Romanam remittat. 3° Nec privilegio Eugeniano gaudent Romani curiales, quando lis movetur super beneficio quod habent in partibus, id est, extra Romanam diœcesim : ob expressum nempe concilii Tridentini decretum : *Quæ vero privilegia residentibus in curia Romana vigore Eugenianæ constitutionis... competere solent, ea in iis qui beneficia ecclesiastica obtinent, ratione prædictorum beneficiorum minime intelligantur; sed Ordinarii jurisdictioni subjecti permaneant, non obstantibus quibuscumque inhibitionibus* (sess. 24, c. 11). Item 4° privilegio Eugenianæ constitutionis non proteguntur parochi non residentes ; sed potest eorum Ordinarius contra ipsos procedere, ut constat ex concilio Tridentino (sess. 23, c. 1 in fine).

Unde ut quis, ex ea ratione quod Romæ existat, possit forum Ordinarii sui declinare, et causam ad Romanam curiam trahere, necesse est : 1° ut Romæ degat ad expedienda negotia, non autem alia de causa ; 2° ut jam Romæ per annum degerit ; 3° ut causa non sit de iis modo enumeratis, pro quibus a Tridentina synodo constitutionis Eugenianæ privilegium sublatum est.

## § II.

### De competentia judicum territorialium ratione contractus.

Nisi regulariter competens esset judex ordinarius loci in quo initur contractus, gravia sequerentur incommoda. Tunc enim creditores debitorem convenire non possent nisi coram judice illius territorii in quo is domicilium habet ; quod nonnisi multis cum difficultatibus et sumptibus plerumque fieri posset, cum sæpe debitoris domicilium a contractus loco valde dissitum sit. Præterea in loco contractus multo facilius constare potest, tum de contractu ipso, tum de solemnitatibus in eo adhibitis. Hinc, sicut in Romanorum et aliarum generatim gentium sæculari jure, ita et in canonico sancitum reperitur, ut relative ad lites de contractibus, competens regulariter sit Ordinarius loci, in quo initus contractus fuit.

Quæ dispositio, prout in jure ecclesiastico obtinet, nunc enucleatius exponenda venit.

Regula 1ª. — *Competens est regulariter Ordinarius loci in quo initus fuit contractus, ita ut coram eo Reus conveniri possit.* — Constat capite *Licet* (20, tituli 2, lib. 2 decret.), in quo inter varios modos forum regulariter sortiendi enumeratur contractus : *Licet ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei de qua contra possessorem causa movetur, quibus forum regulariter quis sortitur, etc.* Item in capite *Romana* (1, tituli 2, libri 2, in 6) sancitur, non posse ab Ordinario alicujus diœcesis judicari contrahentes extraneos, qui in ea diœcesi contraxerunt, *nisi inveniantur ibidem;* quæ verba probant posse eosdem tunc saltem judicari cum ibidem reperiuntur. Concordat jus Romanum, ut patet ex lege *Hæres absens* (19, ff. *de Judic.*). Confirmat canonistarum doctrina unanimis, et perpetua Ecclesiæ praxis. Diximus autem *regulariter*, ob varias exceptiones quas generalis hæc regula patitur, nempe :

*Exceptiones ad prædictam regulam.* — 1° Limitatur hæc re-

gula per sequentem, in qua statuitur non posse Reum coram judice loci contractus conveniri, nisi ibidem præsens reperiatur. 2° Excipitur etiam casus quo inter contrahentes conventum fuit, ne in loco contractus se invicem convenirent super implimento contractus; nam forum contractus constitutum est in favorem contrahentium; cui proin renuntiare possunt. (Schmalzgrueber, in titulum 2, libri 2 decretalium, n. 43.) 3° Excipiendus pariter ille advena, qui statim post contractum recessurus est, et ab altero contrahente statim recessurus noscitur. Tunc enim alter contrahens, nisi statim caveat de impletione contractus (verbi gratia, de solutione rei venditæ), merito censetur consentire ut emens non possit ad solutionem compelli nisi coram Ordinario ipsius domicilii. Contra vero, si advena emens aliquantisper in loco contractus commoraturus sit, vel si venditor ignoret eum statim recessurum, locum habet generalis regula : poterit nempe talis emptor, si ad locum contractus iterum accedat, ibidem dum præsens erit conveniri. Ita communius doctores. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 2, lib. 2 decret., n. 34 et 43.)

Regula 2ª. — *Competens regulariter non est Ordinarius loci in quo initus est contractus, nisi Reus ibidem præsens sit.* — Supponimus in toto hoc paragrapho Rei domicilium extrinsecum esse territorio jurisdictionali in quo contraxit; alioquin nulla esset difficultas, cum posset semper, saltem ratione domicilii ibidem conveniri. Cum ergo Reus, qui extra domicilii sui territorium contraxit, in contractus loco præsens non est, quæritur an possit nihilominus coram illius loci Ordinario conveniri? Est autem certa generalis regula, eum ibi conveniri non posse. Constat ex decretali *Romana* (1, tit. 2, libri 2, in 6), ubi expresse sancitur tales in loco contractus conveniri non posse, *nisi inveniantur ibidem*. Et ita tenent communiter doctores. Concordat jus Romanum (lege *Hæres absens* 19, ff. *de Judic.*). Diximus autem *regulariter,* quia et hæc regula suas exceptiones patitur.

*Exceptiones ad præsentem regulam.* — 1° Excipiendus casus

quo aliter inter contrahentes conventum fuit; verbi gratia, si quisque in loco contractus se responsurum promisit, et foro domicilii expresse renuntiavit : nam contractus ex conventione legem accipiunt (regula *Contractus* 85, in 6); unde posita ejusmodi inter contrahentes conventione, Reus, etsi absens, in loco contractus conveniri poterit, et nisi compareat, ut contumax judicari.

2° Si locus contractus sit simul quoad Reum locus domicilii; quia tunc saltem ratione domicilii ibidem conveniri poterit, etsi absens. Sed, ut diximus, in hoc paragrapho supponimus diversum esse locum contractus a loco domicilii Rei.

3° Si agatur de reddenda ratione administrationis, qui casus infra expenditur.

4° Si lis de contractu mota, jam fuit per Reum, postea vita functum, contestata : tunc scilicet ipsius hæres, etsi absens et alibi domicilium habens, conveniri potest in loco ubi cœptum jam est judicium.

5° An etiam aliquatenus excipiendus sit casus, quo Reus bona possidet, sive in loco contractus, sive alibi, difficultate non vacat. Contendunt canonistæ sat communiter, in hoc casu judicem loci ubi initus est contractus non habere quidem jurisdictionem in personam absentis Rei, sed tamen posse Actori concedere immissionem in possessionem bonorum ejusdem Rei. Ita scilicet ut hanc immissionem possit ipse exequi, si intra suum territorium bona Rei sita sint : sin autem alibi sita sint, requirendo illius loci judicem ut eamdem immissionem decernat. Putant dicti canonistæ id aperte colligi ex decretali *Romana* (1, tit. 2, lib. 2, in 6), in qua sic, statuit Innocentius IV : *Contrahentes vero aliarum diœcesum, super contractibus initis in Rhemensi diœcesi ab eisdem (nisi inveniantur ibidem) trahere coram se non debent* (1) *invitos : licet in possessionem bonorum quæ ibi habent, etiam cum alibi copiam sui faciant,*

(1) Nempe Archiepiscopus Rhemensis aut ipsius officiales, ut ex paragraphis præcedentibus ejusdem decretalis patet.

*si eorum auctoritate citati comparere contemnant, possint missionem facere contra eos : vel (si forte malitiose seipsos occultent, ne citatio perveniat ad eosdem) decernere faciandam in possessionem bonorum, quæ in alia etiam diœcesi obtinere noscuntur : Sed tunc loci diœcesanus ad denuntiationem ipsorum faciet hujusmodi missionem.* Engel autem putat, hanc facultatem Actorem in bona Rei absentis immittendi, quæ ibi conceditur judici loci in quo initus fuit contractus, intelligendam esse dumtaxat, quoad Reum qui aliunde, ob modo memoratas alias a regula exceptiones, personaliter compelli posset ad comparendum, et contumax esset; alioquin in ipso decretalis textu apertam contineri contradictionem : « Quomodo enim, inquit, Pontifex in principio « dicti paragraphi dicit contrahentes absentes non posse in- « vitos vocari ad locum contractus (ita ut, secundum Panor- « mitanum, nec directe nec indirecte possint cogi ad compa- « rendum), et nihilominus subjungit, quod si citati comparere « *contemnent,* missio in bona ipsorum fieri possit? Sane *missio* « *in bona* est pœna contumaciæ... ; sed quomodo contumax est « qui comparere non tenetur? Vel quomodo *contemnit* compa- « rere qui legitime evocari non potuit, cum utatur jure suo. » (Engel, in tit. 2, lib. 2 decret., n. 24.)

Regula 3ª. — *Duæ precedentes regulæ applicandæ veniunt, non tantum quoad contractus proprie dictos, sed etiam quoad quasi-contractus.* — « Nam contractus nomen hic non sumitur stri- « cte, prout tantum significat conventionem ultro citroque « obligatoriam; sed late, prout etiam tutelam, curatelam, ne- « gotiorum gestionem, et quemcumque alium actum quo obli- « gatio per se vel per alium contrahitur, comprehendit. (Lege « *Hæres absens* 19, ff. *de Judic.*) Idque verum est non tantum « quoad obligationem principalem ex contractu vel quasi-con- « tractu ortam, sed etiam quoad obligationem secundariam; « puta quoad damna et interesse propter moram debitoris suo « tempore non solventis. » (Schmalzgrueber, in tit. 2, libri 2 decretalium, n. 36.) Et concordat communis doctorum sententia. Hinc etiam quando lis movetur de *distractu,* id est, de

jam facta a partibus contractus rescissione seu annulatione, conveniri poterit Reus in loco ubi hæc annulatio facta est, si ibi reperiatur; quia ista ex mutuo consensu rescissio, est et ipsa aliquis contractus.

*Exceptio ad regulam* 3ª. — Si tamen agatur de contractu, non jam rescisso, sed rescindendo, oritur inter doctores controversia. Alii affirmant posse tunc etiam Reum conveniri in loco ubi contractus initus fuit, si ibi præsens reperiatur : alii negant, et contendunt eum non posse conveniri nisi in loco ipsius domicilii; quia (inquiunt) forum ratione contractus a lege fuit concessum ut consuleretur contractum impletioni, non eorum rescissioni : Alii cum Schmalzgrueber (in tit. 2, lib. 2 decret., n. 37), distinguunt hoc modo : vel contractus vitio aliquo instrinseco laboravit (verbi gratia usurariæ iniquitatis), vel non; et vel jam impletus fuit, vel non : si nullo vitio intrinseco laboravit et jam impletus fuit, non potest Reus conveniri nisi coram judice domicilii : Si vel impletus nondum sit, vel quamvis impletus vitio aliquo intrinseco laboravit, conveniri Reus poterit in loco contractus, si ibi reperiatur.

Regula 4ª. — *Si contrahentes consenserint ut contractus scripto fiat, locus contractus intelligendus est ille, in quo scriptione perfectus est, non in quo facta primum conventio fuit.* — Nam tunc verus contractus ante scriptionem nondum existit; ac proinde locus contractus est tantum locus in quo scripto perficitur. Neque ulla est de hac re inter doctores dissensio.

Regula 5ª. — *Si contrahentes pro impletione vel rescissione contractus determinent certum aliquem locum, a loco in quo contrahunt diversum, locus sic determinatus pro loco contractus habendus est.* — Tunc scilicet Reus conveniri poterit, non quidem in loco ubi factus fuit contractus, sed in loco ad eumdem contractum explendum vel rescindendum mutuo consensu determinato; quia nempe *contraxisse unusquisque in eo loco intelligitur, in quo ut solveret se obligavit,* ut dicitur lege *Contraxisse* (21, ff. de O. et A.); et idem firmatur aliis etiam Justinianeis

legibus. Quæ juris Romani dispositio, in foro etiam ecclesiastico vigere omnino censenda est, cum nihil contrarium jure canonico sancitum reperiatur. In hoc autem casu, ex fictione juris, locus contractus dicitur, non verus in quo facta conventio est, sed ille alius pro adimplendo pacto determinatus; ita ut huic ultimo, licet fictitio, applicandæ sint traditæ regulæ quæ locum contractuum respiciunt.

Regula 6ª. — *Administrator conveniri potest in loco gestæ administrationis, etiam si ibi præsens non sit.* — Administrator contractu vel saltem quasi-contractu adstringitur illi cujus res administrat: ergo sicut quilibet alius contrahens, poterit in loco contractus, id est gestæ administrationis, conveniri, si ibi reperiatur. Et de hoc nulla movetur difficultas. Atvero quæritur insuper, an, *etiam absens,* possit ibidem conveniri? Respondendum est affirmative, ob expressam juris Romani hac de re dispositionem, quæ habetur lege *Eum qui* et lege sequenti, c. *Ubi de ratiociniis agi oporteat;* quæ dispositio et in jure canonico (utpote non contrario) valere censenda est. Et intelligenda est, non tantum de administratione publica, sed etiam de privata, ut satis indicant, tum rubrica hunc Justinianei codicis titulum exprimens quæ sic est, *Ubi de ratiociniis tam publicis, quam privatis, agi oporteat;* tum verba legis ipsius *Eum qui,* ubi habetur: *qui aliena negotia sive ex tutelæ, sive ex quocumque alio titulo administravit, etc.* Unde relinquendus est Barbosa, qui (in legem *Hæres absens,* ff. *de Judic.*, n. 68) putavit dictam dispositionem quoad administratores, de publica dumtaxat administratione esse intelligendam.

Regula 7ª. — *Foro contractus non destruitur forus domicilii; sed cumulative ambo coexistunt.* — Quamvis in prædictis omnibus casibus competens sit judex contractus (id est ordinarius loci in quo partes contraxerunt), competens esse nequaquam desinit judex domicilii. Id extra omnem controversiam est, et valde attendi debet ob effectus ex hac cumulativa competentia orientes. Nam inde sequitur in optione Actoris esse, ut Reum citet et conveniat, vel coram ordinario cui subjacet

idem Reus ratione domicilii, vel coram ordinario loci in quo initus est contractus. Datur proinde inter duos illos ordinarios prævention locus; ita nempe ut postquam alter causam præoccupavit, jam eadem causa ad alterum deferri nequeat.

## § III.

### De competentia judicum territorialium ratione rei sitæ.

Non raro contingit ut res de qua lis movetur in uno territorio sita sit, Reus autem conveniendus in alio territorio domicilium habeat. Porro tunc in magnum cederet boni publici detrimentum, si Reus conveniri non posset coram judice territorii in quo res controversa existit. Nam in hoc territorio multo facilius documenta necessaria et probationes haberi possunt, et facilior item est sententiæ executio. Hinc evenire debuit, et de facto evenit, ut legislatores jurisdictionem ad ejusmodi lites derimendas tribuerent judici Ordinario territorii, in quo sita reperiretur res in controversiam adducta.

Quæ legislativa dispositio, an et qualiter in jure canonico determinata occurrat, hoc paragrapho expenditur.

Regula 1ª. — *Reus conveniri regulariter potest coram Ordinario loci in quo res controversa sita est.* — Constat hæc generalis regula ex capite *Licet* (20, tit. 2, lib. 2 decret.) : ibi enim inter varios modos forum *regulariter* sortiendi enumeratur etiam ratio rei sitæ. Item constat ex capite *Volentes* (1, tituli 7, libri 5, in 6), in quo forum rei sitæ sartum tectum manere decernitur etiam quoad eos qui privilegium obtinuissent non nisi coram certo judice respondendi : *Declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram locorum Ordinariis conveniri, et illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere.* Item constat ex capite *Sane* (3, tit. 2, libri 2 decret.), quo sic decernitur : *Sane si Episcopi inter quos*

*causa versatur sint diversarum provinciarum, ille Primas det judices, in cujus provincia est locus* (1) *de quo contenditur*. Concordare in hac re jus Romanum dubium non est. Hinc unanimiter a canonistis recipitur hæc generalis regula, competentem regulariter esse Ordinarium loci in quo sita est res de qua litigatur.

Diximus autem *regulariter;* quia generalis hæc regula nonnullas patitur limitationes, quas sub sequentibus regulis habes expositas.

Regula 2ª. — *Potest Reus in loco rei sitæ probabilius conveniri, etiamsi ibi non reperiatur*. — Superiori paragrapho vidimus non posse in loco initi contractus citari Reum nisi ibidem reperiatur. Queritur utrum idem procedat quoad forum rei sitæ. Affirmarunt doctores nonnulli, inter quos Barbosa (in legem finalem, c. *Ubi in rem actio*, n. 15 et 16); tum quia fora contractus et rei sitæ æquiparantur; tum quia iniquum videtur Reum ex suo domicilio ad rei sitæ locum extrahi; tum præcipue quia in lege unica, c. *Ubi de hæreditate agi oporteat*, postquam sancitum fuit hæreditatem petendam esse ubi is qui convenitur domicilium habet, vel ubi res hæreditariæ sitæ sunt, additur, *si ibi degit;* e quibus verbis concludunt conveniri Reum non posse in loco rei sitæ, *nisi ibi degat*.

Sed contraria sententia probabilior est, communiorque, et praxi magis approbata, testante Schmalzgrueber (in tit. 2, lib. 2 decret., n. 53). Illam eruunt ex capite *Quoniam* (5, tituli 6, lib. 2 decretalium, § ultimo). Sed clarior est, et rem omnino evincit lex *Si quis* (2, tituli 19, libri 3 Justinianei codicis), in qua sic habetur : *Si quis alterius nomine quolibet modo possidens immobilem rem, litem ab aliquo per in rem actionem sustineat, debet statim in judicio dominum nominare : ut sive in eadem civitate degat, sive in agro, sive in alia provincia sit, certo dierum spatio a judice definiendo, eoque ad notionem ejus perducendo, vel ipse in loca in quibus prædium situm est perveniens, vel*

(1) ***Locus***, id est, res immobilis de qua lis movetur.

*procuratorem mittens, actoris intentionem excipiat.* Cum ibi dicatur Reum ad respondendum in judicio teneri etiamsi sit *in alia provincia*, patet in loco rei sitæ conveniri posse Reum etiam absentem. Idem innuit lex quæ in Justiniani codice citatam proxime sequitur : *Sed et in locis in quibus res propter quas contenditur constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri.* Cum legislator ibi universaliter loquatur comprehendit profecto illum etiam Reum qui a loco rei sitæ abesset. Addc, alioquin forum rei sitæ ad aliquid accidentale et fere nullius momenti reduci, dum contrarium aperte supponunt generaliter canonici et Romani juris textus. Quomodo vero ad rationes contrariæ opinionis responderi soleat, vide apud Schmalzgrueber (citato loco).

Regula 3ª. — *Reus in loco rei sitæ conveniri nequit nisi actione reali vel mixta, non vero actione mere personali.* — « Quæritur qua actione Reus in loco rei sitæ conveniri possit? « Respondeo, actione reali tantum, non vero personali, nisi « sit in rem scripta. Ratio est quia actio realis rem, non per- « sonam, sequitur : igitur nihil obest, quod Reus quoad perso- « nam suam non sit subjectus, tali judici. Contrarium fit in « actione personali; nam hæc non rem sed personam sequitur; « ac proinde actor eam intentaturus coram eo judice hanc « intentare debet, cui subjecta est persona Rei conventi. » (Schmalzgrueber, in tit. 2, lib. 2 decret., n. 51.)

« Judex territorii in quo res sita est, non potest procedere « contra personam possessoris rei, aut eum ut contumacem « condemnare vel punire; cum persona secundum se non sit « subdita jurisdictioni illius. Potest tamen contra possessorem « procedere *realiter,* ut, si citatus non compareat, actorem « mittere possit in possessionem bonorum quæ in ipsius terri- « torio sita sunt... Idemque est de actione mixta, seu in rem « scripta, quæ intentari potest in loco rei citæ ; quia talis actio « non solum personam, sed etiam rem persequitur. » (Pirrhing, in tit. 2, libri 2 decret., n. 48.) Et ita doctores unanimiter.

REGULA 4ª. — *A foro rei sitæ non excluditur forum domicilii, sed cumulative ambo coexistunt.* — Non defuerunt doctores qui existimaverint Reum in loco rei sitæ, non tantum posse conveniri, sed et debere; ita scilicet, ut coram domicilii sui judice jam non posset actione reali pulsari. Cui sententiæ favere videtur caput *Sane* (3, tit. 2, lib. 2 decret.) : *Sane si Episcopi inter quos causa versatur sint diversarum provinciarum, ille Primas det judices, in cujus provincia est locus de quo contenditur.* Cum ibi dicatur ab Ordinario loci in quo res controversa sita est *dandos esse judices* (nempe ab ipso delegatos quando per seipsum judicare non vult), videtur Actori non relinqui libertatem ut ad judicem domicilii Reum trahat. Idem suadere videntur sequentes juris Romani textus : *Sed et in locis, in quibus res propter quas contenditur constitutæ sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem moveri* (lex finalis, c. *Ubi in rem actio*). *Si per in rem actionem petatur, ibi peti debere ubi res est.* (Lege *Quod legatur* 38, ff. *de Judic.*) *Ubi aut vis facta dicitur, aut momentaria possessio postulanda est, ibi loci judicem adversus eum qui possessionem turbavit convenit judicare.* (Lex unica, c. *Ubi de possess. agi oporteat.*) Hi, inquam, Romani juris textus statuere videntur, ut coram solo judice loci in quo res est possit Reus conveniri.

« Sed oppositum tenendum est, nempe quod si controver-
« sia oriatur de re immobili in alieno territorio sita, in ele-
« ctione actoris sit, utrum in loco domicilii Rei, an vero ubi res
« sita est, agere velit. » (Pirrhing, in tit. 2, l. 2 decret., n. 49.)
« Verisimilior est communis sententia, quæ arbitrio Actoris
« relinquit, an Reum coram judice domicilii, vel territorii in
« quo res contentiosa existit, convenire velit. » (Schmalzgrueber, in tit. 2, lib. 2 decret., n. 57.) Quibus rationibus hæc communis sententia fulciatur, et quomodo contrariæ opinionis argumenta dilui soleant, vide apud laudatos auctores, citato loco. Neque enim sinit tractatus nostri scopus ut ad minuta hujusmodi descendamus.

REGULA 5ª. — *Forum rei sitæ sortitur Reus, etiam quando res*

*de qua lis movetur est mobilis; modo in loco existat permanendo, non vero dumtaxat transeundo.* — « Quæritur an Reus sortia-« tur forum etiam ratione rei mobilis, aut se moventis? Re-« spondeo distinguendo : vel enim res in loco saltem aliquod « tempus permansura est, vel non. Si *primum,* coram loci ma-« gistratu ejus possessor conveniri potest. Patet ex generali-« tate textuum. (Capite ultimo, tituli 2, libri 2 decretalium ; — « lege finali, c. *Ubi in rem actio;* — lege *Quod legatur* 38, ff. *de « Judic.*) : Ubi sine discrimine inter res mobiles et immobiles, « in rem actio jubetur adversus possidentem moveri in locis, « in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt.

« Si *secundum*, id est, si res in loco est solummodo trans-« eundo, exempli gratia, si peregrinus cum equo transeat « civitatem, quem incola ejusdem civitatis dicat ad se perti-« nere, negante id peregrino, tali casu iste ratione rei sitæ « forum non sortitur... Ratio est, quia res non censetur pro-« prie esse in loco per quem solummodo transit. Excipitur « duplex casus : primus est, si res mobilis antecedenter a loco « per furtum subtracta fuit : hæc enim in loco transitus vin-« dicari potest, non tam propter titulum rei sitæ, quam ra-« tione delicti. Alter, si rei possessor de fuga suspectus sit, nec « immobilia habeat ; nam eo eventu res in loco transitus recte « sequestratur, donec causa hæc a judice Rei cognoscatur. » (Schmalzgrueber, in tit. 2, lib. 2 decret., n. 52.)

## § IV.

### De competentia judicum territorialium ratione delicti.

Ut delicta ibi coerceri et puniri possint ubi patrata sunt, suadet omnino ratio boni publici : tum quia in loco ipso commissi facinoris facilius haberi possunt circa factum et varias ejus circumstantias probationes et testimonia : tum quia regio in qua patratum crimen est, e pravo illo exemplo pateretur, nisi ibidem vindicta publica scandalum compensaret, et faci-

norosis terrorem inculeret. Hinc et jure canonico, et jure sæculari, sive Romano, sive aliarum gentium, sapienter constitutum est, præter domicilii et contractus reique sitæ, ratione etiam delicti forum. Quod quomodo quis, ex legum ecclesiasticarum præscriptione, sortiatur, patefit sequentibus regulis.

Regula 1ª. — *Ratione delicti quisque regulariter subjicitur jurisdictioni illius Ordinarii in cujus territorio deliquit, etiamsi alias ei non sit subjectus.* — Constat ex pluries citato capite *Licet* (20, tituli 2, libri 2 decretalium), ubi expresse habetur *ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei* quemque *regulariter* forum sortiri. Item capite 1, tituli 17, libri 5 decretalium sic decernitur : *De illis autem qui de loco ad locum iter faciunt, et ibi rapinas et depredationes peragunt, placuit, ut ab illius loci Prælato excommunicentur; nec ante ex illa parochia exeant, quam digne quæ perpetrarunt emendent : quorum excommunicatio proprio Episcopo significanda est, ne eos recipiat antequam illuc redeant ubi rapinam fecerint, et omnia plene emendent.* Item capite 14, tituli 2, libri 2 decretalium : *Postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, utrum sacerdos habens Ecclesiam in una diœcesi, et residens in eadem, domicilium vero patrimonii ratione in alia, ibi delinquens, ab eo in cujus diœcesi habet patrimonium pro delicto ibidem commisso debeat judicari; præsertim in causis quæ officii sui, seu beneficii privationem exposcunt. Ad quod breviter respondemus, quod per Episcopum in cujus diœcesi deliquit sententia promulgari poterit in eumdem. Sed ab eo in cujus diœcesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda.* Concordat jus Romanum (authentica *qua in provincia*, c. *Ubi de criminibus agi oporteat*). Ex his et aliis textibus certum est, et a doctoribus pro generali regula admissum, a judice loci in quo quis deliquit, posse eum judicari.

Quæ regula quemlibet generaliter delinquentem attingit ; ac proinde ipsos etiam clericos ; qui si in aliena diœcesi delinquant, a judice ecclesiastico loci illius judicari possunt.

Item extenditur dicta generalis regula ad quodlibet deli-

ctum, sive grave, sit sive leve; et sive contra divinam legem, sive contra ecclesiasticam patratum. Item attingit eos etiam qui privilegium habent non respondendi nisi coram certo judice, nisi in tali privilegio expressa mentio fiat de casu delicti, prout constat ex capite *Volentes* (1, *de Privilegiis,* in 6).

*Exceptiones ad præmissam regulam.* — 1° Excipiuntur Episcopi, quorum graviores criminales causas Sedi Apostolicæ, leviores vero provinciali synodo judicandas reservavit concilium Tridentinum. Hinc si quis unquam Episcopus (quod Deus avertat) in aliena diœcesi delinqueret, non posset ab Episcopo illius loci judicari; quod, ob tantæ dignitatis eminentiam, magis decere visum est.

2° Excipiebantur etiam olim religiosi; quod regularium ordinum privilegium quomodo a Tridentina synodo (sess. 6, c. 3, et sess. 25, c. 14, *de Regular.*) moderatum remaneat, dicetur in tractatu *de Ordinibus religiosis.*

3° Excipitur infractio legum localium quibus peregrinus non ligatur. Qui enim in aliena diœcesi ejusmodi leges transgreditur, cum juxta communiorem sententiam non peccet, non potest ratione delicti ad tribunal Ordinarii loci pertrahi.

4° Ordinarius loci, in quo quis deliquit, potest quidem de delicto ibi commisso cognoscere et sententiam ferre, non autem de commissis alibi delictis. Ita communior sententia (vide Pirrhing, in tit. 2, lib. 2 decret., n. 27).

5° Quando delinquens e territorio, nondum citatus, egressus est, potestas Ordinarii illius loci limitatur juxta id quod statuitur infra, sub 3ª et 4ª regula.

Regula 2ª.—*Si delinquens in aliena diœcesi, ibidem reperiatur, vel si ante ejus egressum citatione ipsi insinuata præventus fuit, potest ab Ordinario illius loci puniri, sive excommunicatione, sive privatione officii aut beneficii, sive pœna pecuniaria, aliave, pro ratione delicti.* — Quando delinquens in loco delicti reperitur, « res satis est expedita: dicendum enim, eo casu delinquen« tem, etsi alias non foret subditus, a judice territorii in quo « deliquit, puniri pœna vel corporali vel pecuniaria posse,

« prout ratio delicti exiget.» (Schmalzgrueber, in tit. 2, l. 2 decret., n. 61.)

« Si delinquens deprehendatur in loco delicti, potest pœna « tam corporali quam pecuniaria, pro qualitate delicti, puniri « a judice ejusdem loci ; vel etiam a judice ecclesiastico loci « illius excommunicari ; quia tunc subditus est ratione delicti « judici loci, et quoad personam, et quoad bona, vel beneficia « etiam alibi sita, juxta caput *Postulasti* (14, tit. 2, libri 2 de- « cret.).» Ita Pirrhing (in titulum 2, libri 2 decret., n. 43). Dubium non est quin Ordinarius loci delicti possit in eo casu, non tantum excommunicationem, sed et suspensionem et interdictum, pronuntiare, si eas pœnas delictum mereatur. Quia nempe eam sententiam tunc ferre potest Ordinarius loci delicti, quam in simili casu pronuntiare posset Ordinarius domicilii in suum subditum. Nec excipienda est pœna privationis officii et beneficii, ut dicetur infra.

Difficultas occurrit tantum quando delinquens jam e loco in quo deliquit egressus est. Sed eo casu, si ante egressum citatus fuit, eadem manet Ordinarii loci delicti jurisdictio, ac si delinquens præsens foret ; quia per citationem, ante discessum delinquentis factam et ipsi insinuatam, factus est Ordinario loci subjectus, etiam quoad personam ; ut colligitur ex capite *Posuisti* (19, tituli 2, libri 2 decret.). Vide Reiffenstuel (in tit. 2, libri 2 decret., n. 48 et 55).

Regula 3ª. — *Si delinquens a loco delicti egressus sit ante citationem, potest adhuc Ordinarius ejusdem loci in eum multiplici modo agere.* — Nam 1° si constet de loco in quo Reus sese receperit, potest ad Ordinarium illius loci requisitoriales litteras dare, et sic procurare ut per illum Ordinarium delinquens citetur ad tribunal loci in quo deliquit. 2° Si nesciatur ubi delinquens existat, potest Ordinarius loci in quo patratum delictum fuit, facta summaria informatione de delicto, delinquentem citare per edictum, in territorio delicti promulgandum, et ecclesiarum (verbi gratia) valvis affigendum. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 2, libri 2 decret., n. 61.) 3° Si prædicto modo

citatus non compareat, non poterit quidem Ordinarius loci delicti in personam delinquentis procedere, quia per egressum ex territorio ante citationem, jam desiit delinquens esse subditus illius judicis quoad personam; si tamen idem delinquens bona possideat in territorio delicti, poterit ejus territorii Ordinarius immissionem in ea bona decernere; et si ejusmodi bona habeat delinquens in alio territorio, poterit Ordinarius delicti Ordinarium illius loci requirere ut immissionem prædictam in hæc bona faciat. (Vide Schmalzgrueber, loco citato.) 4° Potest Ordinarius loci in quo patratum est delictum, Ordinarium loci ad quem confugit delinquens requirere, ut delinquentem remittat ad tribunal territorii delicti; et Ordinarius sic requisitus tenetur id præstare. Sit in exemplum Joannes clericus qui Parisiis deliquit, et nondum citatus Lugdunum petiit. Potest Archiepiscopus Parisiensis Lugdunensem Præsulem requirere, ut Parisios remittat judicandum Joannem. Quamvis autem nunc in Gallia, et pluribus aliis regionibus, civilis potestas auxilium sæcularis brachii non præstet, ad exequenda judicia ecclesiastica, poterit saltem Archiepiscopus Lugdunensis prædictum Joannem sub censuris et pœnis ecclesiasticis compellere, ut se coram Parisino Ordinario sistat et judicium subeat. Eam autem obligationem, delinquentem sic remittendi ad Ordinarium loci delicti, pro certa habent jurisconsulti quoad judices, qui sub eodem supremo principe existunt, *attento jure Romano:* porro canonistæ eam juris Romani dispositionem in jure canonico vigere contendunt; eo quod, ut aiunt, omnes Episcopi et alii Ordinarii in Ecclesia, sub uno supremo principe, nempe Papa, jus dicant. Quod vide discussum apud Schmalzgrueber (in titulum 2, libri 2 decretalium, n. 63 et 64); ubi etiam reperies de modo dictam remissionem petendi et exequendi.

Regula 4ª. — *Si Ordinarius loci delicti velit in delinquentem beneficii privatione animadvertere, ipse quidem (juxta probabiliorem sententiam) poterit hanc pœnam pronuntiare; sed executio facienda est ab Ordinario loci in quo delinquens beneficium obtinet.* — Ad rem facit caput *Postulasti* (14, tit. 2, libri 2 decretalium)

in quo sic Innocentius III : *Breviter respondemus quod per Episcopum, in cujus diœcesi deliquit, sententia promulgari poterit in eumdem : sed ab eo in cujus diœcesi beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda.* De sensu autem illius decretalis sic habet Pirrhing (in tit. 2, lib. 2 decret., n. 22) : « Dupliciter « intelligunt et exponunt hoc caput interpretes : *Primo*, quod « Episcopus delicti debeat ferre sententiam tantum super cri- « mine; sed Episcopus beneficii sententiam privatoriam bene- « ficii. *Secundo*, quod Episcopus delicti debeat ferre sententiam, « etiam super privatione beneficii; sed Episcopus beneficii « eam executioni mandare : quæ expositio posterior est magis « conformis litteræ et textui. Ratio est, quia clericus delin- « quens in aliena diœcesi, ratione delicti subjicitur jurisdi- « ctioni illius Episcopi : adeoque potest ab eo puniri, et privari « beneficio; sive (potest Episcopus delicti) promulgare pœnam « privationis a jure decretam in eumdem; etiamsi in aliena « diœcesi rêsideat; quamvis possessionem beneficii ei auferre « non possit; sed realis executio sententiæ debet fieri per ju- « dicem vel Episcopum loci, in quo situm est beneficium; ut « colligitur ex hoc capite; ubi Episcopo beneficii tantum re- « linquitur et conservatur executio sententiæ, non autem pri- « vatio. Nam cum titulus beneficii sit penes clericum, ac veluti « ossibus ejus inhæreat seu personam afficiat, potest judex « delicti eumdem privare jure beneficii, vel potius privatum « declarare : quia ipsa persona quoque, ratione delicti, est ei « subjecta, quamvis actualiter exequi non possit sententiam « latam in Reum, vel pœnam, extra suum territorium; sed sen- « tentia de facto executioni mandabitur per illum Episcopum, « in cujus territorio beneficium situm est. »

Regula 5ª. — *Si locus in quo delinquens existit aut deprehenditur, extraneus sit, tum diœcesi ipsius propriæ, tum diœcesi in qua deliquit, probabilius non potest Ordinarius illius loci Reum judicare nec punire.* — Nam in jure canonico mentio quidem fit de quatuor modis forum sortiendi; ratione scilicet domicilii, contractus, rei sitæ, et loci in quo patratur delictum

(capite licet 20, tit. 2, lib. 2 decret.) : at nullibi memoratur forum ratione deprehensionis aut inventionis. Unde non dari talem forum omnino tenendum est. Rem fusius expositam vide apud Schmalzgrueber (in tit. 2, lib. 2 decret., n. 65 et seq.).

Regula 6ª. — *Quando quis, in uno territorio stans, in alio patrat delictum, ibi verbi gratia hominem sclopeto occidendo, probabilius competens est ratione delicti utriusque territorii Ordinarius.* — Non concordare in hac re doctores, sed tamen probabiliorem esse indicatam in thesi sententiam, vide expositum apud Pirrhing (in tit. 2, lib. 2 decret., n. 28), et apud Schmalzgrueber (in eumdem titulum, n. 68 et seq.). Discutit ibidem laudatus Schmalzgrueber duos alios casus qui difficultatem aliquam facere possent, circa delicta in duorum territoriorum confinibus patrata : 1° Quando vulneratus aliquis in uno territorio, in alterum pergit et ibi decedit, « indubitata est re- « solutio, eum qui vulnus inflixit, ratione homicidii sortiri « forum in illo territorio quo lethale vulnus inflixit... Ratio est « quia homicidium in eo loco commissum esse censetur, in « quo ejus efficax ac necessaria causa posita et in subjectum « derivata est. » (Schmalzgrueber, loco cit.) 2° Qui in uno territorio mandavit homicidium, quod in altero patratur, forum sortitur non in loco mandati, sed in loco executionis. Ita communior sententia. (Schmalzgrueber, loco citato.)

Regula 7ª. — *A foro delicti non tollitur forum domicilii, sed ambo cumulative coexistunt.* — Quando quis Ordinario alieni territorii subjicitur ratione delicti quod ibi patravit, non ideo desinit esse subjectus proprii domicilii sui Ordinario ; sed potest ab illo etiam citari et judicari, sive præsens sit, sive absens. Nec ulla movetur de hac re inter doctores difficultas. Hinc inter loci domicilii et loci delicti Ordinarios, datur præventioni locus; ita ut statim ac alteruter, Reum citando, causam præoccupavit, nequeat alter in eam sese intromittere : quod pariter locum habere quoad forum contractus et rei sitæ supra vidimus. Et sic intelligitur quod dicunt canonistæ, fo-

rum domicilii esse *generale*, tres alios autem foros *particulares*. Nam judex loci delicti, verbi gratia, jurisdictionem habet dumtaxat pro casu illo particulari delicti ab extraneo in suo territorio patrati. Et idem currit quoad judicem loci contractus, et judicem rei sitæ. Atvero Ordinarius domicilii jurisdictionem habet in subditum generaliter; ita ut extendatur etiam illa jurisdictio ad casum particularem, quo quisque ex dictis tribus aliis judicibus illam pariter habet. Et ideo dicitur forum domicilii cum tribus aliis concurrere; quod dici nequit de ullo ex tribus aliis foris : nam, verbi gratia, qui est tantum judex ratione rei sitæ, non potest judicare in causa delicti aut contractus : e contra judex domicilii potest ex eo solo titulo subditum suum judicare, etiam in causa delicti in alieno territorio patrati, et in causa contractus in alieno territorio initi, et in causa de re in alieno territorio sita. Quæ mutua quatuor fororum relatio valde attendenda est, ut materia de judiciis recte intelligatur.

# SECTIO VI.

## De Probationibus judicialibus.

Commune est omnibus judiciorum speciebus, ut in iis probandum sit quod contra Reum in jus vocatum intenditur; et nisi id sufficienter probetur, Reus sit a judice absolvendus. Hinc ad notionem *de Judiciis in genere* pertinet etiam de probationibus judicialibus disceptatio. In ea autem progrediemur hoc ordine : 1° Dicemus de probationibus generatim consideratis; 2° de probatione per testes; 3° de probatione per instrumenta; 4° de supplementis probationum, id est, de præsumptionibus et jurejurando.

### CAPUT I.

#### DE PROBATIONIBUS IN GENERE.

Quæstio 1ª. — *Quid sit probatio.* — Communiter definiri solet : *Rei dubiæ seu controversæ per legitima argumenta facta ostensio.* Hanc veterum juris consultorum definitionem carpunt aliqui, ex eo quod non conveniat probationi per testes et instrumenta, cum hæc *argumenta* non sint : sed loco verborum *per legitima argumenta*, poni potest *per legitima media*. Solet aliter etiam describi, nempe : *Actus judicialis, quo per instrumenta, aut testes, aut idonea argumenta, judici de re aut facto dubio et controverso fit fides.* (Vide hanc ultimam definitionem evolutam apud Schmalzgrueber, in tit. 19, libri 2 decret., n. 2.)

Quæstio 2ª. — *Qualuplex distinguatur probatio?* — Distinguitur 1° artificialis et inartificialis. *Artificialis* dicitur, quam probans arte seu industria propria conficit per argumenta ex rei visceribus petita. Ad discernendam ejusmodi probationis vim, nullæ aliæ tradi possunt regulæ quam logices. Unde nihil de hac probationum specie dicemus; quia rectæ judicis æstimationi tota relinquitur. *Inartificialis* illa est, quæ non ex visceribus rei, sed extrinsecus assumitur; nempe a testibus, instrumentis, confessione, juramento, etc.

Dividitur 2° in plenam et semi-plenam. *Plena* dicitur, quæ plenam fidem facit judici de re in judicium deducta, seu quæ ita eum in causa instruit, ut nullo alio ulterius requisito, sententiam ferre et controversiam definire possit. *Semi-plena* illa est, ex qua judex valde probabiliter, veritatem de re controversa introspicit, non tamen certo notam habet.

Dari *semi-plenam* probationem negant quidam juris consulti; unde et hanc divisionem probationis in plenam et semi-plenam de medio sublatam volunt. Contendunt nempe probationem quamlibet vel plenam esse, vel nullatenus esse probationem; pro quo et nonnullos Justinianei juris textus adducunt. Sed omnino retinendam esse hanc divisionem vide probatum apud Schmalzgrueber (in tit. 19, libri 2 decret., n. 9).

Quæstio 3ª. — *Quænam sint præcipuæ species probationis plenæ?* — Sex potissimum enumerantur: 1° depositio duorum testium omni exceptione majorum super uno eodemque articulo; 2° instrumentum publicum, vel alia scriptura authentica eamdem vim probandi habens ac instrumentum publicum; 3° præsumptio juris et de jure; 4° juramentum quod a parte litigante sibi delatum pars adversa præstat; 5° confessio ipsius Rei; 6° evidentia seu notorietas facti.

Quæstio 4ª. — *Quinam sint præcipui plenæ probationis effectus?* — « Triplex est maxime: 1° Quod juxta illam sit fe-
« renda sententia. Hinc condemnare judex Reum debet, si
« actor intentionem suam plene probaverit: absolvere autem,
« si actor nihil, aut Reus contra plene probavit... Alioquin

« judex litem faciet suam, et in id quod litigatoris interest, « condemnabitur... Quod si uterque (Actor et Reus), plene « probaverit, is vincet qui pro se habet præsumptionem (capite « *ex Litteris* 3, *de Probationibus*) : Alioquin in pari causa et pro- « bationum æquilibrio, Reus absolvitur (capite *ex Litteris* 3, « *de Probationibus;* — capite *Inter delictos* 6, *de Fide instrumen-* « *torum;* — lege *Arrianus* 4, ff. *de O. et A.*); nam hujus in jure « melior est conditio.

« 2° Quod actor qui plene probavit intentionem suam, non « teneatur juramento eam confirmare, sed oblatum a judice « recusare possit, ut statuitur capite *Sicut consuetudo* 2, *de Pro-* « *bationibus*. Et ratio est quia, cum juramentum sit species « quædam probationis, adhibetur tantum quando causa non- « dum est probata sufficienter.

« 3° Quod is contra quem plene probatum est, non amplius « admittitur ad purgationem canonicam. Ratio est quia pur- « gatio canonica tantum conceditur suspecto et non convi- « cto. » (Schmalzgrueber, in tit. 19, libri 2 decretalium, n. 11.)

Quæstio 5ª. — *Quænam sint præcipuæ species semi-plenæ probationis?* — Sex præsertim enumerantur : « 1° depositio « unius testis; vel plurium singularium; aut duorum etiam « concordantium, sed non legitimorum seu omni exceptione « majorum; 2° instrumentum seu scriptura privata; 3° com- « paratio litterarum quando de scripto dubitatur; 4° juramen- « tum quod *suppletorium* nuncupatur; 5° præsumptio verisi- « milis sive probabilis; 6° fama. » (Schmalzgrueber, loco cit., n. 14.)

Quæstio 6ª. — *Quinam sint semi-plenæ probationis effectus præcipui?* — « 1° Dat locum juramento suppletorio; 2° libe- « rat aliquando ab ulteriori onere probandi, et illud in adver- « sarium rejicit; 3° conjuncta alteri semi-plenæ probationi « conficit plenam probationem. » (Schmalzgrueber, in tit. 19, « l. 2 decret., n. 15.)

*Nota* 1. — « Probatio *minus quam semi-plena* facit *adminicu-*

« *lum,* et aliis juncta aliquando plenam, aliquando semi-plenam « probationem efficit. » (Schmalzgrueber, loco cit.)

*Nota* 2. — « Probatio *plus quam semi-plena* id speciale ha- « bet, quod aliquando in causis civilibus sit idonea ad feren- « dam sententiam, etiamsi adminiculum nullum accedat. » (Schmalzgrueber, loco cit.)

QUÆSTIO 7ª. — *An et quando duæ semi-plenæ probationes faciant unam plenam?* — Sustinent canonistæ plurimi, ex duabus semi-plenis exurgere plenam probationem; pro quo adducunt caput *Cum causam* (13, *de Probat.*), caput *Præterea* (27, *de Testibus*), et caput finale *de Success. ab intestato.* Sed revera id in sensu rigoroso terminorum admitti nequit. Nam, fatentibus omnibus, quoad causas criminales, nec duæ nec plures semi-plenæ probationes plenam efficiunt; et tamen si plenam in aliquo casu vere efficerent, id in omnibus casibus deberet contingere. Rectius ergo dici posse videtur, duas semi-plenas probationes *haberi* regulariter pro una plena et eumdem effectum sortiri.

Dicitur *regulariter;* nam communiter doctores excipiunt : 1° causas criminales, in quibus duæ pluresve semi-plenæ probationes non sufficiunt ad condemnandum, sed solum ad inquirendum; quia nempe in ejusmodi causis requiruntur probationes luce meridiana clariores; prout dicitur in lege ultima tituli *de Probationibus,* in Justinianeo codice; 2° causas matrimoniales; ut nempe pronuntietur contra valorem jam initi matrimonii, plena requiritur probatio; 3° causas civiles adeo arduas, ut criminalibus æquiparentur.

QUÆSTIO 8ª. — *Cuinam incumbat rem in judicio assertam probandi onus?* — I. Est regula generalis, et tanquam certa ab omnibus admissa, illi incumbere probandi onus qui aliquid alteri nocivum in judicio affirmat, nec habet pro se præsumptionem juris. Ita expresse statuitur lege *Ei incumbit* (2, ff. *de Probationibus*), et lege *Ut creditor* (1, c. *de Probationibus*). Hinc quia Ordinarie Actor in judicio affirmat aliquid in præjudi-

cium Rei, Actori regulariter incumbit rem quam affirmat probandi obligatio.

Applicanda autem venit hæc regula, tam in causis criminalibus quam civilibus : et etiam quando judex procedit ex mero officio per *viam Inquisitionis*, id est absque ullo accusatore aut denuntiatore ; nam etiam tunc non tenetur Reus contra quem proceditur probare innocentiam suam, sed tenetur judex vel promotor fiscalis probare ipsum deliquisse. Unde etiamsi Reus nullam defensionem, nullamque probationem pro se afferat, debet absolvi, si contra ipsum non probetur. Et ita decernitur capite ultimo tituli *de Jure jurando*, capite unico tituli *ut Eccl. benef. sine dim. confer.*, nec non lege *Qui accusare* (4, c. *de Edend.*).

II. Receditur tamen a præfata regula in certis quibusdam casibus. Nam 1° si Reus opponat aliquam exceptionem, prætendendo, verbi gratia, judicem non esse competentem, vel Actorem testemve aliquem non esse recipiendum, ipsi incumbit ejusmodi exceptiones probandi onus. 2° Item si juris præsumptio stet pro Actore affirmante, Reus negans suæ negationis veritatem probare debet. 3° Si judex ex justa causa onus probandi in Reum transferat ; ut si ipsi deferat juramentum : debet enim tunc Reus parere ; et in hoc casu præstitum juramentum loco probationis erit. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 19, libri 2 decretalium, n. 28.)

Quæstio 9ª. — *Cuinam incumbat probare rem in judicio negatam ?* — Superiori quæstione egimus de probanda *affirmatione* in judicio prolata ; hic vero de probanda *negatione* movetur quæstio.

« Distinguendum inter propositiones negativas : nam tripli-
« cis generis esse possunt, una facti, alia juris, alia qualitatis.
« *Negativa facti* dicitur quæ negat aliquid factum fuisse, ut
« *non occidi Titium, non contraxi cum Sempronio. Negativa juris,*
« quando negatur aliquid jure fieri posse vel de jure factum
« fuisse ; ut si quis neget Titium posse esse procuratorem ; vel
« si quis neget electionem esse de jure factam. *Negativa qua-*

« *litatis* denique, quando negatur aliqua qualitas in subjecto : « quæ duplicis generis esse potest : nam aliquæ insunt homini « communiter et naturaliter (verbi gratia, aliquem esse com- « potem mentis, probum, etc.); aliæ solum insunt accidentali- « ter et non communiter (verbi gratia, aliquem esse doctorem « theologiæ, etc.). » His suppositis,

« *Certum est* 1°, si propositio sit negativa qualitatis quæ « communiter et naturaliter inest omnibus, eam probari de- « bere a negante illam qualitatem... Ratio est quia qualitas « quæ communiter et naturaliter inest homini, adesse a jure « semper præsumitur.

« At si negetur qualitas, quæ solum accidentaliter et non « communiter inest, distinguendum est, an agatur de aliquo « promovendo vel admittendo ad dignitatem, beneficium, etc., « in quo qualitas illa requiritur; an vero de eo, qui promotus « vel admissus est, ob carentiam ipsius removendo. Si *primum*, « affirmativa propositio probanda est ab allegante (1); et si « non probetur, non præsumitur adesse... Si *secundum*, onus « probandi defectum talis qualitatis neganti incumbit; cum « adversarius ejus per possessionem muneris, quod talem « qualitatem requirit, constituatur etiam in quasi possessione « ipsius qualitatis.

« *Certum est* 2°, si propositio sit negativa juris, et id quod « negatur sit de *genere permissorum*, eam propositionem pro- « bandam a negante (lege *Ab ea parte*, ff. *de Probationibus*); quia « omnia præsumuntur de jure licita esse, nisi prohibita esse « probentur. At quando negantur ea quæ sunt *de genere prohi- « bitorum* (exempli gratia, quando negatur hominem aliquem « jure occidi potuisse), non negans suam negativam, sed affir- « mans affirmativam probare debet. Nam in materia commu- « niter prohibita observari debet regula : *Quod concessum non « reperitur, eo ipso prohibitum censeri debet*.

« Controversia solum est de propositione *negativa facti*. Sed

(1) Id est, qui allegat se requisitam qualitatem habere, hoc probare debet.

« etiam hoc ope distinctionis decidi potest. Nam triplex hujus-
« modi propositionum species est, videlicet 1° propositio ne-
« gativa *pura simplex et indeterminata*, quæ non habet deter-
« minationem loci temporis vel alterius circumstantiæ (exempli
« gratia quando Reus dicit : non contraxi, non mutuavi, non
« sum citatus, etc.). 2° Negativa facti *determinata;* quæ limitata
« est certo loco, tempore et aliis circumstantiis (ut si testis vel
« actor dicat, Titium contraxisse matrimonium cum Berta, tali
« loco, tempore, etc.). 3° Denique propositio negativa *præ-*
« *gnans;* quia scilicet virtualiter et implicite continet in se pro-
« positionem affirmativam : ut si quis dicat se non sponte re-
« nuntiasse beneficio; nam hic implicite asserit sibi vim illatam
« in renuntiatione beneficii.

« Ex his, *ultima* a negante probari potest et debet (capite
« *Super hoc* 5, *de Renuntiatione;* — capite finali, *de Success. ab*
« *intest.;* — lege *Si filius* 8, ff. *de Probationibus*). Ratio est,
« quia asserenti incumbit probatio; sed qui utitur propositione
« negativa prægnante, asserit; ergo.

« *Secunda*, seu negativa determinata, a negante probari
« indirecte potest, si scilicet probet se eo tempore in alio loco
« cum aliis personis fuisse, etc.; sed probari ab ipso non neces-
« sario debet (capite *Ex tenore* 35, *de Testibus;* — lege *Opti-*
« *mam* 14, c. *de Contrah. stipul.*). Excipe, nisi super ejusmodi
« propositione negativa eam allegans fundet intentionem suam :
« tunc enim illam probare debet; cum regula generalis sit,
« quemlibet obligari ad probandum id, quod est causa et fun-
« damentum intentionis suæ.

« *Prima*, seu negativa pura, non potest probari (lege
« *Actor* 23, c. *de Probationibus;* — capite *Bonæ* 23, *de Elect.*)
« Ratio est, quia negationis, utpote non entis, nullæ sunt cau-
« sæ, nullæ differentiæ, nullæ proprietates, a quibus sicut de-
« finitiones ita et probationes desumendæ sunt; cum probatio
« nihil aliud sit quam vera alicujus facti definitio et demon-
« stratio. » (Schmalzgrueber, in tit. 19, libri 2 decretalium, n. 33 et seq.)

## CAPUT II.

### DE TESTIBUS.

QUÆSTIO 1ª. — *Quinam ad ferendum in judicio testimonium apti sint.* — 1° Est certa et ab omnibus recepta generalis regula, testificari posse omnes qui non sunt a jure prohibiti. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 20, libri 2 decret., n. 2.)

2° A jure prohibentur furiosi (ibid., n. 2).

3° Item impuberes. In causis tamen criminalibus examinari solent; sed tunc depositio impuberis per se solam non facit semi-plenam probationem, quamvis esse possit valde utilis tanquam indicium ad indagandam veritatem (ibid., n. 6).

4° Cæci, necnon surdi-muti (ibid., n. 7). Sed de his idem saltem videtur dicendum ac de impuberibus quoad causas criminales.

5° Pecunia corrupti (ibid., n. 12).

6° Infames, tum infamia juris, tum infamia facti (ibid., n. 16): potest tamen eorum testimonium in causis criminalibus recipi, si id utile videatur; ita tamen ut fidem non faciat, quia tales testes non sunt omni exceptione majores.

7° Criminosi; quibus nempe grave crimen a parte adversa objicitur, et in judicio probatur (ibid., n. 18).

8° Qui hic et nunc est accusatus vel inquisitus de crimine gravi, et cujus causa adhuc pendet (ibid., n. 21).

9° Perjuri (ibid., n. 24).

10° Excommunicati excommunicatione majore : cum hoc discrimine, quod *non toleratum* debet judex omnino repellere; *toleratum* vero non nisi adversa pars excommunicationis exceptionem opponat (ibid., n. 26).

11° Personæ valde pauperes et viles. « Ratio est quia de « his potest esse suspicio quod pecunia facile corrumpantur » (ibid., n. 28).

12° Non admittuntur ad testificandum parentes in favorem liberorum, nec liberi in favorem parentum (ibid., n. 29).

13° Idem dicendum de fratribus, consanguineisque, aut affinibus usque ad quartum gradum, necnon de amicis et familiaribus (ibid., n. 31).

14° Ac de conjugibus in invicem (ibid., n. 33).

15° Nec famuli recipiuntur ad testificandum in favorem suorum dominorum (ibid., n. 35).

16° Socius criminis non admittitur ad testificandum contra socium (ibid., n. 39).

17° Qui crimen confessus est, nequit pariter contra socium criminis esse testis; quia nempe ex confessione sua jam evasit infamis (ibid., n. 39).

18° Testificari nequit inimicus contra inimicum, si gravis inter eos inimicitia existat (ibid., n. 43). E contra autem bonum est testimonium in favorem inimici.

19° In causa criminali, an et quatenus laicus testis esse possit contra clericum, vide apud Schmalzgrueber (loco cit., n. 49).

20° Testes esse nequeunt parentes contra liberos, et vice versa; frater adversus fratrem; socer contra generum; uxor contra maritum; vitricus contra privignum, et vice versa.

21° Item nec patroni causarum adversus suos clientes; tutores vel curatores contra pupillum vel minorem, administratores, syndici et actores respectu negotiorum quæ tractarunt (ibid., n. 51).

22° In causa criminali testis esse nequit minor viginti annis (ibid., n. 54).

23° Nec clerici et religiosi in causa sanguinis (ibid., n. 55).

24° Fœmina regulariter de jure canonico testis esse nequit in causa criminali. « Ratio est quia mulier suapte natura est « inconstans et mutabilis, atque hinc minus idonea reputata a « sacris canonibus ad ferendum testimonium in causis criminalibus, in quibus, quia de gravissimo præjudicio agitur, desiderantur probationes perfectissimæ.

« Dixi *regulariter;* nam in nonnullis casibus, non minus quam

« cæteri inhabiles ad testificandum admittuntur etiam ipsæ in « causa criminali : ut est 1° in criminalibus exceptis (*ut læsæ « majestatis, hæresis, simoniæ, etc.*), ubi fœmina pro teste admit- « titur etiam de jure canonico. 2° Si virorum testimonium ha- « beri nequeat : nam ob defectum testium idoneorum admitti « possunt testes alioquin inhabiles. 3° Si judex ex officio pro- « cedat ad inquisitionem de crimine. 4° Ad defensionem Rei « et innocentiam ejus ostendendam. 5° Si civiliter agatur de « crimine. » (Schmalzgrueber, in tit. 20, libri 2 decret., n. 56.)

25° Denique nemo potest esse testis in propria causa. Et sic excluditur 1° qui habet causam consimilem ; 2° judex quoad causam quam judicat vel judicarit ; 3° actor quoad causam quam agit; et similes.

Quæstio 2ª. — *Quot requirantur testes ad probandum?* — Requiruntur et sufficiunt duo, modo sint omni exceptione majores. Quæ generalis regula ex sacris scripturis deducitur, et tum canonico, tum Justinianeo jure expresse sancitur.

Et huic quidem regulæ in causis criminalibus nulla hodie datur exceptio; quamvis olim (ex canone *Præsul* 2, et canone sequenti, causæ 2, q. 5) ad damnandos certos clericos plures quam duo testes requirerentur. In cæteris vero causis dantur nonnulli casus in quibus sufficit unius testis depositio : verbi gratia, si mater sponsi asserat existere impedimentum dirimens, satis est ut matrimonium celebrari nequeat. Item sufficit testimonium notarii circa instrumentum a se confectum. Vide alios hujusmodi casus apud Schmalzgrueber (in tit. 20, libri 2 decret., n. 70).

Quæstio 3ª. — *Quomodo recipi debeant testes, parte adversa citata, et quomodo juramentum ab eis emittendum sit.* — 1. Ad receptionem testium pars adversa citari debet. Quæ citatio si omitteretur, attestationes forent ipso jure nullæ. Constat ex decretali *In nomine* (2, tituli 20, libri 2 decr.), quæ Justinianeum jus in hac re firmat quoad forum ecclesiasticum, et sic concludit : *Admonendus est semper adversarius, ut ad au-*

*diendos testes veniat : quod, quia hic* (1) *omissum est, necesse est ut quod contra legem actum est, non habeat firmitatem.*

« Excipitur *primo,* si periculum sit in mora ; ut quia debitor « de fuga suspectus sit, vel testes in remotas partes discessuri, « vel si senes aut ægroti sint, nec pars adversa interea citari « vel interesse possit. *Secundo,* si partes consentiant ; quia juri « suo renuntiare possunt. *Tertio* si agatur de crimine hæresis ; « nam in hoc partis citationem supplet præsentia honestarum « personarum (capite finali, *de Hæreticis,* in 6). *Quarto,* si aga- « tur de peccato vitando, uti factum est capite *Præterea* (12, « *de Sponsalibus*), ubi ad depositionem unius testis secreto et « occulte deponentis, sine citatione alterius partis, impeditur « matrimonium contrahendum. *Quinto,* denique in omnibus il- « lis casibus in quibus litis contestatio necessaria non est. » (Schmalzgrueber, in tit. 20, libri 2 decret., n. 82.)

2. Citatæ partes admitti debent ut videant testes recipi et jurare, non vero ut audiant eorumdem testimonia. Sequitur ex capite *Inquisitionis* (21, libri 5, tituli 1 decret.) ubi decernit Innocentius III, *non solum* testium *dicta, sed etiam ipsa nomina, ut quid a quo sit dictum appareat, publicanda;* quod certe supponit, primum interrogatos fuisse testes parte adversa non præsente. Et idem pariter colligitur ex capite *Venerabili* (52, tit. 20, libri 2 decret.); et ex lege *Nullum* (14, c. *de Testibus*).

Hinc canonistæ unanimiter docent testes secreto a judice esse examinandos ; et dum interpretantur hæc verba supra citatæ decretalis *In nomine,* « admonendus est semper adversa- « rius, ut *ad audiendos* testes veniat, » vocem *ad audiendos* dicunt intelligendam esse de auditione dumtaxat juramenti a testibus præstandi, non vero de auditione depositionis ipsorum. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 20, libri 2 decretalium, n. 83.)

3. Astantibus testibus, necnon citatis et præsentibus partibus, solet judex, cum quadam gravitate ac severitate, aperto-

(1) Nempe in causa particulari de qua in hac decretali agitur.

que capite, testem monere de dicenda veritate, et ne illam favore vel odio celet, memor quam grave sit perjurii scelus.

4. Omnino requiritur a testibus juramentum præstari. Id constat decretali *Nuper* (51, tit. 20, libri 2 decr.), in qua nec ipsos religiosos a præstando juramento eximi decernitur his verbis : *Respondemus quod nullius testimonio, quatumcumque religiosus existat, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi.* Et in decretali *Fraternitatis* (17, ejusdem tituli) supponitur ejusmodi juramenti præstationem pertinere ad formam canonicam recipiendorum testium : *Receptis prius ab ipsis, secundum formam recipiendorum testium, juramentis.* Idem constat ex lege *Juris jurandi* 9, et ex lege *Testium* 18, *de Testibus,* Justinianei Codicis, quoad hoc in foro etiam ecclesiastico recepti.

Adeo necessarium est præstari a testibus juramentum, ut etiam id in causis summariis requiratur. (Schmalzgrueber, in tit. 20, libri 2 decr., n. 88.)

Etiamsi duo integerrimi testes deponant, omisso juramento, ne semi-plenam quidem probationem faciunt, sed præsumptionem tantum.

Neque posse per consuetudinem induci, ut testibus licet non juratis habeatur fides, tradunt communiter doctores cum Schmalzgrueber (citato loco).

5. Potest tamen ex consensu partium cessare juramenti a testibus præstandi necessitas; neque tunc requiritur insuper assensus judicis, nisi in nonnullis quibusdam casibus, quod vide evolutum a laudato Schmalzgrueber (loco cit., n. 90 et 91).

6. Ut legitimum sit juramentum testium, observanda sunt sequentia : *Primo,* ut præstetur in præsentia utriusque partis; *secundo,* ut præstetur coram judice causæ vel instantiæ, aut hujus commissario; nam potest judex examen testium alteri delegare; qui autem examinat juramentum etiam recipit; *tertio,* ut præstetur in loco judicii, a qua tamen conditione eximuntur ægroti, aliive simili ex causa impediti; hi enim domi

suæ, coram commissario ad hoc deputato jurare et deponere possunt; *quarto,* ut præstetur tactis evangeliis ; sed clerici in sacris constituti, de jure communi et universali consuetudine, jurant propositis dumtaxat evangeliis, et manu pectori admota. Quæ omnia vide evoluta apud Schmalzgrueber (in tit. 20, libri 2 decret., n. 86).

7. Quid autem jurare debeant testes sic exponit modo citatus auctor (n. 88) : « Jurare debent, quod nec odio nec « amicitia aut favore, vel aliquo alio commodo habito aut ha- « bendo inducti sunt ad testificandum, sed moti amore solius « veritatis; quod veritatem, sicut secundum conscientiam « suam noverint, ad articulos et interrogatoria sibi proponenda « fideliter sint dicturi ; et denique quod depositiones suas ante « legitimam earum publicationem neutri parti velint manife- « stare. »

8. « Hoc juramentum repetendum est, si idem testis in « eadem causa et instantia examinetur super diversis et novis « articulis, ut constat ex capite *Fraternitatis* (17, tituli 20, « libri 2 decret.). Secus est si testis repetatur solum ad decla- « randum testimonium suum ; tunc enim novo juramento opus « non est. » (Schmalzgrueber, loco cit., n. 87.)

Quæstio 4ª. — *An et quid probent testes singulares?* — Valde ardua est hæc quæstio, et in qua doctores non parum desudant. Dicuntur autem *singulares* ii testes qui varia atque inter sese diversa deponunt.

Ejusmodi testium depositionibus nullam vim inesse concludendum videretur ex capite *Cum dilectus* (32, *de Elect.*), ubi decernit Pontifex, *eorum probationem esse insufficientem, eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares.*

Nihilominus communiter existimant canonistæ distinguendum esse inter varias testium singularium species. « Quidam « (ait Schmalzgrueber, in tit. 20, libri 2 decret., n. 105) tales « sunt singularitate *adversativa,* alii *cumulativa,* alii *diversifi-* « *cativa. Adversativa singularitate singulares* sunt, qui de uno « actu non iterabili, vel saltem non iterato, varia et quoad

« circumstantias (exempli gratia, temporis et loci) inter se « pugnantia deponunt. Quales erant duo illi senes Susannæ « accusatores, quorum unus adulterii crimen ab ea commissum « dicebat sub prino, alter sub schino. *Cumulativa singularitate « singulares* sunt, qui de actibus quidem diversis, sed ad « eumdem finem tendentibus, seseque mutuo adjuvantibus « deponunt; ut si unus testis actus alicujus auditum asserat, « alter visum; si unus asseveret Sempronium citasse partes, « alter dicat eumdem tulisse sententiam, tertius ipsum istam « executioni mandasse; si unus fundi possessionem Titio asse- « rat, quod viderit illum ab eo coli, alter quod conspexerit « eum collegisse ex ipso messem, etc. *Diversificative singulares* « sunt, qui deponunt de factis sibi invicem non contrariis, sed « diversis, et nihil se invicem juvantibus : sicut factum est in « casu capitis *Cum tu* (16, tituli 20, libri 2 decret.), ubi duo « deposuerunt de excommunicationis sententia : unus quidem « dicebat, latam illam fuisse ante, alter post appellationem : « idem accidit, cum unus testificatur de Caii, alter de Sempro- « nii cæde a Titio facta, etc.

« Ex his, *primi generis* testes, nec semi-plene probant, ob « contrarietatem et repugnantiam, quæ redolet falsitatem « (capite *Licet causam* 9, *de Probat.*). Et hoc verum est etsi « mille essent ejusmodi testes singulares : quia mille tantum « probarent quantum unus; imo minus quam unus : unus « enim si solus esset, et impedimento non laboraret, probaret « saltem semi-plene : cum aliis adjunctus, ob dictorum re- « pugnantiam, suspectus redditur.

« Testes *secundi generis*, diversam vim habent in crimina- « libus, et in civilibus : in prioribus plerumque ad pœnam or- « dinariam infligendam non sufficiunt, sed ad purgationem « canonicam solum indicendam : in posterioribus vero ali- « quando probant semi-plene, ita ut locus fiat juramento sup- « pletorio; aliquando etiam plene...

« Denique testes *tertii generis*, etsi magnam præsumptio- « nem, et plusquam semi-plenam probationem faciant, plene

« tamen non probant ; prout patet ex capite *Bonæ* 23, et capite « *Cum dilectus* 32, *de Elect.* »

Quæstio 5ª. — *Quam vim probandi habeant testes sibi ipsis contrarii ?* — Duplex distinguenda contrarietas : testium ad invicem, et testis cum seipso.

I. *Casus contrarietatis testium ad invicem.* — Si quod affirmant aliqui testes, negent alii, attendendum est an testes sic ad invicem contrarii producti sint ab eodem, an a diversis.

*Si prius*, debet judex numerum et qualitatem testium perpendere. In causis tamen criminalibus, cum requirantur probationes clarissimæ, eliditur testimonium deponentium contra Reum, si alii, etsi numero pauciores, contrarium deponant. « Non potest autem negari (ait Schmalzgrueber, in tit. 20, « libri 2 decret., n. 107), quod si tres deponant de crimine, « duo autem omni exceptione majores pro Reo, priorum testi- « monium debilitetur. »

*Si posterius*, id est, si ab actore seu promotore fiscali producti sint qui affirmant, et a Reo qui negant, et quidem æquali numero, debet judex, cæteris paribus, credere deponentibus in favorem Rei ; quia nempe istius causa est de jure favorabilior (capite *Ex litteris* 3, *de Probat.*). Ea tamen regula exceptionem patitur quoad causas *specialiter favorabiles*, uti sunt causæ matrimonii, dotis, libertatis Ecclesiæ, pauperum, etc.

II. *Casus testis sibi ipsi contrarii.* — Vel sibi contradicit testis antequam recedat a judice, vel postea. *Si prius*, standum est posteriori testis depositioni ; quia quod in contrarium dixit censendum est ipsi ex inadvertentia excidisse, cum illud statim corrigat. *Si posterius*, subdistinguendum est : vel enim depositioni suæ contradicit *in judicio*, cum nempe ad judicem (notabili interjecto intervallo) redit, vel *extra judicium*.

Si *extra judicium*, adhibenda potius est fides depositioni testis in judicio prolatæ.

Si *in judicio* priorem suam depositionem mutet, videndum

an probabilem hujus mutationis seu erroris sui causam assignet. (Vide de his Schmalzgrueber, in tit. 20, libri 2 decret., n. 107.) Ex vitio autem hujusmodi contrarietatis multum debilitatur vis testimonii, et propter ipsam potest semper contra testem excipi.

Quæstio 6ª. — *Quotuplicis generis exceptiones contra testes opponi valeant, et quid agere debeat judex quando opponuntur?* — 1° Excipi potest contra *personas* testium; quod fit affirmando talem testem esse de numero eorum qui ad ferendum testimonium de jure sunt inhabiles.

2° Excipi potest contra *examen* testium; opponendo nempe ipsos examinatos fuisse, ante præstitum de dicenda veritate juramentum; eosdem simul, non autem secreto et unus post alium, deposuisse; eos receptos fuisse post dilationes ad probandum concessas; et alia istiusmodi vitia in examinandis testibus commissa.

3° Excipi potest contra *dicta* testium, nempe : « *Primo,* « quod testis deponens non reddiderit rationem sui dicti « idoneam : *secundo,* quod vacillet et variet; *tertio,* quod « dubitative, vel obscure et confuse testimonium dixerit : « *quarto,* quod dicta illius vel illorum inter se sint contraria « vel diversa; *quinto,* quod deponant sub eadem verborum « forma; quia præmeditatum sermonem afferre videntur; « *sexto,* quod depositio illorum sit negativa, non coarctata ad « locum et tempus, licet facile sit coarctabilis; nam testis ita « deponens suspectus est de falsitate; *septimo,* quod contra- « rietur confessioni partis eum producentis; *octavo,* quod non « habeat scientiam rei, sed deponat tantum de credulitate, « vel de auditu alieno, eosque authores habeat quibus, si ipsi « deponerent, non crederetur; *nono,* quod deponat et dicat « inverisimilia, quæ vel ita se habere, vel testis scire moraliter « vix potest; verbi gratia, si homicidium in tenebris factum « sit, et testis dicat quod ex visu homicidam optime noverit; « *decimo,* quod testis sit nimis verbosus, et deponat extra arti- « culum...; *undecimo,* quod sit testis singularis; *duodecimo,*

« quod se referat ad depositionem invalidam; *decimotertio,* « quod in uno articulo deposuerit falsum; *decimoquarto,* quod « deposuerit in scriptis, etc. » (Schmalzgrueber, in tit. 20, « libri 2 decret., n. 134.)

4° Exceptiones contra testes propositæ, *ordinarie* non impediunt eorum receptionem et examen; sed potest judex quæstionem de ejusmodi exceptionibus ad fidem litis reservare. Ita tenent communiter canonistæ, qui adducunt in probationem authenticam *si testis* (*de Testibus*) Justinianei Codicis. « Ratio est, ait Schmalzgrueber (in tit. 20, l. 2 decr., « n. 136), quia fortasse in progressu litis patebit quod judex « etiam sine eorum testium, de quorum inhabilitate opponi- « tur, depositionibus, ex aliis probationibus sententiam ferre « possit; adeoque frustra disputaretur de habilitate illorum « testium. »

Diximus *Ordinarie :* Nam ea regula generalis locum non habet in sequentibus casibus : *primo,* si testi objiciatur defectus notorius, vel defectus qui incontinenti probari potest; constat capite *Ex parte* (7, tituli 20, libri 2 decret.); *secundo,* si objiciatur testem esse capitalem inimicum illius adversus quem producitur; talis siquidem testis audiri non debet antequam de inimicitia judicetur; constat ex authentica *si testis* (c. *de Testibus,* § *Si vero*); *tertio,* si objiciatur testem esse excommunicatum; constat ex capite *Pia* (2, *de Exceptionibus,* in 6). Extra hos casus, ut communiter doctores notant, in arbitrio judicis est, an exceptiones contra testes oppositas reservare velit in finem litis vel non.

Quæstio 7ª. — *Quæ sit norma tenenda quoad reprobationem testium.* — Reprobare testes, nihil aliud est quam per exceptiones eos a testimonio ferendo repellere, vel eorum testimonium elidere. Testes quos Actor vel Reus ad probandas suas assertiones adducit, vocantur *probatorii.* Si contra hos excipiatur, et ad probandam exceptionis legitimitatem alii testes adducantur, hi *reprobatorii* nuncupantur. Si vero contra *reprobatorios* ipsos excipiatur, novi testes ad probandam hanc

exceptionem adducti *reprobatoriorum reprobatorii* vocari solent. Quo prænotato, quæritur.

1. *Quousque licitum sit reprobare testes?* — Id definivit Honorius III his verbis : « Mandamus, quatenus recipiatis testes « quos contra personas productorum super principali negotio « partes duxerint producendos : quos si rursus pars altera « vel utraque voluerit reprobare, contra illos probationes « admittere procuretis; ita quod ultra non liceat partibus ad « probationem testium aspirare : ne si producendi quartos « contra tertios, et sic deinceps, partibus licentia tribuatur, « negotium diutius protelari contingat » (caput 49, tituli 20, libri 2 decret.). Unde licet quidem reprobare testes *probatorios,* et insuper *probatoriorum reprobatorios;* non autem *reprobatoriorum reprobatorios.*

2. *Quis sit modus servandus in reprobatione testium?* — 1° Pars quæ vult reprobare testes probatorios debet specifice exprimere, tum crimina seu defectus quos ipsis opponit, tum nomina eorumdem, tum etiam nomina testium per quos intendit has exceptiones probare. Debet igitur positionem facere in hunc modum : « Intendo probare talem testem esse perju- « rum; quia in tali causa falsum deposuisse convictus fuit; et « hoc probare volo per testes N... et N... » Esse ita observandum ab eo qui vult reprobare testes probatorios, concludunt auctores ex capite *Præsentium* (2, tituli 10, libri 2, in 6).

2° Qui autem vult reprobare probatoriorum reprobatorios, debet insuper antea juramentum *malitiæ* præstare; id est, jurare se ad hanc reprobationem non procedere malitiose, seu ad retardandam causæ expeditionem. Constat ex modo citata decretali *Præsentium,* in fine. Ast ejusmodi juramentum, in curiis etiam ecclesiasticis, obsolevit.

III. *An possit quis reprobare testes a se productos?* — 1° Est regula generaliter admissa, non posse eum tales testes tanquam inhabiles reprobare. 2° Duos tamen ab hac regula excipiendos esse casus ait Schmalzgrueber (in tit. 20, libri 2 decret., n. 140) : *Primo,* si causa reprobandi de novo exurgat,

aut noviter innotescat : « *Secundo*, si producens videat quod « testes a se producti contradicant sibi ipsis, aut quod depo- « nant pro adversario. » Hanc tamen posteriorem a regula generali exceptionem, quam non probat laudatus auctor, vix admittendam existimarem; quia scilicet ipsam regulam subvertit.

## CAPUT III.

### DE INSTRUMENTIS.

Quæstio 1ª. — *Quid sit instrumentum et quotuplex?* — 1. Instrumentum, in sensu juris, definiri solet : *Scriptura ad probationem alicujus rei facta.* In qua tradenda notione concordant doctores (vide Schmalzgrueber, in tit. 22, lib. 2 decret., initio).

2. Dividitur in *publicum* et *privatum*. Instrumentum publicum dicitur quod publica auctoritate factum atque firmatum est. Privatum vero, quo hac conditione caret. Publicum duplex est : *protocollum*, quod est summaria quædam actus gesti annotatio, ex qua postea instrumentum in solemnem formam redigitur ; unde etiam *imbreviatura* dicitur : et *transumptum*, quod est ipsummet instrumentum originale, ex protocollo desumptum, in quo plene et cum debitis solemnitatibus res gesta exponitur. Quando fit aliqua transumpti transcriptio, hæc *copia* nuncupari solet.

Instrumentum vero privatum subdividitur in *authenticum* et *non-authenticum*.

Quæstio 2ª. — *Quid in instrumento publico requiratur, ex parte conficientis et ex parte formæ?* — Ex parte conficientis, requiritur ut is sit notarius, seu actuarius aut cancellarius. Quid autem sint notarii et cancellarii, et quomodo creari debeant, necnon cæteras quoad ipsos et relative ad forum ecclesiasticum notiones, habes infra (sub 2ª Tractatus parte). Unde hic adnotabimus tantum quæ circa instrumenti publici formam observari solent aut debent.

1° Scribendum est in carta munda, ne alioquin suspectum reddatur; 2° omittendæ sunt litterarum abbreviationes ac voces ambiguæ, suntque scribendi numeri integris vocabulis, non zifferis; 3° in proloquio præmittenda invocatio divini nominis, verbi gratia : *In nomine Domini amen;* vel *in nomine S. S. et individuæ Trinitatis;* 4° exprimenda tempus et locus; 5° factum integre et fideliter describendum; 6° inserenda nomina testium : non tamen necesse est, nisi in casibus a jure expressis, ut hi subscribant; sed satis est in eorum præsentia instrumentum confici; 7° subscribere debet notarius suum nomen et cognomen, soletque sigillum suum apponere.

An autem multæ ex hujusmodi solemnitatibus ad formam substantialem instrumenti publici pertineant, plurimum pendet a locorum consuetudine. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 22, libri 2 decret., n. 15.)

Quæstio 3ª. — *Quantum probent instrumenta publica.* — 1° Originale transumptum, confectum a notario in forma debita, per se solum facit plenam fidem de eo quod dispositive continet, donec probetur contrarium. Estque regula hæc tanquam certa a doctoribus admissa.

Diximus de eo quod *dispositive* continet. Nam plenam fidem non facit quoad ea quæ *enuntiative* seu *narrative* et *incidenter* ponuntur.

Diximus *donec contrarium probetur*. Potest enim a personis etiam publicis fraus aut error committi. Si ergo fraus commissa sufficienter probetur, fides instrumenti cessabit.

2° Etiam protocollum plenam fidem facere, est communior doctorum sententia. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 22, libri 2 decret., n. 24.)

3° Copiæ ex originali transcriptæ, manu et auctoritate privata, fidem non faciunt.

4° Copiæ transcriptæ ab eodem notario qui fecit originale, fidem faciunt, etiamsi factæ non fuerint authoritate judicis.

5° Copiæ factæ a notario qui originale non fecit, fidem fa-

ciunt, si cum solemnitatibus a jure requisitis exarentur. Inter quas solemnitates est ut interveniat judicis authoritas : cæteras ejusmodi solemnitates, vide apud Schmalzgrueber (loco cit., n. 31). Si vero dictæ copiæ absque iis solemnitatibus conficiantur, fidem regulariter non faciunt.

Quæstio 4ª. — *Quantum probent instrumenta privata.* — Instrumentum *privatum* dicitur quod, vel a persona non publica, vel sine debitis solemnitatibus, confectum est. Est autem, vel *authenticum*, vel authenticitate destitutum. Privatum *authenticum* describi solet, *scriptura, privata quidem, testium tamen subscriptione aut sigillo, eoque recognito aut approbato, aut alio legitimo modo munita.* Quibus conditionibus si careat instrumentum privatum, pro *non-authentico* habetur.

Plures sunt instrumentorum privatorum *authenticorum* species. « Nam pro talibus habentur : 1° acta publica et judicialia ; « 2° scripturæ ex archivio publico desumptæ ; 3° scripturæ a « privatis quidem confectæ, sed publico vel authentico sigillo « Episcopi..., universitatis, vel alterius communitatis jus sigilli « habentis munitæ ; 4° scripturæ privati manu conscriptæ, sed « trium et aliquando duorum testium adhuc viventium et « suam manum recognoscentium subscriptione corroboratæ ; « 5° matriculæ et libri censuales ; 6° libri officialium publico- « rum ; parochiales baptizatorum, nuptorum, defunctorum ; « libri collegiorum ; 7° denique omnes illæ scripturæ quæ « secundum morem regionis confectæ vim authenticarum obti- « nuerunt apud omnes a longo usu et tempore. » (Schmalzgrueber, in tit. 22, libri 2 decretalium, n. 36.) His prænotatis,

I. Ad quæstionem, *quantum probent instrumenta privata authentica,* respondetur :

1° Acta judicialia debito modo confecta faciunt fidem plenam. Ita communiter doctores. (Vide Schmalzgrueber, loco citato, n. 37.)

2° Scripturæ ex archivio publico depromptæ faciunt pariter plenam fidem. Jus autem archivii publici competit tantum

Prælatis majoribus; Episcopis nempe et horum superioribus. (Schmalzgrueber, loco citato, n. 40.)

3° Idem dicendum de scriptura privata, publico sigillo munita, modo simul requisitis a loci consuetudine satisfaciat. Si autem habeat tantum sigillum personæ privatæ, probabit solum contra hanc personam, si dictum sigillum pro suo agnoscat.

4° Item plenam fidem faciunt libri officialium publicorum, quoad ea quæ ad illorum officium pertinent. Et sic, verbi gratia, matrimonium plene probatur celebratum fuisse, si id consignatum a parocho vel alio ad id deputato reperiatur in libro matrimoniorum.

5° Libri ecclesiarum et monasteriorum, quæ jus publici archivii non habent, fidem faciunt contra illas ecclesias et monasteria, quia ipsorum confessioni æquivalent; non autem contra alios.

6° Possunt certa instrumenta privata, quæ alias de jure communi *authenticorum* vim non haberent, eam vim per consuetudinem regionis acquirere. Constat ex capite *Cum dilectus* (9, *de Fide instrumentorum*).

II. Ad quæstionem, *quantum probent instrumenta privata non authentica* (verbi gratia, cautiones parti a parte datæ, rationes et registra privatorum, epistolæ seu litteræ missivæ), respondetur : *Regulariter* probant contra scribentem qui scripturam pro sua agnoscit; non autem in favorem scribentis. Dicimus *regulariter :* multi enim casus ab hac generali regula excipiuntur, quos vide apud Schmalzgrueber (in tit. 22, libri 2 decretalium, n. 55).

Quæsrio 5ª. — *Quomodo impugnari possint instrumenta?* — Contra instrumenta excipi potest multiplici modo, nempe : *primo*, ratione *causæ efficientis;* quod scilicet conficiens instrumentum non fuerit notarius; *secundo*, ratione *causæ materialis;* quod scilicet super tali negotio non potuerit legitime instrumentum confici; *tertio*, ratione *causæ formalis;* quod scilicet non habeat formam seu solemnitates requisitas; *quarto*, ra-

tione *ipsius instrumenti;* quod nempe sit falsum aut suspectum de falsitate.

Quæstio 6ª. — *Quotuplici modo probari possit instrumenti falsitas?* — 1° Ex contrarietate contentorum in instrumento; 2° ex sigillo; 3° ex rasura vel cancellatione; 4° ex testibus contra instrumentum deponentibus; 5° ex variis conjecturis. De quibus singulis nonnulla sunt breviter annotanda.

1. Quoad impugnationem instrumenti *ex contrarietate,* distinguendum est : vel enim unum idemque instrumentum repugnantia complectitur, vel contra unum instrumentum aliud ipsi contrarium producitur. *Si prius,* et repugnantia conciliari non possit, instrumentum rejici debet, cum contraria simul vera esse non possint. Si *posterius,* et conciliari duo instrumenta contraria nequeant, subdistinguendum : vel enim producuntur ambo ab eodem litigante, vel unum ab Actore et alterum a Reo : in *posteriori casu* standum dignori et verisimiliori : in *priori casu*, neutri instrumento habenda fides. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 22, libri 2 decretalium, n. 96 et 97.)

2. Quoad impugnationem instrumenti *ex sigillo*, desumi solet, ex eo quod sigillum, sit ignotum; ex eo quod sit fractum; ex eo quod carta ipsa recentius; et similibus sigilli defectibus; quorum vis prudentiæ et æstimationi judicis est relinquenda.

3. Quoad impugnationem ex *rasura* vel *litura*. 1° Certum est *regulariter* vitiari et suspectum de falsitate reddi instrumentum, si rasura, cancellatio seu correctio facta sit in loco *substantiali,* puta in data, nomine judicis, Actoris, Rei, loci, etc. Constat capite *Inter* (6, *de Fide instrumentorum*), et capite *Cum venerabilis* (7, *de Relig. dom.*). Dicitur *regulariter :* excipitur enim, si notarius ipse mentionem de rasura in ipso instrumento faciat, et alii nonnulli casus (quos vide apud Schmalzgrueber, loco cit., n. 102). 2° Si rasura facta sit in loco *non substantiali,* communius tenent doctores instrumentum ex ea non vitiari; prout indicat caput *Ex litteris* (3, *de Fide instrumentorum*).

4. Quoad impugnationem instrumenti *per testes,* distinguendum : vel testes qui impugnant sunt ipsimet testes adscripti instrumento (qui scilicet negant se illius confectioni interfuisse, vel dicunt instrumentum aliter fuisse conscriptum), vel extranei. *Si prius,* vim amittit instrumentum; quod procedit etiamsi unus tantum ex dictis testibus ita asserat, si non fuit adhibitus nisi omnino necessarius numerus testium. *Si posterius,* id est, si testes sint alii ac instrumento adscripti, adhuc per horum testimonium reprobari potest instrumentum : sed inter doctores controvertitur de requisito tunc eorum numero. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 22, libri 2 decretalium, n. 106.)

5. Ex variis insuper indiciis impugnari potest instrumentum : exempli gratia, si carta antiqua sit, scriptura autem quoad modum scribendi videatur recentior; si instrumentum alia manu scriptum, alia suscriptum; vel diverso atramento, et his similia; quæ prudenti judicis æstimationi relinquuntur.

*Nota.* Si instrumentum in aliqua parte falsum probetur, an ideo totum corruat? — Alii affirmant, negant alii, et plures distinguunt; ita scilicet ut affirment si capitula sint connexa, negent si sint disparata. (Vide Schmalzgrueber, citato loco, n. 113.)

## CAPUT IV.

### DE PRÆSUMPTIONIBUS.

QUÆSTIO 1ª. — *Quid et quotuplex sit præsumptio, et quomodo differat ab indicio et a fictione juris?* — I. « Præsumptio est con-« jectura seu judicium ex aliquo signo vel indicio orta, et « probationis loco allegata, aut a judice assumpta ad adstruen-« dam rei dubiæ fidem » (Schmalzgrueber, in titulum 23, libri 2 decretalium, n. 1); et ita quoad sensum doctores communiter.

II. « Indicium est notabile signum alicujus delicti vel alte-« rius rei de qua dubitatur, ad veritatem cognoscendam inser-« viens. » (Schmalzgrueber, loco citato.) Dividitur indicium 1° in *semi-plenum* seu dubitativum, et *plenum* seu indubitativum : prius est quod ad producendum opinionem probabilem, posterius ad determinandum plenum assensum aptum est. 2° In *proximum* et *remotum*. 3° In *leve, grave,* et *gravissimum* seu *indubitatum*. Indicium leve aliquam suspicionem gignit : grave, plusquam suspicionem, non tamen certitudinem : gravissimum, moralem certitudinem. Ex qua notione patet indicium non esse ipsammet præsumptionem, sed fundamentum quo hæc niti solet.

III. « Fictio juris est indubitatæ falsitatis assumptio ex « justa causa, ad inducendum aliquem effectum juris, æquitati « naturali non repugnantem. » (Schmalzgrueber, in tit. 23, libri 2 decret., n. 3.) Sic jus fingit esse natum qui adhuc existit in utero, quando agitur de illius commodo : fingit patrem et filium esse unam personam, cum sint duæ : canonicum qui in studiis est, esse præsentem, cum sit absens : religiosum quoad potestatem exercendi certos actus civiles esse mortuum, cum vere vivat, etc. Ex qua notione satis patet differre præsumptionem a fictione juris.

IV. Distingui solet præsumptio in præsumptionem *hominis*, et præsumptionem *juris*. Prior est conjectura nullo jure expressa aut firmata, sed quam concipit homo, ex facti qualitate et circumstantiis aliquid conjiciendo et assumendo pro vero, donec aliud demonstretur ac doceatur. Posterior, quæ legibus est expressa; id est, quando suppositis certis circumstantiis, lex vel canon aliquid conjicit.

Præsumptio juris iterum dividitur, in præsumptionem *juris tantum*, et in præsumptionem *juris et de jure*. Prior adest quando lex aliquid præsumit et pro vero habet, donec in contrarium probatio vel fortior præsumptio afferatur. Posterior, quando lex ita aliquid præsumit et pro vero vult haberi, ut regulariter probationem in contrarium non admittat. Ut au-

tem adsit præsumptio *juris et de jure*, necesse non est ut lex expresse dicat, non esse admittendam probationem in contrarium; sed sufficit ut dicat præsumptionem esse *violentam* seu *vehementem;* imo, ut volunt aliqui, sufficit dici in lege præsumptionem *plene probare*.

Exempla utriusque præsumptionis passim occurrunt in libris decretalium. Est, verbi gratia, præsumptio *juris tantum*, qua præsumitur baptizatus, qui inter christianos natus est atque educatus, prout habetur capite ultimo tituli 43 *de Presbytero non baptizato*, libri 3 decretalium. Item qua præsumitur legitimus, qui natus est ex uxore, cum qua maritus cohabitavit, prout habetur lege *Filium* (6, ff. *de His qui sui vel alieni juris*).

Præsumptio *juris et de jure* est, qua mulier per annum cum dimidio cohabitans viro, cui coacta nupserat, præsumitur in illud libere consensisse; etenim adhærere ipsi tenetur, nec admittitur postea ad probandam violentiam; perinde ac si ab initio libere consensisset; prout habetur capite *Ad id* (21, *de Sponsalibus*).

Quæstio 2ª. — *Quinam sint effectus præsumptionis, tum juris, tum juris et de jure?* — I. Præsumptio *juris tantum*, cum pro quo stat liberat a probandi onere, idque onus transfert in adversarium; et nisi is contrarium probet, debet proferri sententia (in civilibus saltem) juxta juris præsumptionem.

II. Effectus præsumptionis *juris et de jure* sunt : *primo*, ut *regulariter* probationem in contrarium non admittat; *secundo*, ut excludat appellationem : ubi enim non admittitur probatio in contrarium, frustra appelleretur; *tertio*, non admittit juramentum ejus contra quem stat; *quarto*, juxta eam proferri debet sententia.

III. Diximus contra præsumptionem juris et de jure *regulariter* non admitti probationem : nam admittitur in certis casibus, nempe :

1° Admittitur probatio *indirecta;* qua nempe probatur dumtaxat non adesse, quæ allegatur, juris et de jure præsumptionem.

2° Etiamsi adsit certo præsumptio *juris et de jure*, impugnari potest per *notorium*, seu per evidentiam facti contrarii. Unde vim suam amittit ipsa etiam præsumptio *juris et de jure*, quando contra eam stat *notorietas*, id est, quando contrarium constat ex notorietate publica.

3° Item quando is pro quo stat ejusmodi præsumptio contrarium fatetur.

4° Quando per sufficientem numerum testium contrarium probatur, sed quisnam tunc requiratur testium numerus, non concordant doctores.

5° Quando opponi potest instrumentum publicum.

6° Tandem contra præsumptionem *juris et de jure* admittitur probatio, si is pro quo stat dicta præsumptio, in id consentiat, id est, oppositionem non faciat.

Pro quibus omnibus exceptionibus, vide Schmalzgrueber (in tit. 23, libri 2 decret., n. 12).

Quæstio 3ª. — *An in causa criminali ex nudis præsumptionibus sententia ferri et Reus condemnari possit?* — Circa gravissimam eam quæstionem triplex existit doctorum sententia.

I. *Exponitur sententia negans.* — Sententia hæc contendit Reum non posse condemnari ob præsumptiones, quantumvis violentæ illæ sint; sed esse absolvendum hoc ipso quod nulla contra ipsum reperiatur proprie dicta probatio. Doctores autem qui eam sustinent (inter quos Pirrhing et Engel), nituntur his rationibus : 1° Canone *Nos* (1, causæ 2, q. 1), ubi ex sancto Augustino sic habetur : *Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum aut sponte confessum.* 2° Capite *Litteras* (14, *de Præsumptionibus*), ubi Innocentius III de quodam Reo, contra quem vehemens extabat criminis hæreseos suspicio, sic decernit : *Propter solam suspicionem, quamvis vehementem, nolumus illum de tam gravi crimine condemnari.* 3° Lege *Absentem* (5, ff. *de Pœnis*), in qua sic statuitur : *Sed nec suspicionibus debere aliquem damnari divus Trajanus Assiduo Severo rescripsit; satiusque esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari.* 4° Lege *Qui sententiam* (16, c. *de*

*Pœnis*), ubi aperte habetur ad pœnalem sententiam non esse deveniendum, nisi Reus fuerit confessus, vel probationibus clarissimis convictus. 5° Lege ultima tituli *de Probationibus* Justinianei codicis, ubi ad ferendam sententiam condemnatoriam in criminalibus requiruntur probationes indubitatæ, et luce meridiana clariores. 6° Hac ratione : quod præsumptiones quantumvis vehementes sint, hoc ipso quod non sint probationes proprie dictæ, omnino certum non faciunt Reum deliquisse; unde si condemnetur, absolute accidere posse ut injusta sit condemnatio; quo stante periculo, ex ipso jure naturali prohiberi ne condemnatio pronuntietur.

II. *Exponitur sententia affirmans.* — Hæc sustinet posse condemnari Reum ex nudis præsumptionibus, modo sint violentæ et moralem certitudinem inducant. Nititur 1° capite *Ex litteris* (12, *de Præsumptionibus*), ubi ex actibus adulterio propinquis judicatur adulter manifestus. 2° Lege ultima tituli *de Probationibus* in Justinianeo codice, ubi ad condemnationem in criminalibus statuitur sufficere etiam indicia. 3° Capite *Sicut* (1, *de Præsumptionibus*), ubi tanquam noxium habendum esse dicitur, cum qui delictum commisit, sed dicit *ludens feci;* cujus proinde *mala intentio* in patrando crimine videtur ex sola præsumptione judicari. 4° Hac ratione : quod præsumptiones quando violentæ seu vehementes sunt, probationibus æquivaleant, ac proinde eumdem effectum sortiri debeant.

III. *Exponitur tertia sententia.* — Hæc tenet puniri quidem posse Reum ex violentis præsumptionibus; non tamen pœna ordinaria, sed minori ad arbitrium judicis. Pro quo adducitur caput 10 et caput 14, *de Purgatione canonica;* necnon lex *Vim passam,* ff. *de Adult.*

IV. Stante illo doctorum dissidio, putavit Schmalzgrueber hoc modo distingui posse : 1° ob *levem* præsumptionem nemo condemnari potest etiam ad pœnam ordinaria minorem. 2° Ex præsumptione *juris et de jure* potest Reus condemnari ad pœnam etiam ordinariam; quia nempe lex in hoc casu vult præsumptionem haberi pro veritate; unde nisi talis præsumptio

modis supra expositis elidatur, debet judex juxta illam pronuntiare. 3° Si præsumptio sit *vehemens,* potest indici Reo purgatio canonica ; sed condemnari nequit. 4° Si præsumptiones sint *vehementissimæ*, ita ut ex eis oriatur moralis certitudo, condemnari potest Reus etiam ad pœnam ordinariam.

Mihi tamen vera videtur prima sententia. Nam vel præsumptiones, cujuscumque generis sint, vere probant Reum deliquisse, vel non : si prius, condemnandus est Reus ; sed tunc illæ præsumptiones non sunt tantum præsumptiones, sed vera probatio : si posterius, absolvendus omnino est Reus ; et nec ad minorem ordinaria pœnam condemnari juste potest, ne forte condemnatio hæc in innocentem cadat.

QUÆSTIO 4ª. — *Quænam tradi soleant præsumptionum regulæ?* — Maximi interest, ad recte reddendam justitiam, ut judex scite discernat an, qualis, et pro qua parte stet præsumptio. Ad quod doctores sequentes regulas, tum ex jure positivo, tum ex jure naturali depromptas, tradere solent.

REGULA 1ª. — *Si indicium tale sit, ut rarissime contingat illud stare sine re præsumpta, oritur præsumptio violenta.* — Verbi gratia, si testes deponant se vidisse aliquem solum cum sola, nudum cum nuda, in eodem lecto jacentem, oritur violentissima de adulterio præsumptio ; quia indicia hæc vix unquam accidunt quin cum dicto facinore conjungantur.

REGULA 2ª. — *Si indicium ordinarie quidem cum re præsumpta conjungatur, sed tamen identidem contingat non conjungi, præsumptio inde orta est communis, non vero violenta.* — Verbi gratia, qui homicidium patrat, præsumendus est illud fecisse animo nocendi ; quia ordinarie cum tali prava voluntate ejusmodi factum conjungitur. Identidem vero contingit ut quis hominem occidat ex casu vel mera imprudentia, et absque ulla prævia intentione : ac propterea præsumptio præmeditationis, ex facto homicidii exurgens, non est per se violenta seu vehemens.

REGULA 3ª. — *Qualis res erat, si talis manere possit, præsumitur adhuc talis esse et talis mansura, nisi probetur mutatio.* —

Verbi gratia, ubi olim fuerunt termini confinium, etiam hodie esse præsumuntur, nisi probentur mutati. Qui olim possedit, etiamnum atque ex eodem titulo possidere præsumitur, etc.

Regula 4ª. — *Qualitas quæ naturaliter inest homini, semper adesse præsumitur, donec probetur contrarium.* — Verbi gratia, naturale et ordinarium est cuilibet homini ut sit sui compos; unde donec probetur aliquem in alienationem mentis incidisse, mente sanus præsumendus est. Item clericis naturale est ut sint apti ad beneficia ecclesiastica, pro quibus nulla extraordinaria qualitas exigitur : hinc si quis beneficium impetravit, præsumitur idoneus donec contrarium probetur. At vero si requiratur qualitas extraordinaria, id est, quam clerici naturaliter et communiter non habent, verbi gratia, lauream in jure canonico vel in sacra theologia, hæc non præsumitur, sed probanda est.

Regula 5ª.— *Facta de quibus dubium, ex quo animo facta sint, in meliorem partem interpretari debemus.* — Expresse ita habetur in capite 2, tituli 41, libri 5 decretalium. Hinc in actibus ex se indifferentibus, qui nempe per se et intrinsece mali non sunt, licet tales esse possint ob pravum finem, delictum nunquam præsumitur, sed probandum est. Et sic in possidente præsumitur bona fides, donec contrarium probetur. Judicium pariter præsumitur recte factum; et generatim præsumitur de quovis officiali, quoad ea quæ spectant ad officium ejus, quod recte administraverit. Item generatim præsumptionem pro se habent causæ illæ quæ dicuntur *favorabiles;* verbi gratia, causa matrimonialis, in qua præsumitur pro valore matrimonii donec contrarium probetur; causa venditi, in qua præsumptio stat pro parte emptoris, etc.

Regula 6ª. — *Quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus.* — Satis per se patet. Nonnullas tamen regula hæc exceptiones patitur. Verbi gratia, si præsumptio bonitatis vergat in præjudicium tertii, locum non habet : et sic judex qui est cognatus vel familiaris uni ex partibus, præsumitur injuste in favorem hujus partis judicaturus, atque ex hac præsumptione ab altera

parte recusari potest. Vide alias nonnullas exceptiones apud Schmalzgrueber (in tit. 23, l. 2 decret., n. 36).

Regula 7ª. — *Ex præsumptionibus inter se pugnantibus, debilioribus fortiores prævalent.* — Quod vide evolutum apud citatum Schmalzgrueber.

## CAPUT V.

### DE JUREJURANDO.

Sæpe contingit ut litigans sufficienter intentum suum probare nequeat : quare, ne ex probationum defectu, quod suum est assequi aliquis prohibeatur, salubriter institutum est, ut juramentum, vel a parte, vel a judice deferatur alteri litiganti, sicque decidatur lis quæ aliter decidi nequit. *Omnis controversiæ finis* (ait sanctus Paulus, ad Hebr., 6, 16) *ad confirmationem est juramentum.* Et Caius jurisconsultus (lege *Maximum* 1, ff. *de Jurej.*) : *Maximum remedium expediendarum litium in usum venit jurisjurandi religio.* Hinc ne trunca remaneat de judiciis ecclesiasticis tractatio, exponendum etiam est quisnam sit et quomodo reguletur jurisjurandi in re judiciaria usus.

Quæstio 1ª. — *Quid et quotuplex sit juramentum?* — I. Definiri potest, *invocatio Dei in testimonium de veritate rei quæ asseritur.* Et ita quoad sensum theologi et jurisconsulti communiter. Differt a voto, quo non invocatur Deus in testimonium, sed Deo aliquid promittitur. Illicitum et pravum ex se esse juramentum sustinuerunt nonnulli hæretici; sed a theologis istiusmodi error invictis argumentis exploditur; et demonstratur juramenti honestas, modo verum sit quod juratur; et juretur ex necessitate vel cum utilitate, non inutiliter; et, si juramentum sit promissorium, promittatur res honesta et licita.

II. Distingui solet juramentum in varias species hoc modo :

1° *Assertorium* et *promissorium,* quorum vocabulorum sensus satis per se patet.

2° Juramentum *assertorium* duplex est : *Litis decidendæ,* et *in litem* æstimandam. Prius est illud quod præstatur a parte litigante ad finiendam litem. Posterius est quo rei alicujus, de qua in judicio controvertitur, æstimatio fit cum juramento; verbi gratia, quando quis jurat rem ablatam valere tanti.

3° Juramentum *litis decidendæ,* subdividitur in judiciale, et extrajudiciale; prout in judicio vel extra judicium, ad litem finiendam adhibetur.

4° Tandem juramentum *judiciale* litis decidendæ, iterum distinguitur, *in voluntarium,* quod ex libera partium voluntate locum habet; et in *necessarium,* quod judicis auctoritate præstandum injungitur.

Quæstio 2ª. — *Quæ sit norma juramenti extra-judicialis?* — 1° Adhibetur præcipue ab iis qui, probationibus aliis destituti, et metu expensarum, ad finem controversiæ sponte properant.

2° Potest ejusmodi juramentum deferre et suscipere quicumque potest pacisci et de re controversa libere disponere.

3° Pars cui defertur, illud recusare potest.

4° Deferri potest regulariter in omni re controversa. Datur tamen exceptio ab hac regula circa triplicem causarum speciem :

*Primo,* quoad causas matrimoniales : nam deferri quidem potest juramentum de matrimonio contrahendo : item de servando matrimonio semel inito, de cujus valore dubium intervenit; quia nempe in arbitrio partium est matrimonium ex defectu consensus invalidum, positivo consensu revalidare : sed præstari juramentum nequit non standi matrimonio; quia si valide contractum fuit, in potestate partium non est ipsum dissolvere.

*Secundo,* quoad professionem religiosam : pro qua idem dicendum ac de matrimonio.

*Tertio,* quoad causas criminales : Nam admittunt quidem

doctores posse in iis causis juramentum ab Actore deferri; et tunc prodest Reo contra personam dumtaxat Actoris; non autem contra alios, verbi gratia, contra judicem qui contra Reum ex officio procedere vellet : sed an possit Reus illud Actori deferre, controvertitur: nonnuli enim putant id Reo non licere, quia cum non sit dominus vitæ suæ et suorum membrorum, non potest juramentum Actori deferendo, sese periculo mortis aut mutilationis exponere. (Vide Schmalzgrueber, in tit. 24, libri 2 decret., n. 117.)

5° Effectus juramenti extra-judicialis est decisio causæ controversæ. Is enim qui deferente adversario juravit rem esse suam, aut se debitorem non esse, victor evadit; nec minus acquirit juris, quam si cum adversario transegisset, aut sententiam judicialem pro se obtinuisset. Ita ut si eadem causa ad judicem postea perferatur, debeat is regulariter judicare juxta id quod juratum est. Qui autem juramentum detulit, si damnum inde patiatur, debet sibi imputare; quia deferendo juramentum, consensit ut lis juxta rem juratam finiretur.

Quæstio 3ª. — *Quæ sit norma juramenti judicialis voluntarii?* — 1° Hoc nomine designatur juramentum, *quod approbante judice pars parti in judicio defert, ea lege ut si jurare ausit, absque ulteriori processu victoriam obtineat.*

2° Semel delatum ab una parte cum assensu judicis, nequit ab altera parte recusari; nisi malit illud deferenti referre.

3° An Actor qui nihil adhuc probavit possit Reo juramentum deferre? Controvertitur (vide Schmalzgrueber, in tit. 24, libri 2 decret., n. 25).

4° Si is cui juramentum defertur, absque justa causa jurare recuset, vel juramentum alteri parti referre, tanquam convictus condemnandus est. Dantur autem aliquæ justæ causæ juramentum recusandi : verbi gratia, si deferenti, vel ob fori incompetentiam, vel alia ex causa actio non competat : si is cui defertur jam plene jus suum probavit per testes, etc. (Vide

ejusmodi justas causas juramentum recusandi apud Schmalzgrueber expositas, loco cit., n. 31.)

5° Effectus autem juramenti judicialis voluntarii semel præstiti est, ut vim plenæ probationis habeat; ita ut sententia juxta id quod juratum est ferri debeat; nec possit ab ea appellari.

Quæstio 4ª. — *Quæ sit norma juramenti judicialis necessarii?* — 1° Hoc nomine vocavimus juramentum *quod judex, causa cognita, ob defectum probationis plenæ, uni ex litigantibus defert.*

2° Deferri potest tam a judice ordinario quam delegato; et non tantum ad instantiam partis, sed etiam ex officio.

3° Potest judex illud deferre sive Reo, sive Actori, prout æquius existimat; quidquid in contrarium dixerint nonnulli jurisconsulti, quorum alii soli Reo, alii soli Actori deferri posse a judice juramentum existimarunt.

Ut autem facilius discernat judex quomodo in hac re sese gerere debeat, has regulas tradit Schmalzgrueber (in tit. 24, libri 2 decret., n. 43): « *Primo,* si Actor in probatione omnino « defecit, Reus, etsi nihil præstiterit, absolvi debet, etiam « sine juramento. *Secundo,* si Actor præsumptionem pro se ha- « bet, Reo juramentum deferri potest... Probabilius autem « Actori eo casu juramentum suppletorium judex deferre ne- « quit : tum quia Rei favorabiliores potius quam actores ha- « bentur; tum vero maxime quia cum juramentum tantum se- « mi-plene probet, et Actor non semi-plenam probationem, « sed præsumptionem tantum pro se attulerit, plena probatio « per juramentum non efficeretur. *Tertio,* si Actor semi-plene « probavit intentionem suam, Reus vero nihil probavit, Actori « potius deferendum est juramentum quam Reo. Colligitur « ex § *Sane* (ultimi capitis, tituli *de Jurejurando*, libri 2 decre- « talium), ubi dicitur, quod judex, inspectis circumstantiis « causarum et personarum, Actori juramentum suppletorium « deferre possit. Nulla autem est major circumstantia, quam « cum Actor intentionem suam semi-plene probavit, Reo contra « nihil probante. *Quarto,* si semi-plena probatio allata est ab

« utroque, juramentum deferendum est Reo... *Quinto*, si Actor « plene probavit, Reus autem contrarium probavit semi-plene, « sententia fertur pro Actore, et juramentum non defertur « nec deferri potest... *Sexto,* si tam Actor quam Reus plene « probarunt intentionem, tunc iterum considerandum est an « probationes sint contrariæ, vel compossibiles. Si *compossibiles* « sint (1), probatio exceptionis enervat intentionem actoris, et « consequenter non est opus juramento suppletorio, sed sine « hoc ferenda est pro Reo sententia. Si *contrariæ* sint, exempli « gratia, quando actor mutuum a se datum Caio plene probat « per peduos testes, et Caius per alios duos testes plene pro- « bat mutuum se ab actore non accepisse, judex attendet ad « qualitatem personarum et alias circumstantias, et illi deferet « juramentum in quo major est probabilitas obtinendæ veri- « tatis. Si omnia sint paria, posset quidem judex Reum absol- « vere; si tamen juramentum deferendum putet, potius Reo « deferet, cujus melior et favorabilior est conditio. »

Quæstio 5ª. — *In quibus causis deferri a judice possit juramentum?* — I. « In supplementum probationis regulariter a « judice deferri potest in quavis causa quæ specialiter jure « non excipitur... Ratio est quia juramentum suppletorium est « de genere permissorum, ac proinde deferri potest in omni- « bus causis non exceptis. »

II. « Excipiuntur autem 1° *Causæ criminales* criminaliter in- « tentatæ. Nam in his, licet Reo ad sui purgationem juramen- « tum a judice deferri possit (capite ultimo, tituli *de Jureju- « rando,* libri 2 decret.), non tamen potest Actori deferri « juramentum suppletorium ad complendam probationem, si « tantum semi-plene probavit. Ratio est quia in criminalibus « causis criminaliter intentatis, requiruntur probationes ple- « nissimæ et quæ sint luce meridiana clariores (lege ultima, ti-

(1) Verbi gratia, si Actor plene probet se mutuum dedisse Caio, et Caius plene probet solutionem mutui a se factam. Quando nempe Reus opponit *exceptionem* petitioni Actoris, dari possunt utrinque probationes plenæ compossibiles.

« tuli *de Probat.*, in Justinianeo codice); et necesse est Reum « esse vel confessum vel convictum, ut condemnari possit (lege « *Qui sententiam* 16, c. *de Pœnis*): talis autem probatio, quæ ha- « bet ex juramento actoris supplementum suum, non potest « dici luce meridiana clarior.» (Schmalzgrueber, in tit. 24, l. 2 decret., n. 47.)

2° Excipiuntur *causæ omnes famosæ*, idest, quæ famam in discrimen adducunt; prout sunt causæ furti, injuriarum, usurarum, etc. Potest quidem in eis Reo deferri juramentum purgationis; sed juramentum suppletorium Actori deferri nequit : imo sibi delatum purgationis juramentum nequit Reus Actori referre. Quæ vide textibus juris probata apud Schmalzgrueber (citato loco, n. 49).

3° Excipiuntur *causæ civiles valde arduæ*, quæ causis criminalibus æquiparantur. Ratio est quia ob suspicionem perjurii, juramentum non faceret semi-plenam probationem.

4° Excipiuntur *causæ matrimoniales*. In his scilicet, si agatur de matrimonio dissolvendo, non defertur juramentum parti ad probandum suppletorie impedimentum dirimens; sed qui petit dissolutionem, plene impedimentum probare debet; alioquin pronuntianda sententia est pro firmitate matrimonii. Si agatur de matrimonio jam inito sustinendo, inutile est deferri juramentum suppletorium illi qui semi-plene probavit omnis impedimenti dirimentis absentiam; cum sustineri debeat matrimonium, ex hoc solo quod *plene* non probetur irritum. Si vero agatur de matrimonio contrahendo, dicit Schmalzgrueber deferri posse juramentum suppletorium illi, qui semi-plene probavit non existere impedimentum (in tit. 24, libri 2 decret., n. 51), si sit vir probitate et integritate conspicuus.

Quæstio 6ª. — *Quisnam sit effectus juramenti a judice delati?* — 1° Effectus juramenti purgatorii, est, ut Reus qui illud præstat liber censeri debeat a suspicionibus, quæ ex semi-probationibus contra ipsum prolatis ortæ fuerant. 2° Semel delato a judice suppletorio juramento, incumbit illud præstandi necessitas; ita ut recusans causa cadat, et pronuntiari

contra ipsum a judice debeat. 3° Postquam illud juramentum detulit judex, non potest id retractare et permittere ut non præstetur (ex lege *In bonæ* 3, c. *de Reb. credit.*). 4° Semel præstitum dictum juramentum, probationem imperfectam integrat; ita ut sententia ferri debeat pro eo qui juravit. 5° At vero sententia hæc, *ob nova reperta documenta,* potest quocumque tempore, ac proinde elapso etiam ad appellendum termino, retractari ac rescindi, etiam ab eodem judice, prout disponitur lege *Admonendi* (31, ff. *de Jurejurando*).

QUÆSTIO 7ª.—*Quænam sit norma juramenti in litem?* (Remissive).—1° Jurare in litem, ut supra indicavimus, nihil aliud est quam asserere cum juramento rem, de qua agitur in judicio, valere tanti; verbi gratia, rei ablatæ valorem esse tot scutatorum. Æstimatur autem res, non tantum in seipsa, sed etiam ratione affectionis erga eam, et ratione utilitatis quam afferebat.

2° Quæ dicta sunt de juramento *litis decidendæ*, non sunt omnino juramento *in litem* applicabilia. Quas differentias vide expositas apud Schmalzgrueber (in tit. 24, libri 2 decret., n. 59 et seq.).

*Nota* 1. — De juramento *promissorio* multæ moventur quæstiones a canonistis, ubi titulum 24 libri secundi decretalium commentariis illustrant. Sed et eam materiam suam faciunt theologi moralistæ. Unde, cum ad rem judiciariam directe non pertineat, illam hic loci prætermittendam duximus. Noscenda autem est judici ecclesiastico theologorum hac de re doctrina, ut cum a litigantibus allegabitur aliquod emissum juramentum promissorium, sciat quid inde juris oriatur, et quænam sit ferenda sententia.

*Nota* 2. — De probatione *ex confessione* Rei, spontanee in judicio facta, non est cur in particulari disseramus. Patet enim illam esse plenam; imo et reginam probationum eam jurisconsulti vocare solent.

## CONCLUSIO

### TOTIUS PRIORIS PARTIS TRACTATUS.

Non miretur lector claudi jam institutam *de Judicis in genere* disceptationem, et reliquas, quæ ad idem argumentum referuntur, quæstiones ad secundam tractatus partem rejici. Has enim si voluissemus quoad omnia generatim judicia ecclesiastica primum evolvere, debuissemus postea, de variis in particulari judiciorum speciebus disserendo, aliqua ex parte revocare. Ut ergo brevitati consuleretur, visum est generalem de hujusmodi quæstionibus, quæ hic omittuntur, notionem ad ea posterioris partitionis loca remittere, ubi de iisdem quoad aliquam judiciorum ecclesiasticorum speciem dicendi occurret necessitas.

Quoad traditam vero huc usque doctrinam, non unius forte lectoris mentem, subibit cogitatio, minus cauto calamo commotas a me fuisse arduas quasdam quæstiones, quæ pro præsentium temporum ratione nonnullis offensioni esse possint : imprimis nempe ubi proprium sæcularis et ecclesiastici fori objectum determinavimus. Id tamen si forte quis mihi crimini vertendum existimet, perpendat, oro, num ipse scriptorum, qui hac nostra ætate de jure sacro tractant, partes atque officium minus recte intelligat. Etsi enim eos qui rei præsunt ecclesiasticæ, quandoque deceat, attentata contra Romani Pontificis cæterorumque præsulum jus, prudenter dissimulare, imo et de hoc jure plura libenter (salva tamen catholici dogmatis essentia) remittere ; atvero privato scriptori nequaquam licet idem jus truncum mutilumque, etiam silendo, exhibere ; sed vel a tradenda hacce disciplina abstineat, vel pernotæ sibi veritati testimonium fideliter reddat. Quod, cum omni tempore ipsius officium sit, tunc vero vel maxime quando errores oppositi audacter sparguntur, et a viris etiam qui

se omnino profitentur catholicos, dictis et scriptis quotidie propugnantur. Ecquid tandem libertatis in scribendo remanebit, si privatus in privato scripto auctor id hodie proferre nequeat, quod communi voce doctores catholici constanter tradidere, in quo et genuinæ doctrinæ puritatem vel illi agnoscunt, qui de ea silentium expostulant? Dum effrænis ubique locorum erronea scribendi libertas, quid tanti periculi imminere somniatur, si quis privato nomine quam sinceram reputat doctrinam catholicam, in medium proferre audeat? Non prudentiæ is metus est, sed qui malesanam potius sapiat, tum de re ipsa catholica, tum de hodiernorum etiam temporum ratione æstimationem. Atque utinam multos, qui se istiusmodi prudentiæ prætextu et larva involvunt, proditores Ecclesia non esset toties experta!

# PARS II.

## DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS IN SPECIE.

Prout initio tractatus monuimus, constat posterior hæc pars sectionibus sex, videlicet : 1° de curia Romana; 2° de curia Episcopali recte intelligenda et ordinanda; 3° de processu criminali ordinario; 4° de processu criminali extraordinario; 5° de processu civili ecclesiastico; 6° generali formulario.

# SECTIO I.

### De Curia Romana (remissive).

Initio tractatus jam monuimus, hic mentionem dumtaxat de ea materia fieri, ne totius rei judiciariæ conspectus truncaretur: cæterum exigere argumenti gravitatem, ut speciali tractatu evolvatur; quem et mox (Deo bene juvante) in lucem edemus.

# SECTIO II.

## De Curia Episcopali recte intelligenda et ordinanda.

Præmissis in superiori parte notionibus, quæ omnia generatim ecclesiastica judicia respiciunt, nunc ad particularia gressus faciendus : exponenda scilicet omnino determinata administrandæ justitiæ norma, quam leges ecclesiasticæ sanxerunt. Et quoniam, ut supra monuimus, jurisdicundi formam Romani Pontificis tribunalibus et judicibus propriam, necnon eam qua utuntur religiosi ordines, ad alios tractatus remisimus expendendam, superest ut de recte exercenda ab Episcopis (1) judiciaria potestate juris sacri præscripta pandamus. Gravissimum profecto argumentum, utpote (ex recentiorum præsertim temporum circumstantiis) multis, iisque non levibus difficultatibus, fœtum! Ad quod enucleandum in primis necesse est prænovisse, quid sit et qua forma legitime constitui possit aut debeat *episcopalis curia,* id est tribunal seu tribunalium collectio, in quibus ab ipso Episcopo, vel ipsius nomine, justitia redditur. Eam autem de episcopali curia notionem sub hac sectione tradendam suscipimus.

### CAPUT I.

#### DE VARIIS EPISCOPALIUM CURIARUM FORMIS, AB EXORDIO ECCLESIÆ USQUE NUNC, SYNOPSIS HISTORICA.

I. — *De ipsa voce curiæ.* — Triplici sensu ea vox usurpari solet : 1° minus stricte, ad designandam collectionem earum

(1) Episcoporum nomine, Metropolitas etiam, nec non Primates et Patriarchas hic comprehendimus.

personarum, quæ res ecclesiasticas, politicasve, ac judiciarias regunt et administrant. 2° Strictiori sensu ad designandam collectionem earum personarum, penes quas residet rei judiciariæ administrandæ potestas. 3° Ad significandam etiam dictarum personarum residentiam, idest, locum in quo id officii explere solent. Nos hic vocem illam in secundo sensu, strictiori nempe, intelligimus, et usurpamus. Dicitur autem *curia* a voce *curare*, eo quod dictæ personæ præfatas res curent, seu earum curam gerant.

Quando autem vox curia in supra exposito strictiori sensu usurpatur, contradistinguitur ab *aula*. Nam aula dicitur de earum personarum collectione, quæ cum principe et sub principe rem politicam administrant, jurisdictionemque voluntariam exercent, vel saltem cum principe ad præstandum ei honorem et obsequium versantur; quæ personæ vocantur *aulici*. Vox autem curia, quatenus ab aula distinguitur, eas duntaxat personas indicat, quæ expediendæ rei judiciariæ incumbunt.

In italico idiomate duo pariter occurrunt vocabula *corte* et *curia*, quæ latinis *aulæ* et *curiæ* exacte correspondent. (Vide Cardinalem de Luca, *Il Dottore volgare*, lib. 15, cap. 1, n. 1.) Lingua vero gallica, magis egena, unicam vocem *la cour*, tum pro aula, tum pro forensi curia usurpare cogitur, et vocabulum *courtisans* (aulici), ad pravum sensum detractum, nil aliud jam quam adulatores designat.

In præsenti ergo capite, dum inquirimus de antiquis episcopalis curiæ formis, indagare intendimus, quomodo constituta fuerit personarum collectio, quæ cum Episcopo, vel ipsius auctoritate et nomine, juri dicundo incumbebant, seu, quod idem est, quomodo Episcopi tribunal vel tribunalium collectio, ordinata fuerint.

II. — *Forma episcopalis curiæ per quinque priora sæcula.* — Qui antiquitatis monumenta pervolverit, duo reperiet omnino certa: 1° Presbyterium, seu (quod idem est) cathedrale capitulum, de facto et de jure fuisse consilium Episcopi; et

debuisse Episcopum, sicut in expediendis aliis arduis negotiis, ita et in administranda justitia, seu exercenda jurisdictione contentiosa, hocce consilio uti; 2° jam longe ante sæculum sextum, Vicarii generalis Episcopi munus in qualibet diœcesi Archidiaconum obiisse; idque non ex mera delegatione, sed vi officii sui, et ita ut jam tum officium illud fuerit perpetuum, a quo scilicet Archidiaconus absque justa causa dejici nequiret.

1° Quod consueverint et debuerint Episcopi, in cognoscendis et judicandis causis, cleri sui cathedralis præsentia et consilio uti, satis ostendimus in tractatu nostro *de Capitulis;* ubi inter alia adduximus celebrem canonem 22 concilii Carthaginensis quarti; *Episcopus nullus causam audiat absque præsentia clericorum suorum : alioquin irrita erit sententia Episcopi, nisi clericorum sententia confirmetur.* Et ne eruditorum hac de re asserta cum earum probationibus hic repetamus, Thomassini dumtaxat conclusionem proponemus : « Ergo presbyteri (in-« quit) diaconique civitatum episcopalium, qui clerus erat « superior diœceseos, et quem jam hic donabimus capituli « nomine, quanquam illud eis posterius tantum accesserit; « clerus hic, inquam, in unum corpus, in unum senatum con-« siliumque cum Episcopo coibat; cum eoque principe et ca-« pite suo, clericisque populisque diœceseos omnibus mode-« rabatur. (*Vetus et nova disc.,* parte 1, lib. 3, cap. 7, n. 2.) « Erat enim vere capitulum Episcopi cujusque et Ecclesiæ « cathedralis, clerus ille, illi presbyteri diaconique, qui cum « Episcopo de rebus quibusque deliberabant, qui una clavem « regebant Ecclesiæ, qui causas et judicia nomine ejus agita-« bant. » (Ibid., n. 7.) Denominatio ergo illa receptissima, qua capitulum dici solet *consilium natum Episcopi,* de remotissima etiam antiquitate intelligenda est, et exercitio administrandæ ab Episcopo justitiæ imprimis applicanda.

2° Quod autem Archidiaconus, in exercenda contentiosa jurisdictione, Episcopo in Vicarium generalem fuerit, palam facit, inter alios, eruditus Thomassinus (*Vetus et nova disciplina,*

partis 1, libri 2, capite 17.) Disserens enim *de Archidiaconis per quinque priora sæcula,* Episcoporum jurisdictionis exercitium ad eos pertinuisse asserit : *Cum* (inquit) *illorum hi imperium et jurisdictionem administrarent, exererentque in presbyteros, in parochos, et in archipresbyteros ipsos* (n. 1). Exponens autem qua de causa, non qui antiquitate inter diaconos, sed qui peritia eminebat, in Archidiaconum eligeretur, hanc rationem affert : *Quippe qui Episcopi oculus esset et manus, ejusque in contentiosa jurisdictione, et regenda re temporiara, minister et Vicarius generalis* (n. 3). *Quando scribit Leo Papa, Anatolium Archidiacono suo concredidisse* dispensationem totius causæ et curæ ecclesiasticæ, *ita mihi quidem interpetrandus videtur, ut Archidiaconum faciat totius administrum jurisdictionis in causis ecclesiasticis,* causæ : *et dispensatorem rerum redituumque temporalium,* curæ ecclesiasticæ (n. 8). Concilium Toletanum post edita multa decreta, sic statuit canone 20 : *Hujusmodi constitutionem semper meminerit Archidiaconus vel præsentibus vel absentibus Episcopis suggerendam, ut eam Episcopi custodiant, et præsbyteri non relinquant.* Quem canonem referens Thomassinus addit : *Hæc sane documenta sunt authoritatis Archidiaconorum latissime patentis* (n. 8).

Simul autem idem auctor probat Archidiaconi officium perpetuum fuisse, non autem meram delegationem ad nutum revocabilem. *Archidiaconum,* inquit, *Episcopus instituere solus poterat ; destituere et exauthorare solus non poterat, sine causa et sine figura judicii.* Ad quod firmandum varia documenta in medium adducit.

Ergo sicut hodie Vicarius generalis, sic a valde remota antiquitate Archidiaconus, fuit judex ordinarius; vi nempe officii sui jurisdictionem contensiosam nomine Episcopi exercens : cum hoc tamen discrimine, quod hodierni Vicarii generales sunt ad nutum Episcopi revocabiles, Archidiaconorum autem officium fuerit perpetuum.

Tale autem non fuit in primis omnino Ecclesiarum exordiis. Existimant enim communiter doctores eorum potestatem initio

nihil aliud fuisse quam nudum ministerium, seu meram ad arbitrium Episcopi delegationem; quæ brevi tamen, ex generali consuetudine vim legis obtinente, in officium perpetuum transierit; ita ut ipsa sola ad archidiaconatum promotione, prædicta jurisdictione Archidiaconi potirentur. (Vide Thomassinum, parte 1, l. 2, c. 19, n. 12.)

Diu autem Archidiaconorum jurisdictio citra ferendam excommunicationis sententiam arctata est; siquidem duodecimo etiam sæculo sic statuebat Alexander III: *Archidiaconis non videtur de Ecclesiastica institutione licere, nisi auctoritas Episcoporum accesserit, in aliquos sententiam promulgare* (capite 5, tituli 23, libri 1 decretalium). In qua decretali locutio hæc *sententiam promulgare* pro stylo hujus temporis, idem sonat ac *excommunicationem pronuntiare;* prout unanimiter intelligunt canonistæ (vide inter alios Gonzalem, in commentario in hanc decretalem), et satis patet ex rubrica præfixa, quæ sic habet: *Archidiaconus de jure communi non potest excommunicare.* Quam autem ex jure communi non habebant Archidiaconi excommunicandi potestatem, eam multis in locis titulo consuetudinis obtinuerunt, ut notat et probat citato loco Gonzalez. Visitandæ autem diœcesecos potestas, nonnisi recentiori ævo in ordinariam Archidiaconis cesserat.

Ea ergo fuit a remota antiquitate Episcopalium curiarum forma, ut, præter Episcopum, alius existeret judex, Archidiaconus nempe, jurisdictionem habens, non delegatam, sed ordinariam, id est, a lege et ex titulo ipso officii sui; qui tamen vice Episcopi, et ipsius nomine ac auctoritate, jus dicere censeretur.

III. *Forma Episcopalis curiæ, ex quo Vicarii generales in locum Archidiaconorum successere.* « Summatim illud constat (ait Tho-« massinus), Archidiaconum per plura sæcula extremæ etiam « hujus ætatis (nempe post annum etiam millesimum), specta-« tum fuisse ut Vicarium generalem Episcopi; sed Vicarium « perpetuum; *Vicarium non ab Episcopo assumptum, sed a jure « datum,* ut loquantur canonistæ. Eo porro nomine penes eum

« erat depositum onus contentiosæ totius Episcopalis jurisdi-
« ctionis...»

« Cum autem, post annum Christi millesimum, cœpissent Epi-
« scopi accersere sibi Vicarios generales, quos ad nutum pos-
« sent exauthorare, et officiales, Archidiaconi quoque paulatim
« spoliari cœpere antiqua latissimaque authoritate illa. Quo
« factum est, ut, præeuntibus conciliorum placitis, eos ad has
« angustias adegerint, *ut modicam pœnam possint imponere, vel*
« *ad modicum tempus suspendere.*» (*Vetus et nova disciplina*, parte 1, l. 2, cap. 20, n. 12.)

« Cæterum, non Vicariorum dumtaxat et officialium crea-
« tione, suam ad se Episcopi jurisdictionem revocare ; sed eo
« potissimum decreto, quo voluere, ne graviores majoresque
« causæ, præsertim matrimoniales, alibi deinceps quam in
« Episcopali foro diffinirentur ; cum ante de iis Archidiaconi
« judicarent.» (Ibid., n. 10.)

Ex his Thomassini assertis, in quorum probationem multa more suo documenta profert, satis patet quid mutationis episcopales curiæ subierint, ex substitutis Vicariis generalibus, in locum Archidiaconorum. Non minus scilicet quam antea extitit, præter Episcopum, ordinarius judex, qui contentiosam jurisdictionem exerceret ; sed is, cum antea perpetuus esset, in revocabilem mutatus est : amoto Archidiacono, qui in officio perpetuus erat, pro tribunali sedit Vicarius generalis ad nutum Episcopi revocabilis : non sublatum tribunal, sed potius mutata judicis conditio. Quæ disciplinæ immutatio, paulatim cœpta, et decimo tertio tandem sæculo fere ubique completa, in quantum Ecclesiæ bonum cesserit, palam faciunt apud historica monumenta, exitiales abusus, ad quos priscorum Archidiaconorum, officii sui perpetuitate fretorum, elatio in Episcopos atque acerbitas devenerant. Merito dejicienda fuit exorbitans potestas, quæ jam non in juvamen Episcopi, sed in impedimentum, non in ædificationem, sed in destructionem cesserat. Cæterum, quia recentioris institutionis sunt Vicarii generales, frustra quidquam de eorum officio in quinque libris

decretalium, aut antiquioribus documentis, inquires. Reperies dumtaxat in sexto (titulo 3, libri 1), nonnulla sæculi XIII hac de re decreta.

IV. *Quomodo in Gallia prædicta disciplinaris immutatio periclitata sit, Officialibus muneris sui perpetuitatem sibi vindicantibus.* — Invaluit in Gallia, atque in paucis aliis regionibus, consuetudo, ut ille generalis Vicarius, qui exercendæ contentiosæ jurisdictioni addicebatur, *Officialis* nomine designaretur. Ii porro officiales priscam Archidiaconorum in eodem officio perpetuitatem sibi paulatim vindicantes, se ab Episcopis ad nutum revocari non patiebantur; et pro erroneo illo gallicanismi systemate, quod tandiu hujus nationis clerum obcæcavit, a decreto Episcopi ad sæcularem potestatem appellare non erubescentes, parlamentorum auctoritate ac sententia suum, a quo dejecti erant, officium retinere schismatice obnitebantur. *Nec desunt* (ait Thomassinus, *Vetus et nova disciplina*, parte 1, libro 2, cap. 9, n. 4), *vel exempla vel asserta propitia Officialibus, quos incassum tentaverunt Episcopi gradu dejicere.* Ex adverso autem Episcopi confugiebant ad Regem; cui si placuisset Officialibus favere et parlamentorum asserta confirmare, actum erat de Episcoporum jure, Officiales suos ad nutum revocandi. Contrarium tamen contigit. Meminit Thomassinus (citato loco) *leges et diploma regium Ludovici XIII, datum die* 13 *octobris* 1637, *quo Episcopis priscum adseritur jus, suum instituendi et destituendi Officialis:* item *judicium concilii privati* (intellige Regis Galliæ) *quo potestas fit Archiepiscopis et Episcopis abdicandi Officiales suos..., nulla lege addita Episcopis ut pecuniam refundant:* item quasdam *leges et judicia consilii regii et parlamenti, quibus confirmatur destitutio Officialium ab Episcopis facta, quamvis diutissime eo munere perfuncti essent, eoque in reliquum vitæ tempus donati fuissent:* item aliud *decretum consilii privati regii anni* 1637, *in causa Episcopi Claromontani: eo rescindebatur Senatus consultum, quo prohibebatur Episcopus per semet Officialis munus et jurisdictionem exercere suam.* Officialium autem Galliæ attributiones et explendi officii norma, non tam jure ecclesia-

stico, quam sæcularis potestatis legibus et decretis determinabantur. Quæ statuta, an ullam ex ecclesiastica potestatis assensu legitimitatem traxerint, cum de re mortua agamus (et faxit Deus ut non reviviscat unquam), expendere prætermittimus. Id dumtaxat adnotabimus, non parum forsan *Officialis* et *officialitatis* vocabulum in causa fuisse, cur tot absona, nostris etiam temporibus, de hocce officio somniata sint. Refugit per se *Vicarii* nomen a supponenda perpetuitatis in officio necessitate, et præsertim pugnat cum hypothesi, quod vices agens Episcopi habere debeat tribunal ab ipso Episcopo independens. Si ergo, sicut in aliis passim regionibus, ita et in Gallia, Officialis communi nomine *Vicarii generalis Episcopi* designatus fuisset, et ejus tribunal locusve officii, non officialitas, sed *vicariatus* vocatus fuisset, non forte proxime elapsis annis canonicam rem existimassent nonnulli officialitatem, collegio judicum ex officii perpetuitate inamovibilium conflatam, aut his similia deliramenta. Non tamen ipsum *Officialis* vocabulum rejicimus, cum et jus commune et curiæ Romanæ stylus (ut infra ostendetur) eam vocem tanquam Vicarii generalis synonymam receperint. Dicimus tantum, ex ea erroribus ausam aliquatenus præberi; ita ut hodie in Gallia illam de medio tolli utile forsan videri possit. Quam nominis mutationem a quolibet in sua diœcesi Episcopo decerni posse, dubium non est.

## CAPUT II.

### DE RECTA NOTIONE VICARIATUS GENERALIS EPISCOPI, SEU OFFICIALITATIS.

Interest quamplurimi apprime perspexisse quid præcise et determinate sit Vicarii generalis Episcopi officium; seu in quo stet hujusce officii essentia. E confusa enim minusve recta hac de re notione, facilis est lapsus in errores gravissimos; periculumque enascitur ne curiæ episcopales anticanonice ordi-

nentur, ac debita perturbetur administrandæ justitiæ ratio. Hinc tanti momenti, et quotidianam praxim tam intime attingentem quæstionem, non cursim et perfunctorie, sed accurata indagine enucleandam duximus. Ad quod præstandum, majoris claritatis gratia, sequentes adhibemus paragraphos.

## § I.

### De essentia et definitione Vicariatus generalis Episcopi.

Propositio I^a^.—*De essentia Vicariatus generalis Episcopi est aliqua potestas ecclesiastica.*—Conclusio hæc probatione non indigeret, cum per se pateat et nulli controversiæ obnoxia sit. Eam tamen præmittimus, ut a genere summo, sub quo ejusmodi officium comprehenditur, exordientes, genus illud postea restringendo, ad genuinam et omnino determinatam ejusdem officii notionem tuto gressu deveniamus. Patet nempe conclusio, 1° ex ipso *Vicarii Episcopi* nomine : nam esse vicarius, nihil aliud est quam loco et nomine alterius agere ; ergo est facere id quod alter facere potest ; ergo est exercere potestatem alterius propriam ; ergo esse Vicarius Episcopi, est exercere potestatem Episcopi propriam ; sed potestas Episcopi est potestas ecclesiastica ; ergo esse vicarius Episcopi, est posse exercere aliquam potestatem ecclesiasticam ; sed hoc ipsum *posse exercere aliquam potestatem ecclesiasticam* est vera potestas ecclesiastica ; ergo de essentia Vicariatus generalis Episcopi est aliqua ecclesiastica potestas ; 2° idem certum facit unanimis omnium consensus : nunquam enim Vicarii generalis Episcopi nomine designatus reperitur, nisi is qui potest vice Episcopi aliquid facere ; ac proinde nisi is qui valet loco Episcopi potestatem ipsius aliquo modo exercere ; ac proinde nisi is qui potestatem aliquam ecclesiasticam habet. Nunc quænam sit ea potestas ecclesiastica, Episcoporum Vicariis competens, expendamus.

Propositio II^a^. — *Potestas Vicario Episcopi competens, est es-*

*sentialiter et tota quanta ministerialis.* — Alia nempe est potestas aliquid peragendi nomine proprio, et alia potestas idem peragendi tanquam alterius minister. Qui aliquam potestatem habet tanquam minister, eam nequit simpliciter et proprie vocare suam, sed tantum in aliquo sensu; eo sensu nempe quod potestatem hanc legitime exercere valeat nomine alterius, et quatenus constitutus ad id minister. Porro hujus speciei esse potestatem Vicariis Episcoporum competentem, evincit ipsa eorum denominatio. Absone enim dicerentur Vicarii, nisi vices agendi officium sortirentur : qui autem vices alterius agit, in hoc ipso est ejus minister.

Ex quo jam patet omnino differre ejusmodi Vicariorum generalium officium, ab aliis officiis quibus adnexa, est non ministerialis, sed stricte propria potestas; quale est officium Episcopi ordinariam jurisdictionem obtinentis, et etiam officium parochi.

Propositio III[a]. — *Vicario generali Episcopi essentialiter non competit, ut valeat vices Episcopi agere in exercenda ordinis episcopalis potestate.* — Probatur ex eo quod clerici consecratione episcopali destituti, esse possint et sint de facto, veri Vicarii generales, et ut tales a jure communi agniti : ii certe nequeunt ea facere quæ ordinem Episcopalem requirunt. Unde, quamvis possit aliquis Episcopus constitui Vicarius generalis alterius Episcopi, atque ipsius vices explere etiam in conferendo sacramento ordinis, id tamen officio Vicariatus generalis essentiale non est, sed accidentale; cum verus Vicarius generalis esse possit, qui non est consecratus Episcopus.

Propositio IV[a]. — *De essentia Vicariatus generalis est potestas exercendi aliquam jurisdictionem Episcopi propriam.* — Conclusio hæc ex præcedentibus invicte sequitur. Nam ex prima propositione Vicariatui generali essentialis est aliqua ecclesiastica potestas : ex propositione secunda, potestas hæc essentialis non alia est quam exercendi ipsammet potestatem Episcopi propriam : ex propositione tertia, non in eo stat essentialis potestas Vicarii generalis, ut valeat exercere episcopalem po-

testatem ordinis : ergo in eo stare censenda est, ut valeat exercere episcopalem potestatem jurisdictionis : Episcopo enim præter potestatem ordinis, non alia inest quam potestas jurisdictionis. Et hic revera est conceptus primarius hujus officii. Ab omnibus nempe concipitur seu intelligitur quis Vicarius generalis Episcopi, per hoc ipsum, quod vice Episcopi jurisdictionem episcopalem explicare valeat. Nec quælibet alia, præter hanc, potestas Vicarium generalem Episcopi efficit et constituit. Hæc tamen essentialis conditio, non sufficit ad omnino in sua specie determinandum vicariatus generalis officium. Quamvis enim quilibet verus Vicarius generalis necessario, et hoc ipso quod talis sit, potestatem habeat exercendæ alicujus episcopalis jurisdictionis, non tamen omnes qui aliquam ejusmodi jurisdictionem exercere valent, sunt Vicarii generales. Vicarius Episcopi foraneus, verbi gratia, exercet et ipse aliquid episcopalis jurisdictionis; et pariter quilibet clericus ab Episcopo delegatus ad cognoscendam et dirimendam aliquam causam, eamdem episcopalem jurisdictionem ex parte explicat : hi tamen nequaquam sunt Vicarii generales Episcopi. Ostendendum ergo remanet quomodo potestas Vicario generali propria exercendæ episcopalis jurisdictionis, a simili aliorum potestate differat.

Propositio V^a^. — *Vicarii generalis Episcopi jurisdictio est essentialiter aliquo sensu universalis quoad territorium seu personas, et quoad causas.* — Nam repugnat in terminis aliquem esse *generalem* alterius Vicarium, nisi possit, in aliquo saltem sensu, *generaliter* vices ejus explere. Istæ autem locutiones *posse generaliter* et *posse universaliter* alterius jurisdictionem exercere, synonymæ sunt; et significant posse dictam jurisdictionem exerceri quoad ipsius generalitatem, seu, quod idem est, quoad ipsius universalitatem. Ergo si quis Vicarius Episcopi nequeat episcopalem jurisdictionem *universaliter* exercere, saltem in aliquo sensu, is nequaquam censendus est generalis Episcopi Vicarius, sed merus dumtaxat delegatus; ac proinde ipsi nullatenus applicandæ veniunt juris communis

dispositiones quæ Vicarios generales respiciunt, sed eæ quæ ad delegatos referuntur. In hac autem conditione versaretur Vicarius, quem sibi Episcopus substitueret pro aliquo dumtaxat diœcesis suæ districtu, etiamsi universas causas in hoc districtu ipsi committeret : atque item ille, cui Episcopus, generalitatem causarum sibi reservans, aliquas dumtaxat expressas committeret, etiam in tota diœcesi. Talis enim Vicarius nullo sufficienter vero sensu *generalis* dici posset.

Quam doctrinam, pro certa omnino tenendam, sic exponit Layman (in caput *Romana* 1, *de Officio Vicarii*, in sexto) : « Re-« quiritur ad generalem vicariatum, ut tum generalitas lo-« corum, seu totius diœcesis, tum vero generalitas causarum « ipsi commissa sit. Sin vero Vicarius aut Officialis Episcopi « solum constitutus sit pro civitatensibus, non potest censeri « generalis ; sed jurisdictio ejus censebitur diversa a jurisdi-« ctione episcopali, non absimilis jurisdictioni Vicariorum « ruralium : ut proinde nec ipse Sedis Apostolicæ delegatus « esse possit. Arguitur ex Clementina 2 *de Rescriptis;* et docet « Sbrozius (l. 2, *de Vicario Episc.*, q. 29), et Garcias (*de Benefi-« ciis*, parte 5, cap. 8, n. 36). »

Propositio VI[a]. — *Vicariatui generali essentialis non est universalitas jurisdictionis stricte sumpta, sed dumtaxat moraliter sumpta.* — Duplex nempe distinguenda est jurisdictionis generalitas seu universalitas : stricte sumpta, quæ nullam patitur exceptionem ; et moraliter sumpta quæ exceptiones et reservationes admittit. Dicimus autem posse aliquem esse verum in sensu juris Vicarium generalem, cum posteriore tantum jurisdictionis universalitate. Et 1° quidem sufficit jurisdictionem esse moraliter universalem quoad causas : probatur ex decretali *Cum in generali* (3, tituli 13, libri 1, in sexto), in qua Bonifacius VIII sic decernit : *Officialis, aut Vicarius generalis Episcopi, beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa.* Et in præcedenti decretali idem Pontifex Officialis, seu (quod idem est ut infra probabitur) Vicarii generalis universalem jurisdictionem aliis exceptioni-

bus restringit hoc modo : *Licet in Officialem Episcopi, per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur, potestatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eumdem; nisi specialiter hæc sibi committantur.* Ex quibus juris communis dispositionibus aperte sequitur, posse aliquem esse verum Vicarium generalem, etsi ipsius jurisdictio sit moraliter dumtaxat universalis quoad causas, id est, restrictiones quasdam patiatur. Restrictiones tamen illæ debent esse per modum exceptionis, et jurisdictio debet conferri generaliter seu universaliter : alioquin Vicarius Episcopi ad certas quasdam dumtaxat causas deputatus, non esset Vicarius generalis, sed merus delegatus.

2° Idem videtur dicendum de universalitate quoad territorium ; posse nempe et istam intelligi moraliter, seu cum nonnullis exceptionibus. Contrarium quidem innuere videntur canonistæ, verbi gratia, Leurenius ; qui vult, *ut ad Vicarium generalem requiratur administratio in spiritualibus ei generaliter commissa quoad omnia loca, seu totam diœcesim. Si enim* (inquit) *constitutus solum sit limitate tantum pro iis qui in civitate episcopali degunt, non potest censeri is esse generalis, etsi sic appellaretur... Quia hoc ipso ita restrictus ad civitatem dumtaxat, non faciet idem consistorium cum Episcopo; sed habebit jurisdictionem a jurisdictione Episcopi divisam, eamque delegatam, non absimilem jurisdictioni Vicariorum ruralium.* (*De Vicariis Episcoporum*, cap. 1, quæstione 8.) Hæc tamen doctrina cum thesi nostra non pugnat. Aliud enim est aliquem constitui Vicarium Episcopi limitate *quoad talem dumtaxat locum;* et aliud eum Vicarium deputari generaliter quoad totam diœcesim, *excepto tali monasterio vel tali oppido.* Prædicti canonistæ loquuntur de priori restrictionis specie ; et neque nos negamus Vicarium Episcopi, pro tali diœcesis loco dumtaxat constitutum, esse merum delegatum, et nullatenus pro vero Vicario generali habendum. Atvero quando universalitas ipsi concessæ jurisdictionis restringitur per modum exceptionis, ita ut constituatur

primum Vicarius *generaliter quoad totum diœcesim*, et postea excipiatur unus aut alter locus, non videtur cur a ratione Vicarii generalis excideret. Nam in jure nullibi decernitur ut talis Vicarius pro vero Vicario generali Episcopi non habeatur. Præterea, quin esset quis esse Vicarius generalis, potest jurisdictio generaliter ipsi concessa restringi quoad causas aliquas, ut supra probavimus : ergo restringi etiam poterit quoad aliqua loca. In utroque enim casu æque remanet generalis seu universalis ejus potestas, licet *moraliter*, et non in stricto sensu. Si tamen restrictio quoad loca esset notabilis et ad medietatem diœceseos accederet, jam dici non posset commissa Vicario jurisdictionis *universalitas* etiam moraliter sumpta; ac proinde talis Vicarius esset dumtaxat Episcopi delegatus, non autem generalis Vicarius.

Propositio VII^a^. — *Ut quis sit Vicarius generalis Episcopi essentialiter requiritur ut sit Vicarius in spiritualibus, non autem in temporalibus.* — Vicarius Episcopi in temporalibus (qui etiam, et melius, nuncupatur œconomus), ille est quem sibi substituit Episcopus ad administranda bona sua temporalia, ea præsertim quæ ipsius beneficium, seu, ut olim dicebatur, ejus mensam spectant. Potest autem Episcopus eumdem quem in Vicarium generalem in spiritualibus, seu quoad exercendam cæteram jurisdictionem ecclesiasticam elegit, constituere etiam Vicarium in temporalibus. Imo putarant nonnulli antiqui canonistæ id requiri, ut quis vere et in sensu juris foret Vicarius *generalis* Episcopi. Sed ea sententia merito rejicitur, et tenetur Vicarium in spiritualibus tantum, esse verum Vicarium generalem in sensu juris : e contra vero Vicarium in temporalibus tantum, pro generali Vicario non esse habendum. « Vicarius in spiritualibus tantum (ait Leurenius) « simpliciter Vicarius, vel cum addito *in spiritualibus generalis*, « vocari solet; ut patet ex Tridentino (sess. 13, c. 1, 2, 3, 4), « et ex brevibus apostolicis. Cum aliqua committuntur Episco- « pis seu eorum Vicariis, Vicarii in spiritualibus appellantur « *generales*, dicendo, verbi gratia : *Venerabili Episcopo Mona-*

« steriensi, seu dilecto filio ejus Vicario in spiritualibus generali... « Vicarius vero in temporalibus tantum, appellatur œcono- « mus, et non solet appellari Vicarius generalis. Sed neque « Vicarius hic in temporalibus tantum, esse potest delegatus « Apostolicus, nisi forte aliunde obtineat dignitatem. » (*De Vicariis Episcoporum,* cap. 1, quæst. 8, n. 2.)

Propositio VIII[a]. — *Est de essentia vicariatus generalis Episcopi, ut actus a Vicario generali gestos Episcopus faciat suos.* — Idest, ut ii actus eodem modo in jure valeant ac si essent ab ipso Episcopo gesti. Dupliciter nempe Episcopo potest quis pro exercenda jurisdictione substitui : vel enim ita substituitur ut decernatur actus ejus habendos fore tanquam ab ipso Episcopo gestos, vel non. Priori modo substitutio fieret, si Episcopus, verbi gratia, subditis suis ita declararet : *Ad exercendam meam jurisdictionem deputo Caium ; et volo ut quilibet actus ejus jurisdictionalis eodem modo valeat atque eumdem sortiatur effectum, ac si a me ipso gestus fuisset : ab ejus proinde sententiis, non ad me, sed ad meum duntaxat superiorem patebit recursus aut appellatio.* Posteriori modo substitutio fieret si Episcopus ita statueret : *Valeat Caius jurisdictionem meam exercere : ejus tamen actus non facio meos ; sed si injusti sint, mihi reservo recognoscendos ac corrigendos : unde si quis se ab eo gravatum existimet, ad me recurrat et appellet.* Porro dicimus ad essentiam vicariatus generalis pertinere, ut Vicarius generalis priori modo, seu in priori sensu Episcopo substituatur. Quod sic evinci potest : certum est Vicarium generalem Episcopi a mero delegato essentialiter differe : atqui non differret nisi Episcopus Vicarii generalis actus faceret suos ; ergo ut quis sit verus Vicarius generalis, necesse est ut ipsius actus suos faciat Episcopus.

Probatur *major*, nempe Vicarium generalem a mero delegato essentialiter differe : nam certa est juris regula, dari appellationem a sententiis delegati ad delegantem ; ac proinde idem non esse tribunal seu auditorium delegati cum tribunali seu auditorio delegantis. Aliunde e contra non minus certum est, a

sententia Vicarii generalis nullam dari ad Episcopum appellationem, et Vicarium generalem idem cum Episcopo tribunal seu auditorium habere : id enim non tantum firmat doctorum unanimis consensus, et generalis omnium ecclesiarum praxis, sed et habetur expresse a lege ecclesiastica definitum hoc modo : *Non putamus illam consuetudinem, quantocumque tempore de facto servatam, consonam rationi, quod ab Officiali Episcopi ad eundem Episcopum valeat appellari : ne ab eodem ad seipsum* (*cum sit idem auditorium utriusque*), *appellatio interposita videatur* (caput 2, tituli 4, libri 1, in sexto). Porro judex habens idem tribunal cum Episcopo, et a quo nequit ad Episcopum appellari, essentialiter differt a judice, cujus tribunal ab episcopali est diversum, et a quo patet appellatio ad Episcopum : ergo Vicarius generalis et delegatus Episcopi essentialiter differunt.

Probatur *minor*, nempe discrimen hoc evanescere, nisi Episcopus Vicarii sui generalis actus faciat suos. Nam posito quod actus jurisdictionales Vicarii generalis non habendi sint tanquam ab ipso Episcopo gesti, jam falsum est idem esse Episcopi et Vicarii ejus generalis tribunal. Identitas enim illa in eo præcise stat, quod sententia eosdem sortiatur effectus, sive ab Episcopo proferatur, sive a generali ejus Vicario, seu quod sententia Vicarii generalis habenda sit tanquam ab Episcopo ipso prolata. Si ergo actus Vicarii generalis suos non faciat Episcopus, diversum erit utriusque auditorium ; ac proinde jam non est ratio, cur a sententia Vicarii generalis ad Episcopum non possit appellari ; ac consequenter ejusdem omnino conditionis evadunt Vicarius generalis, et Episcopi ad causarum universalitatem delegatus.

Valde autem attendenda est essentialis illa vicariatus generalis proprietas, quod nempe actus ejus suos faciat Episcopus. Ea enim, tanquam differentia maxime propria, discernitur et in vera sua notione determinatur ejusmodi officium. Cum autem dicimus Episcopum suos facere Vicarii sui generalis actus, intelligimus quoad juris effectus : nam si ex malitia vel imperitia injuste agat Vicarius generalis, nequaquam hunc defe-

ctum suum facere censetur Episcopus ; imo illum coercere et punire potest; sed tamen regulariter habebitur actus ille quoad effectum juris, tanquam si ab Episcopo prodiisset.

Propositio IX°.—*Vicarius generalis Episcopi recte definiri potest : legitime deputatus ad exercendam generaliter jurisdictionem episcopalem vice Episcopi, et ita ut actus ejus ab Episcopo gesti censeantur.* — Dicitur 1° *legitime deputatus;* non autem additur *ab Episcopo :* nam ut infra ostendemus, posset absolute constitui a Papa verus Vicarius generalis Episcopi. Dicitur 2° *ad exercendam jurisdictionem episcopalem,* quæ voces exprimunt genus commune tum officio Vicarii generalis, tum aliis officiis quibus quocumque titulo et modo competit episcopalis jurisdictionis exercitium. 3° Dicitur *generaliter :* et sic Vicarius generalis distinguitur ab iis qui eamdem jurisdictionem exercere nequeunt, nisi limitate quoad certas causas aut certam diœcesis partem. 4° Dicitur *vice Episcopi,* quibus verbis vicariatus generalis restringitur ad speciem jurisdictionis ministerialis seu vicarialis, non tamen adhuc distinguitur a diversis quibusdam officiis, verbi gratia, delegatorum generalium Episcopi, quibus etiam competit ut jurisdictionem episcopalem generaliter et vicarialiter exerceant. 5° Tandem additur *ita ut actus ejus ab Episcopo gesti censeantur;* quæ nota seu proprietas, utpote soli Vicario generali Episcopi conveniens, officii hujus veram notionem ultimatim determinat.

Satis autem patet præmissam definitionem non esse arbitrariam, sed revera exprimere id quod ex communi loquendi usu per Vicarium generalem Episcopi intelligitur. Aliunde convenit toti definito; si quidem de quolibet Vicario generali Episcopi verum reperitur, quod sit *deputatus ad exercendam generaliter jurisdictionem episcopalem vice Episcopi,* et quod *ipsius actus censeantur ab ipso Episcopo gesti.* Insuper convenit soli definito ; siquidem nullus est, præter generalem Episcopi Vicarium, de quo dici cum veritate possit quod in definitione exprimitur. Unde legitima videtur dicta definitio.

## § II.

Evolvitur notio de natura vicariatus generalis Episcopi.

Quæstio 1ª. — *Utrum Vicarius generalis Episcopi jurisdictionem habeat a lege, an vero ab Episcopo?* — Aliqui doctores sustinuerunt, Vicario generali Episcopi jurisdictionem derivari ab Episcopo, non a lege. Ita Garcias (*de Beneficiis*, parte 5, cap. 8, n. 24 et 25), nec non Pax-Jordanus (l. 12, tit. 1, n. 43); quibus accedit Layman (in cap. 1, tituli 23, libri 1 decretalium, n. 3), dum dicit : « Vicarii generalis seu Officialis « jurisdictio, quæ et ipsa ordinaria est, directe provenit ab « Episcopo creante et instituente Vicarium; indirecte vero a « lege seu canone, quia canon auctoritatem dat Vicarium ge« neralem instituendi : nam alioquin nemo Principe inferior « officium aut jurisdictionem suam, jure ordinario exercen« dam, committere potest. »

Communius tamen hanc sententiam rejiciunt, et oppositam pro certa tenent doctores. « Lex ipsa est (ait Pignatellus) quæ « dat jurisdictionem Vicario generali, secundum glossam in « caput *Romana* (3, tituli 15, libri 2, in sexto), verbo *genera*« *liter*. » (Tom. 4, consult. 37, n. 5.) Citantur autem ibi a Pignatello, tanquam eidem sententiæ adhærentes, Hostiensis, Abbas Panormitanus, et Vestrius. « Quinimo (ait alibi idem « auctor) Vicarium esse Prælatum, constat ex eo quod exerceat « totam illam jurisdictionem quam habet ipse Episcopus. Hæc « autem jurisdictio constituit Prælaturam; et proinde cense« tur constitutus a lege...; et accipit jurisdictionem a lege « ubi primum Vicarius constituitur... ; unde habet jurisdi« ctionem ratione officii et titulo vicariatus. » (Tom. 3, con« sult. 64, n. 4.)

« Respondeo (ait Leurenius) accipere Vicarium jurisdictio« nem, non tam ab Episcopo, quam ab ipsa lege ; eo quod, li« cet nulla lex canonica in toto jure canonico reperiatur, quæ

« expresse hanc jurisdictionem tribuat isti Vicario, cum tamen « jure canonico licitum sit et permissum Episcopis constituere « et assumere Vicarios (capite *cum Episcopus, de officio Ordina-* « *rii,* in sexto ; capite ultimo, *de Hæreticis,* in sexto), qui vice « eorum jurisdictionem episcopalem exerceant ; hoc ipso quod « Episcopus nominat et constituit Vicarium ex permissione « juris, jus ipsi det et conferat jurisdictionem ordinariam ; « supposita tamen et interveniente dicta nominatione seu in- « stitutione Episcopi. » (*De Vicariis Episcoporum,* cap. 2, quæ- stione 72.) Et ibi Leurenius ejusdem sententiæ auctores citat plurimos, inter quos Sbrozium, Pirrhing, Barbosam, Sanche- sium, Covarruviam, Fagnanum, Castropalaum, Molinam, Azo- rium.

Potest autem hæc communior sententia sic vera demon- strari : ille censendus est jurisdictionem habere a lege et ra- tione officii sui, non autem ab Episcopo, cujus potestas a jure communi certo et fixo modo quem Episcopus mutare nequit, determinatur : atqui jurisdictio Vicarii generalis a jure com- muni determinatur certo modo quem Episcopus mutare ne- quit : nam hoc ipso quod quis constituatur Vicarius generalis, ei competit (velit nolit Episcopus) jurisdictio *moraliter* saltem *universalis* quoad causas et diœcesim. Illa vero jurisdictio du- plici sensu est, independenter ab Episcopo, de jure determi- nata et fixa : 1° quia nisi reservationes expresse apponat Epi- scopus, certo et de jure extenditur ad totam diœcesim, et ad omnes causas, exceptis nonnullis a lege expressis, et quas lex exceptas voluit ; pro quibus nempe necessariam esse decrevit *specialem* Episcopi commissionem ; 2° quia etsi Episcopus pos- sit a prædicta Vicarii generalis jurisdictione quasdam causas et quædam loca excipere et subtrahere, non tamen potest ejusmodi exceptiones ita multiplicare et extendere ut jurisdi- ctio Vicarii generalis desinat esse *moraliter universalis.* Si enim Vicarium constituat cum tot restrictionibus, quæ hanc univer- salitatem jurisdictionis tollant, non constituit Vicarium gene- ralem, sed merum delegatum : et pariter si, jam constituto

Vicario absque dictis nimiis restrictionibus, eas postea apponat, non immutat Vicarii sui generalis jurisdictionem, sed ipsum de facto revocat, et delegatum creat. Unde revera jurisdictio Vicarii generalis officio alligata, est certo modo determinata ex jure communi, et ita ut hic modus determinationis nequeat ab Episcopo de medio tolli aut immutari. Ergo jurisdictio hæc est a lege et non ab Episcopo.

Præterea, illa jurisdictio est a lege et non ab Episcopo, quam nequit Episcopus, conferre : atqui jurisdictionem Vicario generali propriam nequit per seipsum solum Episcopus conferre : nam jurisdictio hæc, non tantum generalis est, sed etiam (ut infra probatur et communiter admittitur) *Ordinaria :* atqui nullus Principe (id est, Papa) inferior potest jurisdictionem suam alteri committere exercendam *jure ordinario;* quod extra omnem controversiam est : ergo Episcopus nequit Vicario generali propriam jurisdictionem conferre. Cum tamen certum sit eam jurisdictionem conferri dum Episcopus aliquem Vicarium generalem nominat et instituit, sequitur eam conferri a lege, et nominationem episcopalem esse dumtaxat conditionem requisitam, ut lex dictam jurisdictionem conferat.

Quæstio 2ª. — *Utrum Vicarius generalis Episcopi ordinariam habeat jurisdictionem, an vero delegatum.* — Olim quidem controversiæ obnoxia fuit quæstio hæc : jam dudum vero certa evasit sententia quæ tenet Vicarii generalis jurisdictionem esse ordinariam.

De qua sententia tria stabiliemus : 1° eam revera evasisse communem ; 2° solidis omnino rationibus veram demonstrari ; 3° per decisiones et praxim Congregationum Romanarum jamdudum illam fuisse canonizatam et extra controversiam positam.

I. *Ordinariam esse jurisdictionem Vicarii generalis, est communis doctorum sententia.* — Imprimis eam sententiam tanquam certam tenet glossa : sic enim habet ad vocem *generaliter* capi-

tis *Romana* (3, tituli 15, libri 2, in sexto (1)) : « nota per hanc « litteram, quod Officialis est ordinarius, non delegatus ; et « sic est reprobata opinio Goffredi, quod Officialis Episcopi de- « legatus est, non Ordinarius ; et ob hoc dicebat, de ipso ad « Episcopum esse appellandum.»

Glossam hanc secuti sunt doctores communiter. Constat ex Ferrario : « Vicarius enim generalis (inquit), venit appella- « tione Ordinarii : *communis* » (ad vocem *Vicarius generalis*, art. 2, n. 12). Idem testatur Pignatellus : « Vicarius Episcopi « (ait ille), in iis quæ de jure communi illi competunt ex ge- « nerali officio vicariatus, non solum dicitur judex ordinarius, « ut post Joannem Andream et doctores communiter docet « Sbrozius (*de Vicario Episcopi*, l. 1, q. 67, n. 2); censetur- « que una et eadem persona cum Episcopo, et facit idem « auditorium ac consistorium cum illo (cap. 2, *de Consuet.*, « in sexto ; cap. *Romana* 3, *de Appell.*, in sexto); atque habet « jurisdictionem Ordinariam ; nec non eamdem quam habet « Episcopus, cum tribunal unius dicatur tribunal alterius, « persona unius persona alterius, idem judex, unum offi- « cium, idem judicium, idemque effectus auctoritate Episcopi « et Vicarii ministerio ; et dicitur associatus Episcopo in « jurisdictione ; et regulariter potest omnia quæ potest Epi- « scopus ; et cognoscit omnes causas sicut Episcopus ; quia « est constitutus ad omnia quæ sunt jurisdictionis volun- « tariæ et contentiosæ...; quare a sententia Vicarii generalis « non datur appellatio ad Episcopum...: sed etiam est ordi- « narius tanquam Episcopus...; quam opinionem, *uti commu- « nem*, secuti sunt doctores.» (Tom. 4, consult. 37, n. 4.)

(1) In illo capite legitur : *Cum suffraganeorum Remensis Ecclesiæ suorumque Officialium (qui generaliter de Causis ad ipsorum forum pertinentibus, eorum vices supplendo, cognoscunt) unum et idem consistorium sive auditorium sit censendum; ab ipsis Officialibus, non ad dictos Suffraganeos (ne ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur, sed de jure ad Remensem est curiam appellandum.*

Nec minus expresse Monacellus de hac communi canonistarum sententia : Quod enim Vicarius generalis Episcopi *dicatur ordinarius,* et *mandatum habeat a lege,* asserit a doctoribus teneri *communiter* (parte 1, tit. 1, formula 1, n. 30). Immensam autem esse doctorum multitudinem dictæ sententiæ adhærentem, satis perspectum habebit qui legerit Leurenium (*de Vicariis Episc.*, c. 2, q. 69). Nos ex iis qui, tam ab isto auctore quam a Pignatello indicantur, sequentes dumtaxat memorabimus : Glossam, Hostiensem, Archidiaconum, Innocentium IV, Joannem Andream, Azorium, Pax-Jordanum, Barbosam, Ventrigliam, Laymanum, Lotterum, Pirrhing, Sanchesium, Covarruviam, Sbrozium, Garciam. His adde recentiores generaliter. Unde revera *communis* dici potest doctorum sententia, quæ tenet Vicario generali *ordinariam* jurisdictionem competere. Nec attendendi sunt pauci qui citari possunt in contrarium scriptores ; quia in hujusce disceptationibus reperiuntur semper nonnulla heteroclita capita, quibus recepta communiter sententia non arrideat.

II. *Nititur autem dicta sententia gravibus et solidis rationibus* — Nam 1° sic argui potest : Vicarii generalis jurisdictio est ordinaria, si sit una et eadem cum jurisdictione ipsiusmet Episcopi, et nullatenus ab ista divisa ; atqui certa est ejusmodi unitas seu identitas ; ergo dicta jurisdictio revera ordinaria est. Major per se patet : si enim jurisdictio Vicarii generalis non sit a jurisdictione Episcopi divisa, sed una et eadem cum illa, cum jurisdictio Episcopi certo ordinaria sit, proculdubio ordinaria etiam erit Vicarii generalis jurisdictio. Sed neque minus certa est minor, jurisdictionem scilicet Vicarii generalis esse unam cum jurisdictione Episcopi, ita ut ab illa nequaquam divisa sit : nam ii duo judices habent unam et eamdem atque indivisam jurisdictionem, qui ita stricto sensu unum et idem tribunal habent, ut tribunal unius sit omnino de jure tribunal alterius, persona unius persona alterius, sententia unius sententia alterius ; nec possit appellari ab uno ad alterum, quin appelletur ab eodem ad eumdem : atqui hoc modo

sese habet Vicarii generalis jurisdictio relative ad Episcopi jurisdictionem ; nec potest hoc subtilitatibus obscurari, aut in dubium revocari, postquam lex ecclesiastica id expressis iisque apertissimis verbis declaravit. Etenim in capite *Romana* (3, tit. 15, lib. 2, in sexto) de Officialibus dicitur, non esse ab ipsis ad Episcopos suos appellandum, eo quod Episcoporum et Officialium suorum *unum et idem consistorium sive auditorium sit censendum,* et ne *ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur.* Item in decretali *Non putamus* (2, tituli 4, libri 1, in sexto) absonum declaratur, *quod ab Officiali Episcopi ad eumdem Episcopum valeat appellari : ne ab eodem ad seipsum* (*cum sit idem auditorium utriusque*) *appellatio interposita videatur.* Ergo certum est per legem ecclesiasticam ita constitui et intelligendam definiri Vicarii generalis jurisdictionem, ut tribunal ejus censendum sit tribunal Episcopi, persona ejus persona Episcopi, sententia ejus sententia Episcopi ; idque adeo stricto sensu, ut appellatio a Vicario generali ad Episcopum, sit appellatio ab eadem persona eodemque judice, ad eamdem personam eumdemque judicem. Ergo manet eadem atque indivisa jurisdictio, sive a Vicario generali exerceatur, sive ab Episcopo : est autem ordinaria jurisdictio Episcopi; ergo et Vicarii generalis ordinaria pariter jurisdictio censenda est.

2° Idem eruitur ex omnino certa judicis delegati conditione. Certum nempe est dari appellationem a delegato ad delegantem. Id patet ex capitibus 27 et 28 tituli 29, libri 1 decretalium ; ubi videmus a Papa interponi clausulam *omni remota appellatione,* cum vult præcavere ne possit a sui delegati sententia appellari ad Sedem Apostolicam. Imo non obstante hac clausula, in certo ibidem expresso casu, a Delegato Papæ ad Papam valet appellatio. Et cæteroquin extra controversiam est apud canonistas regula illa juris, posse a delegato ad delegantem appellari. Inde autem invicte sequitur Vicarium generalem non esse delegatum, cum ab ipso ad Episcopum non detur Appellatio. Si autem non sit delegatus, remanet ut sit ordinarius. Nec objiciatur, potuisse in favorem Vica-

riorum generalium fieri a jure exceptionem; ita ut, licet veri sint delegati, præcludatur tamen ab ipsis ad Episcopos suos appellatio; qua posita hypothesi, tota vis argumentationis nostræ corruere censenda sit. Nam decrevit quidem lex ecclesiastica non patere a Vicario generali ad ipsius Episcopum appellationem; sed simul declaravit id sequi ex natura ipsa jurisdictionis Vicario generali competentis; ex eo nempe quod ipsius auditorium *unum et idem censendum sit* cum auditorio Episcopi, et quod appellare ab ipso ad Episcopum esset appellare *ab eodem ad eumdem*. Ergo ex lege ipsa ecclesiastica constat Vicarii generalis jurisdictionem esse ex natura sua, seu essentialiter, diversam a delegata, et nullatenus habendam esse tanquam privilegiatam aliquam jurisdictionis delegatæ speciem. 3° Est regula in jure certissima, delegatum non posse causam alteri delegare, seu dare judicem; a qua regula excipitur dumtaxat Delegatus Papæ : constat ex capite *Causam* (62, *de Appell.*), in quo sic habetur : *cum nonnisi delegatus a Principe causam valeat alii delegare*. Aliunde posse dari judicem a Vicario generali Episcopi indubitatum est apud doctores; et constat ex capite *Romana* (1, tituli 13, libri 1, in sexto), cujus sensum ita exponit ipsi præfixa rubrica : « Successor « Officialis excommunicati, excommunicatus non est, nisi in « crimine damnato communicet : illa autem quæ exercet, illo « excommunicato manente, non valent, si jurisdictio solum ab « eo recepta hoc facit. » Ex quo legitime concluditur, valida esse quæ fiunt per eum quem sibi substituit Vicarius generalis, et ex sola jurisdictione quam idem Vicarius generalis ei impertitur, modo ipse Vicarius generalis sub excommunicatione non existat; seu aliis terminis, potest Vicarius generalis dare judicem. Unde merito inferri videtur eum esse ordinarium et non delegatum. Hæc tamen tertia probatio eliditur, per opinionem apud canonistas sat receptam, posse delegatum ab Episcopo *ad universalitatem causarum*, alium subdelegare, saltem (ut ait Schmalzgrueber) ex consuetudine. Tunc enim potestas dandi judicem non argueret necessario in Vicario generali

jurisdictionem ordinariam, sed tantum jurisdictionem ad universalitatem causarum. Hinc tertiam illam probationem non posuimus hic tanquam peremptoriam, sed tantum priores duas. Voluimus tamen eam exponere, quia solet a canonistis proferri.

III. *Dicta sententia jamdudum fuit canonizata et extra controversiam posita per congregationum Romanarum decisiones et Praxim.*—Discrepantibus inter se doctoribus, si interveniat in favorem alterutrius sententiæ congregationum et tribunalium Romæ praxis et auctoritas, jam illa sententia canonizatur, seu vim juris acquirit, et quæstio pro soluta et finita habenda est. Id porro an contigerit quoad sententiam de *ordinaria* Vicarii generalis jurisdictione, expendamus. Certum est ex decreto Tridentino (cap. 1, sess. 24, *de Ref. matrimonii*), irritum esse matrimonium *aliter* initum *quam præsente parocho, vel alio Sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia*. Quo posito, si Sacra Congregatio Concilii declaraverit valere matrimonium coram sacerdote non parocho, sed licentiam habente a Vicario generali, hoc ipso censenda est declarasse Vicarium generalem esse *Ordinarium*. Item si declaraverit valere matrimonium coram ipso Vicario generali, absque ulla licentia Episcopi aut parochi, celebratum, æquivalenter declaravit Vicarium generalem esse Ordinarium; quia si Vicarius generalis sit *Ordinarius* diœcesecos, poterit quidem valorem matrimonio conferre, cum a Tridentino decreto (dum requirit præsentiam parochi, vel sacerdotis alterius de licentia parochi aut Ordinarii) non excluditur Ordinarius diœcesecos superior, sed a fortiori includitur, quod cæteroquin extra controversiam est : si vero Vicarius generalis non sit Ordinarius, falsum erit sufficere ejus præsentiam absque licentia Episcopi aut parochi. Porro utrumque revera fuit a Sacra Congregatione Concilii declaratum. Sic enim affirmat Monacellus (parte 2, tit. 16, formula 2, numero 34) : « Contrahi « potest valide (matrimonium), non solum coram sacerdote « habente facultatem a Vicario generali, sed coram Vicario ge- « nerali perinde ac coram parocho. » (Congregatio Concilii, 4 julii 1602, libro 20 *decretorum*, folio 47.)

In particulari autem, quod possit Vicarius generalis, absque ulla Episcopi permissione, matrimonio valide assistere, pluries a Sacra Congregatione Concilii decisum refertur in *Thesauro resolutionum* (tom. 7, pag. 333, in Segnensi 17 novembris 1736), his verbis : « In jure autem præmittendum est, quod Vicarius « generalis æque ac contrahentium parochus, ex proprio officio, « et facultate sibi a concilio Tridentino tradita (capite 1, sess. 24, « *de Ref. matrim.*) (1), potest absque speciali Episcopi commis- « sione matrimoniorum celebrationi interesse, aliique simplici « sacerdoti licentiam illis assistendi concedere, juxta communem « sententiam, quam tuentur adducti per Sanchez (*de Matri-* « *monio*, lib. 3, disput. 29, n. 18 et 19) ; et constat, tum ex « rescripto Sacræ Congregationis sub diem 4 julii 1602, in « causa quadam matrimoniali in hæc verba edito : *Sacra Con-* « *gregatio censuit, coram Vicario generali Episcopi matrimonium* « *contrahi posse, perinde ac coram parocho* (ut in libro 10 decreto- « rum, pag. 36) ; tum ex altero emanato in *Taurinensi matrimonii* « 26 septembris 1697 : promota enim ibi quæstione, num ma- « trimonium inter Principem Carolum..., et Mariam..., initum « coram Vicario generali, validum esset, responsum fuit *affir-* « *mative* (ut in libro 47 decretorum, pag. 454 et seq.). Hoc præ- « misso fit manifestum, quod Episcopus Segnensis, sicuti non « poterat *sub pœna nullitatis*, proprio contrahentium parocho « interdicere ne controverso matrimonio assisteret, juxta re- « solutionem Sacræ Congregationis in *Savonensi* 2 martii 1595 « (libro 8 decretorum, pag. 108), ita id Vicario generali prohi- « bere nequivit ; ideoque illius interdictum, matrimonium præ-

(1) In hoc capite nihil expresse dicitur de Vicario generali ; sed irritum declaratur matrimonium aliter celebratum *quam coram parocho, aut altero Sacerdote de licentia parochi vel Ordinarii*. Unde ad matrimonii valorem requiritur, vel præsentia Ordinarii (de qua non loquitur Tridentinum, quia inutile erat, cum a fortiori hæc sufficiens supponi debeat), vel præsentia parochi, vel præsentia alterius sacerdotis de licentia parochi vel Ordinarii. Nihilominus recte asseri potest, hoc decreto datam fuisse Vicario generali facultatem valide assistendi, quia ipse sub nomine Ordinarii comprehenditur.

« fatum minime irritavit, cum impedimenta matrimoniorum di-
« rimentia statuere Summo Pontifici sit reservatum. » In hac autem causa Segnensi, agebatur de matrimonio Quirinum inter et Catharinam. Idem Quirinus jam sponsalia contraxerat cum Clara. Quæ sponsalia cum postea detrectaret, Clara recursum habuit ad Episcopum, qui pronuntiavit constare de sponsalibus, et prohibuit parocho et Capitulo Cathedralis, ne præsentiam præstarent, si forte dictus Quirinus tentaret cum alia matrimonium inire. Quirinus autem cum Catharina et duobus testibus furtim ingressus est cubiculum Vicarii generalis, qui in lecto sedebat. Et coram ipso, quamvis obstrepente et reluctante, mutuus de præsenti consensus pronuntiatus est. Sacra autem Congregatio, ad quæsitum an constaret de valore talis matrimonii, die 17 novembris 1736 respondit *affirmative*. Nullam sane in hoc casu specialem ab Episcopo commissionem acceperat Vicarius ille generalis; et nisi ordinariam jurisdictionem haberent Vicarii generales, certo invalidum fuisset matrimonium. Cum ergo illud validum declaraverit Sacra Congregatio, æquivalenter declaravit Vicario generali competere ordinariam jurisdictionem.

Item ab eadem Sacra Congregatione decisum fuit valere matrimonium initum coram sacerdote non parocho *de licentia generalis Vicarii;* prout loco citato *Thesauri resolutionum* narratur his verbis : « Cum Vitus... et Maria Elisabeth... matrimonium
« inter se per verba de præsenti initum, coram testibus et co-
« ram Valluchio, curato Ecclesiæ S. Marci (qui licet non esset
« parochus contrahentium, dixerat tamen se habuisse licentiam
« a Vicario generali civitatis Pistoriensis prædictos matrimo-
« nio jungendi, omissis etiam denuntiationibus) contenderent
« esse validum; eo quia concilium Tridentinum (sess. 24, *de Ref.*
« *matrim.*, c. 1) præscribat, matrimonium contrahi debere
« præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, *seu*
« *Ordinarii* licentia; et nomine Ordinarii veniat Vicarius gene-
« ralis Episcopi...: contra vero opponeretur Vicarium genera-
« lem concedere dictam licentiam non potuisse, ex quo Epi-

« scopus vero et proprio contrahentium parocho inhibuerat ne « eos matrimonio conjungeret...; proposita fuerunt duo hæc « dubia : 1° *An constet de validitate matrimonii in casu;* 2° *an « sit locus illius revalidationi.* Die vero 22 aprilis 1719 prodiit « rescriptum : *Ad primum affirmative. Ad secundum, satis provi- « sum in primo* (ut in libro 69 decretorum, pag. 189). »

Pariter in causa *Calliensi* 17 augusti 1776 (in *Thesauro*, tom. 45, pag. 100) agitur de matrimonio coram Vicario generali, ex improviso et absque ullis prævíis denuntiationibus, cum testibus tamen requisitis, inito; et ad dubium an constet de talis matrimonii nullitate, respondetur *negative.*

Nec minus aperte Rota Vicarii generalis Episcopi jurisdictionem tanquam ordinariam habet; prout legere est, verbi gratia, decisione 608 coram Coccino (in causa Pientina 6 junii 1611) hoc modo : « In his quæ veniunt sub generali man- « dato, Vicarius venit appellatione *Ordinarii :* secus autem in « his quæ non continentur (1); quia in illis est *delegatus.* »

Omissis, quæ ulterius congeri possent, documentis ejusmodi, argumentationem sic resumimus : a romanis dycasteriis tanquam ordinariam haberi jurisdictionem Vicarii generalis Episcopi, jamdudum constat ex eorum praxi et declarationibus; atqui ex hoc solo facto certa evasisset dicta sententia, etiamsi antea in dubium revocari potuisset; ergo jamdudum certa est sententia quæ tenet ordinariam (non autem delegatam) esse Vicariorum generalium jurisdictionem.

Quæstio 3ª. — *An valeat Episcopus Vicarii sui generalis jurisdictionem pro arbitrio restringere?* — Episcopus potest quam- « plurima sibi reservare; nec tenetur totam jurisdictionem « suo Vicario communicare : » Ita Riganti (in regulam 24 Cancellariæ, § 3, n. 236), et affert citatus auctor in probationem plures Rotæ decisiones, nempe : diei 5 maii 1685, coram Caccia; diei 4 aprilis 1686, coram Matthæo; 4 julii ejusdem anni, et 17 februarii 1689, coram eodem.

(1) Nempe in generali mandato.

Id tamen videtur aliqua distinctione indigere. Nam quod possit Episcopus pro arbitrio restrictam Vicario suo jurisdictionem concedere, dubium non est : imo, ut dicetur infra, potest nullam concedere, seu nullum sibi constituere Vicarium. Atvero, quod positis quibuslibet restrictionibus, et quantumvis illæ pateant, Vicarius remaneat vere *generalis*, ita ut ipsi applicanda sint jura quæ veros Vicarios generales respiciunt, omnino negandum est. Nam (ut superiori paragrapho, propositione quinta) probavimus, *universalitas* jurisdictionis, saltem *moraliter sumpta*, est de ipsa essentia vicariatus generalis. Si ergo restrictiones ab Episcopo appositæ hanc universalitatem moraliter sumptam tollant, valebunt quidem; sed Vicarium constituent in officio meri delegati; non autem Vicarii generalis. Quod certe eveniret, verbi gratia, si Episcopus medietatis diœcesecos causas sibi reservaret.

Est autem ad ejusmodi restrictiones valde attendendum, ob gravissima quæ ex eis oriri possunt quoad praxim consectaria. Nam exempli gratia, si quis Episcopus Vicarii sui potestatem ita restringat, ut jam dici nequeat moraliter generalis seu universalis, a sententia talis Vicarii non dabitur appellatio immediate ad Archiepiscopum, sed ad Episcopum; nec poterit Archiepiscopus appellationem recipere, utpote quæ non erit a sententia veri Vicarii generalis, sed meri delegati. Ne ergo dubia et difficultates oriantur, satius est ut parcus sit Episcopus in restringenda per modum reservationis Vicarii sui generalis jurisdictione; vel saltem ipsi Vicarii generales caute perpendant restrictiones ejusmodi, et discernant an, iis attentis, sint veri Vicarii generales, an vero dumtaxat meri delegati, et ad instar Vicariorum foraneorum; ut suam inde agendi rationem recte valeant instituere.

Quæstio 4ª. — *Utrum revocabilitas sit de essentia Vicariatus generalis.* — Certum est Vicarios generales, ex quo in locum Archidiaconorum successere usque nunc, fuisse ad nutum Episcopi revocabiles, et cum morte Episcopi eorum officium expirare. De qua juris communis dispositione nulla est con-

troversia. Hæc tamen conditio non ita inhæret ipsimet vicariatus generalis officio, ut nequeat etiam cum perpetuitate officium ejusmodi concipi et existere. Nam ut quis vere concipiatur et sit Vicarius generalis Episcopi, sufficit eum posse nomine Episcopi jurisdictionem ejus generaliter exercere. Id autem æque verificatur, sive perpetuus in officio sit, sive ad nutum Episcopi revocabilis. Ergo revocabilitas est dispositio juris ad hujus officii accidentalia pertinens, non autem ejus essentiam attingens. Unde si, mutata præsenti disciplina, per decretum Pontificium eidem officio alligaretur perpetuitas, non ideo hodierni Vicarii generales tales esse et vocarii posse desinerent. Confirmatur autem ipsorum Archidiaconorum exemplo : ii enim, quamvis in officio perpetui, habiti sunt et constanter in jure vocati *Vicarii generales* Episcopi.

Quæstio 5ª. — *Quomodo Vicarius generalis differat ab antiquo Archidiacono?* — Recte solvi nequit quæstio hæc, nisi quoad Archidiaconos distinguantur tempora. Certum est decimo tertio sæculo, cum jam imminui cœpisset Archidiaconorum auctoritas, jus commune fuisse, ut eorum tribunal distingueretur a tribunali Episcopi, et ab eorum sententia ad Episcopum daretur appellatio. Constat ex decretali Innocentii IV (3, tit. 15, libri 2, in sexto), in qua sic statuitur : *Ab Archidiaconis vero..., ad suffraganeos ipsos debet (et non ad eamdem Curiam* (1) *omissis dictis suffraganeis) appellari : nisi aliud Remensi Ecclesiæ de consuetudine competat in hac parte.* An vero antea semper idem jus viguerit, difficile mihi persuaserim. Existimarem potius idem primitus fuisse Archidiaconi et Episcopi tribunal : postea vero, ut jam exosa coerceretur Archidiaconorum auctoritas, paulatim inductum ut eorum sententias Episcopi noluerint pro suis agnoscere, sed ab eis appellationem reciperent. Sicque ab essentia vicariatus generalis stricte sumpti Archidiaconos excidisse; siquidem ut supra ostendimus, de essentia vicariatus generalis est, ut idem habeat cum

(1) Nempe curiam Archiepiscopalem Remensem, de qua ibi agitur.

Episcopo tribunal; ejusque actus censeantur ipsiusmet Episcopi.

Facta ergo hac temporum distinctione, sic proposita quæstio solvi potest : si agatur de Archidiaconis antequam eorum tribunal a tribunali Episcopi sejungeretur, nullum erit *essentiale* discrimen Archidiaconum inter et hodiernum Vicarium generalem : erit tamen differentia accidentalis, ob prioris in officio perpetuitatem, posterioris vero revocabilitatem. Si agatur de Archidiaconis jam separatam ab episcopali jurisdictionem exercentibus, essentiale in eo reperitur discrimen, quod illi diversum, Vicarii vero generales idem habeant tribunal cum Episcopo ; ita ut a prioribus pateret ad Episcopum appellatio; quod contrarium est quoad hodiernos Vicarios generales. An autem satis fundata sit memorata quoad Archidiaconos epocharum distinctio, nolumus hic (ne nimium præsens tractatus excrescat) expendere.

Quæstio 6ª. — *Quomodo Vicarius generalis differat a delegato, et a Vicario foraneo?* — Respondeo 1° a delegato ad aliquas dumtaxat causas, et a Vicario foraneo, essentialiter differt duplici modo : *Primo,* quia uterque dictus caret jurisdictione *universali,* quæ, ut vidimus, est de essentia vicariatus generalis; *secundo,* quia uterque habet jurisdictionem divisam et tribunal divisum, a jurisdictione et tribunali Episcopi; ita ut ab ipsis ad Episcopum detur appellatio ; cum contrarium existat et essentialiter requiratur in Vicarii generalis officio. Respondeo 2° a delegato Episcopi *ad universalitem causarum,* differt posteriori tantum, ex prædictis modis. Quæ omnia ex jam stabilitis aperte sequuntur.

Quæstio 7ª. — *Quomodo intelligendum sit, non dari appellationem a sententia Vicarii generalis ad Episcopum.* — 1° Non dari ejusmodi appellationem jam diximus esse omnino certum; et sequitur ex supra exposita vicariatus generalis essentia ; ex eo nempe quod Vicarii generalis jurisdictio essentialiter una atque eadem sit cum jurisdictione Episcopi, et nequaquam ab ista divisa; unde appellare a Vicario generali ad Episcopum,

esset appellare ab eodem ad eumdem ; ac proinde esset non appellare, cum de appellationis essentia sit, ut fiat ad judicem diversum a priori et illi superiorem. Idem præterea expresse decernitur in capite 2, tituli 4, libri 1, in sexto, his verbis : *Non putamus illam consuetudinem, quantocumque tempore de facto servatam, consonam rationi, quod ab officiali Episcopi ad eumdem Episcopum valeat appellari : ne ab eodem ad seipsum, cum sit idem auditorium utriusque, appellatio interposita videatur.* Quod principium, jam supra satis firmatum, et unanimiter a doctoribus receptum, ideo dumtaxat hic revocamus, ut illud applicando, nonnulla nunc magni momenti ejusdem consectaria deducamus. Unde,

2° Certum est non valere ullam in contrariam consuetudinem, quantumvis antiqua sit. Satis patet ex modo citata decretali *Non putamus :* in qua notetur, ait Leurenius, « quod non « valeat consuetudo immemorialis appellandi a Vicario ad Epi- « scopum ; eo quod consuetudo quæ est contra substantiam rei, « de jure impossibilis atque irrationabilis judicari debet : ratio « vero ac veluti substantia appellationis in eo consistat, quod sit « ad alium, eumque majorem judicem provocatio. Episcopus au- « tem ejusque Vicarius seu Officialis principalis unum idemque « tribunal habent, adeoque repugnat ab hoc ad illum appel- « lare » (*de Vicariis Episc.*, cap. 2, quæstio 74).

3° Etiamsi partes consentiant ut fiat a Vicario generali ad Episcopum appellatio, non valebit talis appellatio, et irritus erit processus inde secutus ; quod invicte sequitur ex ipsa appellationis nullitate. Unde frustra Episcopus talem appellationem reciperet, causamque ipse judicaret, vel alteri judicandam committeret ; quia hæc omnia nulla essent atque irrita. (Vide Leurenium, loco citato, et auctores ab ipso adductos.)

4° Præmissum autem consectarium ita extenditur, « ut ne- « quidem detur appellatio talis in requirentibus speciale man- « datum, dum ea simul cum potestate ordinaria commissa « sunt. » (Leurenius, loco citato.)

5° Item extenditur, « Ut procedat tam de appellatione ju-
« diciali, quam extrajudiciali. » (Leurenius, ibid.)

6° « Limitatur e contra : *Primo,* ut non procedat respectu
« causarum specialiter delegatarum Vicario ab Episcopo *extra*
« *commissionem generalem vicariatus.* Quotiescumque enim Vi-
« carius, non ut ordinarius, sed ut delegatus Episcopi procedit,
« appellatio datur ad Episcopum delegantem. Limitatur *se-*
« *cundo,* ut non procedat in appellatione ab interlocutoria
« Vicarii : nihil enim vetat quominus ab ea ad Episcopum appel-
« latio per viam recursus a gravamine interponatur. Sicut enim
« judex ipse decretum suum, quod interloquendo pronuntia-
« vit, revocare, mutare et emendare (etiam sæpius) potest,
« (modo tamen sententia illo interlocutoria, non sit mandata
« executioni); sic etiam Episcopus, cum eamdem jurisdictio-
« nem et auditorium cum Vicario habeat, sententiam, quam
« Vicarius ipse interloquendo pronuntiavit, tanquam a seipso
« prolatam corrigere et emendare poterit. Observandum quo-
« que hic, quod a Vicariis detur appellatio ad eorum Princi-
« pales, dum hi sunt supremi principes, non agnoscentes su-
« periorem propter defectum superioritatis. Sic tradit Pax-
« Jordanus, a Vicario Papæ ad Papam appellari posse. » (Leu-
renius, *de Vicariis Episc.*, cap. 2, quæst. 74.)

Quæstio 8ª. — *An Episcopus possit concedere restitutionem in integrum contra sententiam sui Vicarii generalis : et an Vicarius idem possit, tum contra suam, tum contra Episcopi sententiam?* — Quæstio hæc aliam præsupponit : an nempe judices Ordinarii possint contra propriam suam definitivam sententiam restitutionem in integrum concedere (1). Quam quæstionem tractamus infra (sectione 5, cap. 2, § 2, quæst. 6 et 8). Ibi scilicet distinguimus inter juris scripti dispositiones, et contrariam

(1) Restitutio in integrum a jurisconsultis definiri solet, *remedium extraordinarium, quo læsi in eum statum, in quo ante læsionem fuerunt, per officium judicis reducuntur.* (Vide canonistas, in titulum 41, libri 1 decretalium, initio eorum commentarii.)

generalem consuetudinem. Et juris quidem communis dispositionibus inhærendo, dictam restituendi potestatem Ordinariis vindicamus : ex inducta autem contraria consuetudine, jam non possunt Ordinarii (inferiores Papa) restitutionem in integrum, contra sententiam definitivam a seipsis prolatam concedere ; sed restitutio hæc a judice appellationis, vel a Sede Apostolica obtinenda est.

Quo prænotato, ad præsens quæsitum deveniendo, pariter distinguendum est :

1° Attenta præasserta consuetudine, dicendum Episcopum nec contra propriam sententiam posse restituere, nec etiam contra sententiam Vicarii sui generalis, utpote quæ de jure habetur pro ipsamet sententia Episcopi.

Item, a fortiori, Vicarius generalis nec contra suam, nec contra Episcopi sententiam restituere valebit.

2° Abstrahendo autem a prædicta consuetudine, et hærendo communi juri scripto, aliter solvenda foret quæstio : nempe,

*Primo,* Episcopus posset et contra suam, et a fortiori contra Vicarii sui sententiam restituere. Est enim Ordinarius administrationem habens : porro decretalis *Causa* (9, tituli 41, libri 1 decretalium) *Ordinariis administrationem habentibus* expresse tribuit potestatem causas restitutionis in integrum tractandi atque finiendi.

*Secundo,* Vicarius item generalis contra suam sententiam restituere posset ; cum (ex supra probatis) ejus jurisdictio sit ordinaria, ac proinde inter *Ordinarios administrationem habentes* et ipse numerandus sit.

*Tertio*, contra sententiam etiam Episcopi posset Vicarius generalis restitutionem in integrum concedere ; prout cum Sbrozio (lib. 3, q. 13, n. 5) tradunt multi canonistæ contra paucos.

Sed, ut dictum est, generalis jam usus obtinuit, ut, ad obtinendam dictam restitutionem, adiri debeat, non ipsummet tribunal a quo sententia manavit, sed judex superior seu appellationis.

Quæstio 9ª. — *An a sententia Vicarii generalis possit, non*

*quidem appellari, sed supplicari ad Episcopum.* — Non satis cohærenter hac de re locuti mihi videntur nonnulli auctores. Leurenius, verbi gratia, postquam (capite 2, *de Vicarius Episcop.*, quæst. 77) generaliter sustinuit non esse locum ejusmodi supplicationi, postea (quæst. 79) admittit supplicari posse tum propter gravamen illatum a Vicario generali, tum ratione nullitatis sententiæ ab eo pronuntiatæ. Diligenter ergo expendenda quæstio est, atque imprimis ab ambiguitate quam præsefert discriminanda.

Quadruplicem nempe ob finem concipitur fieri posse dictam ad Episcopum supplicationem : 1° ut obtineatur gratia, id est, remissio pœnæ per sententiam Vicarii generalis impositæ ; 2° ut obtineatur restitutio causæ in integrum ; 3° ut Episcopus irritet Vicarii generalis sententiam, quatenus ipso jure nullam ; 4° ut eam irritet quatenus injustam. Quæstionem quoad istos quatuor casus expendamus.

1° Potest fieri supplicatio ad Episcopum in hunc finem ut obtineatur gratia : certum est enim posse Episcopum alicui a Vicario generali condemnato gratiam facere, id est, pœnam ad quam damnatus est condonare.

2° Quæstio an possit fieri supplicatio ab obtinendam restitutionem in integrum, recidit in quæstionem (sub numero 8 modo tractatam) an Episcopus possit contra sententiam Vicarii sui generalis restituere ; atque eodem modo est solvenda.

3° Item quæstio, an possit fieri supplicatio ad Episcopum, ut nullam Vicarii sui generalis sententiam declaret, pendet ab altera quam infra tractamus (sectione 5, cap. 2, § 1, q. 2), utrum nempe querela nullitatis tractari possit a judice Ordinario qui sententiam pronuntiavit, an vero ad judicem appellationis necessario deferenda sit. Loco autem indicato ita concludimus : attento *jure scripto*, querela nullitatis, tum ab Ordinario qui sententiam tulit, tum a judice appellationis cognosci potest et dirimi. Ex *hodiernis vero moribus* introductum, ut de ea solus judex appellationis pronuntiet. Hinc, ad supplicationem quod attinet, si a prædicta consuetudine abstra-

heretur, et solum jus scriptum perpenderetur, posset Episcopo supplicari contra nullitatem sententiæ ab ipsius Vicario generali prolatæ. Si enim possit Episcopus de propriæ suæ sententiæ nullitate pronuntiare, et illam sententiam retractare, a fortiori id poterit quoad sententiam Vicarii sui.

4° Quæstio an possit fieri supplicatio ad Episcopum, ut sententiam Vicarii sui generalis injustam declaret atque eam corrigat, omnino negative solvenda est. Nam,

*Primo,* admitti nequit legem canonicam, quæ prohibet ne a Vicario generali ad Episcopum appelletur, esse inanem et absonam : atqui talis foret si daretur supplicatio in sensu exposito : quoties enim quis vellet appellare a sententia generalis Vicarii ad Episcopum, mutando vocem *appello* in vocem *supplico,* intentum consequeretur.

*Secundo,* recursus ad judicem diversum ut injusta prioris sententia corrigatur, quocumque nomine vocetur, est vera et proprie dicta appellatio : sed supplicatio de qua agimus nihil aliud est quam recursus in dicto sensu ; ergo est vera appellatio. Cum ergo prohibeatur appellatio a Vicario generali ad Episcopum, prohibita etiam censenda est præfata supplicatio contra injustam Vicarii generalis sententiam.

Equidem nonnulli canonistæ, inter quos Layman (in caput *Non putamus* 2, *de Consuetud.*, in 6), existimarunt, *propter gravamen illatum a Vicario generali supplicari posse Episcopo; eo quod rejecta appellandi facultate, concedatur saltem querelæ seu supplicationis remedium* (Layman, loco citato) : sed si hoc dicti auctores intelligant de supplicatione ad hunc effectum, ut Episcopus Vicarii sui sententiam, non quatenus ipso jure nullam, sed *quatenus injustam* corrigat ac revocet, minus recte rem intellexisse, atque in hoc derelinquendi videntur.

Si autem vera sit quam sustinuimus sententia, sequitur merito queri posse Archiepiscopum, et suffraganeum in jus vocare, si is per viam, seu potius sub prætextu supplicationis, cognoscat de sententiis Vicarii sui generalis, ad effectum pronuntiandi de earum injustitia. Cum enim certum sit omnino

jus Metropolitani appellationes recipiendi a sententiis per suffraganeorum suorum Vicarios generales prolatis (et quidem privative ad ipsosmet suffraganeos), si quis Episcopus suffraganeus de Vicarii sui generalis sententia cognoscat, ut videat num sit injusta, et de injustitia pronuntiet, hoc ipso lædit jus metropolitani sui. Quia, quantumvis id faciat sub nomine *supplicationis*, in re tamen cognoscit de causa in gradu appellationis, cum talis supplicatio, ut dictum est, nihil aliud sit quam vera et proprie dicta appellatio.

Quæstio 10ª. — *An Episcopus causam pendentem coram Vicario suo ad se revocare possit, aut etiam ei inhibere ne judicet in certa causa.* — Respondendum affirmative ; estque communis doctorum sententia, de qua nulla movetur difficultas. Quamvis enim nequeat Episcopus, quin Vicarius generalis talis esse desinat, ita jurisdictionem ejus per reservationes restringere, ut jam non sit moraliter universalis, potest tamen per modum exceptionis et reservationis, in hac aut illa causa eam restringere. Ergo potest Vicario suo generali jurisdictionem adimere quoad causam coram ipso pendentem, et quoad causam aliquam adhuc integram. Quod si faciat, jam non poterit Vicarius generalis in ejusmodi causa sese intromittere.

Quæstio 11ª. — *Num appellari possit a delegato Episcopi ad Vicarium generalem.* — Controvertitur, ut videre est apud Leurenium (*de Vicariis Episc.*, cap. 2, q. 81). Mihi tamen videtur affirmative respondendum. Nam stat principium generale, posse Vicarium generalem omnia quæ potest jurisdictionaliter Episcopus, exceptis quæ jus excepta voluit, vel quæ Episcopus sibi reservavit. Aliunde vero, nullo textu ad rem faciente probatur, prohibitum fuisse Vicario generali ne dictam appellationem recipiat. Ergo nisi eam sibi reservaverit Episcopus, competentiam generalis Vicarii excedere nequaquam censenda est. Nec objiciatur Episcopum Vicarii sui generalis quoad aliquam causam jurisdictionem adimere, hoc ipso quod causam illam alteri deleget : hoc enim verum est dumtaxat quoad primam instantiam; unde nequibit Vicarius

generalis impedire ne delegatus ab Episcopo causam judicet; neque, dum causam cognoscit idem delegatus, in ea sese intromittere. Atvero postquam a delegato pronuntiata sententia fuit, si ab hac appelletur, poterit Vicarius generalis, utpote verus Ordinarius, appellationem recipere. Neque ulla est ratio cur censendus sit Episcopus hanc appellationem sibi reservasse; cum nullo modo repugnet velle Episcopum ut aliqua causa, non a Vicario generali, sed ab aliquo delegato judicetur, et nihilominus simul velle ut, si fiat appellatio, Vicarius generalis de ea cognoscat. Ergo nisi expresse Episcopus inhibeat Vicario suo generali ne appellationem ejusmodi recipiat, eam recipere poterit.

Quæstio 12ª. — *Num Vicarius generalis, Episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto, jurisdictionem exercere possit.* — Respondendum negative, cum communi doctorum sententia. « Ratio est quia unum idemque est tribunal Episcopi et Vica-« rii illius; adeoque sicut per excommunicationem suspensio-« nem, etc. Episcopi suspenditur jurisdictio, ita etiam Vicarii « illius... Extenditur responsio, ita ut Vicarii jurisdictio su-« spendatur etiam quoad negotia jam incepta. Extenditur « quoque ad subvicarium seu substitutum Vicarii... Ita ut su-« spensa quoque sit istius subvicarii jurisdictio. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, cap. 2, q. 89.) Supponitur autem Episcopum fuisse nominatim excommunicatum : si enim non sit excommunicatus vitandus, sed toleratus, jurisdictionem retinet; ac proinde eam etiam retinet ejus Vicarius generalis. (Vide Leurenium, loco citato.)

Quæstio 13ª. — *An recusari possit Vicarius generalis tanquam suspectus, ex eo quod adsit ratio legitima recusandi Episcopum tanquam suspectum?* — « Respondeo (ait Leurenius, loco cita-« to, q. 90), in hoc non convenire auctores. » Ego vero non video, quomodo Vicarius generalis, ex ea sola ratione quod sit ad nutum Episcopi revocabilis, non sit merito suspectus quando ipse Episcopus suspectus est. Merito enim timendum est ne Vicarius generalis, prævidens alioquin sibi imminere

muneris sui amissionem, juxta mentem Episcopi sui judicet. Et generatim quando Episcopus suspectus est, omnes ejus officiales et familiares esse merito suspectos, communius tenent doctores. Porro Vicarius generalis est officialis Episcopi, et ejus familiaris censendus est. Rationes in contrarium vim non habere, vide apud Leurenium, citato loco.

Quæstio 14ª. — *Num recusari possit Episcopus ex eo quod adsit ratio legitima recusandi ejus Vicarium generalem tanquam suspectum.* — « Respondeo neque in hoc convenire auctores. » (Leurenius, loco citato, q. 91.) Mihi vero videtur ex eo præcise quod suspectus sit Vicarius generalis, pro suspecto non esse habendum Episcopum. Episcopus enim non pendet, quoad conservandum munus suum, a Vicario suo; sicut e contra Vicarium ab Episcopo pendere, supra adnotavimus. Aliunde, causa quæ Vicarium reddit suspectum, potest esse omnino ab Episcopo aliena. Quis non videt, verbi gratia, rationem recusandi Vicarium ut suspectum, ex eo quod sit cognatus uni ex litigantibus, minime afficere Episcopum qui eidem litiganti nullatenus est cognatus? Ergo nisi causa suspicionis extendatur etiam ad Episcopum, nequaquam is recusari poterit ex eo quod suspectus sit Vicarius. Quando autem causa suspicionis communis est Episcopo et ipsius Vicario, ut si, verbi gratia, uterque alteri ex litigantibus cognatus sit, recusari quidem poterit ea de causa Episcopus; non autem præcise et ex eo solo quod suspectus sit Vicarius generalis.

Quæstio 15ª. — *Quando Episcopus plures constituit Vicarios generales, an unusquisque habeat jurisdictionem in solidum, et possit sine aliis eam exercere?* — Probat Leurenius (loco citato, q. 93) Vicarios generales, quando plures constituuntur, censeri constitutos in solidum; ac posse proinde unumquemque absque aliis causas cognoscere; et dari consequenter locum præventioni; ita scilicet, ut si unus causam præoccupaverit, nequeant alii in ea sese intromittere. In praxi autem solent Episcopi jubere, ut unus unam dumtaxat jurisdictionis speciem, verbi gratia, voluntariam exerceat, alius vero alteram,

verbi gratia, contentiosam. Per hanc tamen Episcopi jussionem, unusquisque Vicarius generalis non amittit generalitatem jurisdictionis; alioquin enim desineret esse Vicarius generalis et fieret merus delegatus. Unde si, non obstante hac Episcopi jussione, prohibitam sibi jurisdictionis speciem exerceret, validus esset actus; quamvis merito propter hoc posset eum Episcopus punire et exauctorare.

## § III.

### De Vicariatus generalis et Officialitatis essentiali identitate.

Cum in nonnullis regionibus vigeat consuetudo Vicarium generalem ab Officiali distinguendi, facile mentem subire posset erronea opinio, diversam esse utriusque muneris jurisdictionem seu potestatem. Qui error nisi præcaveretur, multa in praxi sequi possent absona et anticanonica. Diligenter ergo exquirendum est in quo præcise stet apud dictas regiones Officialis et Vicarii generalis discrimen; et an reponendum sit in aliqua jurisdictionis differentia, an vero eadem remanente penes utrumque potestate, differant dumtaxat ex facto quodam extrinseco, dictæ potestatis identitatem nullatenus auferente.

Propositio I^a^. — *De jure communi Vicarii generalis et Officialis nomina synonyma sunt, et idem omnino officium exprimunt.* — Probatur 1° ex testibus juris. In decretali *Cum nullus* (3, tituli 9, libri 1, in sexto), sic statuitur circa potestatem concedendæ clericis facultatis ut ab alieno Episcopo ordinari possint : *Inferiores quoque Prælati..., vel Officialis Episcopi, hujusmodi nequeunt licentiam impertiri. Episcopo autem in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius generalis, vel Sede vacante capitulum..., dare possunt licentiam ordinandi.* Patet ex ipso textu et ex unanimi interpretum consensione, eumdem qui vocatur primum *Officialis Episcopi,* vocari postea *Vicarium generalem.* Item capite *Cum in generali* (3, tituli 13, libri 1, in

sexto), sic occurrit : *Officialis aut Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non possunt.* Quæ locutio multis canonistis indicare visa est, duo nomina pro synonymis haberi. Glossa tamen in hoc caput sic advertit : « Nota argumentum pro et contra, « quod idem est dicere *Officialis* quod *Vicarius :* de quo hic « per Dominicum. » Sed difficultatem omnem (si quam relinquerent prædicti textus) Tridentini caput 16 (sessionis 24, *de Reformatione*) plane sustulit. Ibi enim jubetur capitulum, Sede vacante, *Officialem seu Vicarium* constituere, vel existentem confirmare ; atque insuper œconomum. In casu autem negligentiæ, deputatio hæc ad Metropolitanum devolvitur. Et, si negligens in hac re sit ipsummet capitulum Metropolitanum, sic statuitur : Antiquior Episcopus ex suffraganeis *œconomum et Vicarium idoneos* possit constituere. Quibus, et subsequentibus etiam locutionibus, aperte indicant Tridentini Patres, se per *Officialem* et *Vicarium generalem* idem prorsus intellexisse.

Probatur 2°, ex communi doctorum consensu : « Vicarius « generalis Episcopi (ait Ferraris), in jure appellatur etiam « Officialis. » (Ad vocem *Vicarius generalis,* art. 1, n. 2.) Item Leurenius (*de Vicariis Episc.*, cap. 1, quæst. 17) : « Vicarius « generalis et Officialis (intellige principalis) idem significant ; « et in effectu nulla inter eos nisi in nomine versatur differen- « tia (*ibi autem citat Leurenius plurimos canonistas idem docen- « tes*). Dixi et Officialis *Principalis;* nam quandoque duo sunt « in diœcesi Officiales : unus principalis, qui generatim vices « Episcopi gerit, saltem in spiritualibus : alter vero officialis « minus principalis et priori subordinatus, vel qui consistorio « Episcopi præest in certis tantum causis, verbi gratia, in ma- « trimonialibus. Et patet hunc Officialem minus principalem, « etsi simpliciter quoque dicatur officialis, non esse eumdem « cum Vicario generali ; quia ei subordinatus est, ejusque ju- « risdictio delegata. » Item Layman : « Utrum discrimen sit « inter Vicarium generalem et Officialem principalem Epi- « scopi? Respondeo, in jure canonico appellationes istas pro

« eodem accipi. » (In cap. *Romana* 1, *de Officio Vicarii*, in « sexto, n. 3.)

Propositio II^a^. — *Non potest facere Episcopus, ut qui voluntariam dumtaxat jurisdictionem valet exercere, sit verus Vicarius generalis in sensu juris.* — Nequit enim Episcopus facere ut Vicarius generalis ille sit, qui caret attributione vicariatus generalis constitutiva et essentiali; atqui talis foret Vicarius Episcopi qui voluntariam dumtaxat jurisdictionem valide posset exercere : ad essentiam enim vicariatus generalis pertinere ut ipsi competat *generalitas* seu *universalitas* (moraliter saltem intellecta) *jurisdictionis episcopalis,* supra probatum est (hujus capitis, § 1) : sed penes eum, qui voluntariam tantum, non autem contentiosam, Episcopi jurisdictionem valide exercere potest, nullatenus stat jurisdictio Episcopi *generalis* seu *universalis;* habet quippe dumtaxat dimidiam illius jurisdictionis partem : ergo nequit esse verus, in sensu juris Vicarius generalis.

Hinc Vicarius qui ab Episcopo deputaretur expresse et restrictive ad voluntariæ jurisdictionis exercitium, nequaquam foret Vicarius generalis, sed merus delegatus; ipsique applicandæ forent dispositiones juris quæ delegatum, non autem quæ generalem Episcopi Vicarium respiciunt.

Propositio III^a^. — *Non potest facere Episcopus, ut qui contentiosam dumtaxat jurisdictionem valet exercere, sit verus Officialis in sensu juris.* — Nam, ex propositione prima, Officialis proprie dictus seu principalis, omnino idem est ac Vicarius generalis Episcopi ; ita ut in officialem hujusmodi jus canonicum non agnoscat nisi eum qui sit vere generalis Episcopi Vicarius : ergo omnia essentialia ad constituendum Vicarium generalem, sunt etiam essentialia ad constituendum Officialem : sed, ut modo probavimus, ad constituendum Vicarium generalem requiritur jurisdictionis Episcopalis generalitas seu universalitas; ergo eadem universalitas ad efficiendum verum in sensu juris Officialem pariter requiritur. Jam vero, qui contensiosam dumtaxat jurisdictionem valide exerere valet, non *universalem Episcopi*

jurisdictionem habet, sed dimidiam ejus partem tantum; ergo nequit esse verus, in sensu juris, Officialis. Hinc Officialis qui ab Episcopo deputaretur expresse et restrictive ad contentiosæ jurisdictionis exercitium, nequaquam foret proprie dictus Officialis, sed merus delegatus; ipsique applicandæ forent dispositiones juris quæ delegatum, non autem quæ Officialem proprie dictum respiciunt.

Propositio IV^a^. — *Potest Episcopus aliquem Officialem suum, seu (quod idem est) aliquem suum Vicarium generalem, sub pœna revocationis, non autem sub pœna nullitatis actuum, cogere, ut vel contentiosam tantum, vel voluntariam tantum jurisdictionem exerceat.* — Nam certum est Vicarium generalem esse ad nutum Episcopi revocabilem; et cum Officialis idem sit in jure ac generalis Vicarius, certa est pariter Officialis revocabilitas; ergo potest Episcopus utrumque revocare, si officium suum modo a se præscripto non expleat. Ergo si, jussus ab Episcopo talem dumtaxat jurisdictionem exercere, ulterius procedat, poterit ob hoc Episcopus eum exauctorare.

Sed antequam revocetur, valebunt actus jurisdictionis contentiosæ ab eo gesti, qui jussus est solam voluntariam jurisdictionem exercere; et vice versa valebunt actus jurisdictionis voluntariæ illius, qui jussus est solam contentiosam exercere; neque pendet ab Episcopo ut actus illi sint irriti. Nam ex hypothesi, uterque est verus Vicarius generalis seu verus Officialis: hoc ipso autem habet *universaliter* utramque jurisdictionem Episcopi, voluntariam scilicet et contentiosam: et, nisi eam sic *generaliter* haberet, neuter esset Vicarius generalis aut Officialis, sed merus delegatus. Jam vero actus gesti ab habente jurisdictionem sunt validi, quantumvis prohibuerit Episcopus ne ad eos deveniretur.

Propositio V^a^. — *Discrimen Officialem inter et Vicarium generalem, in iis regionibus in quibus duo hæc officia distinguntur, non provenit ex diversa eorum jurisdictione, sed ex præcepto Episcopi, ut unus voluntariam, alter contentiosam dumtaxat jurisdictionem exerceat.* — Verum est in nonnullis regionibus distingui Vica-

rium generalem ab Officiali; ita ut Vicarius generalis dicatur qui *de facto* voluntariam tantum jurisdictionem exercet; Officialis vero qui *de facto* exercet dumtaxat contentiosam. « In « aliquibus regionibus ultra montes (ait Benedictus XIV, *de « Syn. diœc.*, l. 3, c. 3, n. 2), præsertim in Gallia et Belgio, « usus obtinuit, ut (Vicarius generalis) ab Officiali distinguatur; « et *Vicarius* nuncupetur qui ea exercet quæ sunt jurisdictio- « nis voluntariæ; *Officialis* vero, qui jurisdictioni præest con- « tentiosæ. » Imo dictæ consuetudini sese adamussim aptat curiæ Romanæ praxis, prout, inter alios, sic adnotat Leurenius (*de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 17, n. 2) : « Tametsi igitur « Officialis principalis Episcopi et Vicarius generalis idem sint, « ex usu tamen et consuetudine, tam datariæ quam cancella- « riæ Apostolicæ, litteræ Sedis Apostolicæ (quæ semper com- « mittuntur Vicariis Episcoporum, sive beneficiales sint, sive « dispensationum Matrimonialium, sive continentes mandatum « aliquod aliud ad gratiam), si ad regiones ultramontanas (puta « Hispaniam, Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Afri- « cam, etc.) dirigantur, semper inscribuntur Officiali, sive adhi- « betur terminus *Officialis :* verbi gratia : *dilecto filio vene- « rabilis fratris nostri Episcopi Monasteriensis Officiali;* vel « simpliciter : *dilecto filio Officiali Monasteriensi.* Litteræ vero « destinatæ ad regiones cismontanas (verbi gratia, ad Italiam, « Hungariam, Dalmatiam, Albaniam, Sclavoniam, Cyprum, « Cretam, et partes Orientales, item Siciliam, Corsicam, Sardi- « niam, etc.), inscribuntur Vicario generali; verbi gratia : « *dilecto filio Vicario venerabilis fratris nostri Episcopi Bononiensis « in spiritualibus generali.* » Certus ergo et legitimus est prædictæ distinctionis usus.

At vero ex hac consuetudine nequaquam inferri potest diversam esse in seipsa jurisdictionem ejus qui, in dictis regionibus, vocatur Officialis, et ejus qui Vicarius generalis nuncupatur. Nam intacta remanente juxta jus commune, jurisdictionis et officii identitate, satis fundatur dicta distinctio in accidentali illo Episcopi præcepto, quo unus voluntariam dumtaxat, alter

vero contentiosam jurisdictionem exercere jubetur. Cum nempe ita soleant in his regionibus Episcopi disponere, invaluit usus ut distinguerentur per id quod *de facto* ordinarie agunt, non attendendo ad id quod *de jure* potest uterque valide agere. Esse autem ita intelligendam distinctionem hanc, rigorose probatur ex eo quod, in his etiam regionibus, qui dicitur Vicarius generalis, habeatur tanquam verus Vicarius generalis in sensu juris, valeantque ipsius actus, non tanquam meri delegati, sed tanquam proprie dicti Vicarii generalis : itemque gestis per Officialem is existimetur inhærere valor, qui officialitatis proprie dictæ, non meræ dumtaxat delegationis, proprius est. Porro nisi voluntariam simul et contentiosam jurisdictionem Episcopi *generaliter* haberet, qui dicitur Vicarius generalis, esset merus delegatus, ut supra ostendimus : et idem dicendum de Officiali.

*Objicies.* In Gallia, Officialis olim, non tantum de facto non exercebat nisi contentiosam jurisdictionem, sed nec poterat valide exercere alteram : et vice versa Vicarius generalis. *Respondeo* 1° Nego assertum donec probetur. *Respondeo* 2° Si ita in aliqua diœcesi Galliæ se rem habuisse probetur, distinguo : et ibi Officialis Vicariusque generalis fuerunt meri delegati concedo; et fuerunt verus Vicarius generalis verusque Officialis in sensu juris, nego. *Respondeo* 3° Etiamsi olim in Gallia id juris particularis ex consuetudine introductum fuisset, ut deputatus cum sola contentiosa jurisdictione pro vero Officiali quoad juris effectus reputaretur, annullatum jus illud particulare censendum esset per bullas Pii Papæ VII, quibus Galliarum Ecclesiæ omnes suppressæ et extinctæ fuerunt, cum omnibus juribus particularibus iisdem inhærentibus (vide id fuse probatum in tractatu meo *de Principiis juris canonici*). Unde nunc in Gallia, juxta normam juris communis intelligendum est Vicarii generalis et Officialis munus ; ita scilicet ut quoad essentialem eorum potestatem nullatenus differant, licet possint sicut antea Episcopi Galliæ præcipere uni ut solam voluntariam, alteri ut solam contentiosam exerceat jurisdictionem.

Propositio VI^a. — *In formula deputationis Vicarii generalis vel Officialis, debet expresse vel æquivalenter dici, eum deputari ad exercendam generaliter jurisdictionem Episcopi.* — Sequitur ex præcedentibus. Nam si deputetur dumtaxat ad certam quamdam partem jurisdictionis episcopalis, jam non erit neque Vicarius generalis, neque Officialis; sed merus delegatus, ut supra probatum est: ergo exprimi debet aliquo modo cum deputari cum *generalitate* seu universalitate jurisdictionis. Satis autem id exprimetur si dicatur constitui in *Vicarium generalem* seu *in Officialem* Episcopi; quia illæ denominationes (per se, et nisi contrarium in reliqua formula contineatur), intelligendæ veniunt de Vicario generali et de Officiali proprie dictis et in sensu juris; ac consequenter de Vicario generali seu Officiali cum *generalitate* jurisdictionis deputato.

Ex dictis patet insuper, necessarium non esse ut Episcopus diversa formula utatur in constituendo Vicario generali et Officiali; sed potest eadem formula utrumque deputare sub communi Vicarii generalis nomine; postea vero distinctionem inter utrumque decernere, præcipiendo oretenus uni ut solam voluntariam, alteri ut solam contentiosam jurisdictionem exerceat. De quo præcepto non expedit mentionem fieri in ipsa deputationis formula, ne ex eo videatur restringi concessæ jurisdictionis *generalitas*, et sic dubium oriatur num forte deputatus pro mero delegato habendus sit.

Formulam autem ipsam deputandi Vicarii generalis habes parte 6, sectione 1.

## CAPUT III.

### DE VICARII GENERALIS CONSTITUTIONE.

Hic expendendum venit: 1° quis valeat constitui Vicarius generalis, seu de qualitatibus a jure ad tale officium requisitis; 2° a quo possit constitui Vicarius generalis; 3° an teneatur

Episcopus Vicarium generalem constituere; 4° quotuplex constitui possit Vicarius generalis; 5° qua forma constitutio hæc fieri debeat.

§ 1.

Quis valeat Vicarius generalis constitui, seu de requisitis ad ejusmodi officium qualitatibus.

Quæstio 1ª. — *An et quatenus requiratur ut sit clericus?* — Certum est non posse assumi in Vicarium generalem nisi clericum. Id constat ex eo quod laici ecclesiastica negotia tractare prohibeantur, prout statuitur capite *Decernimus* (2, *de Judiciis*), aliisque pluribus juris textibus.

Unde quod saltem tonsuratus esse debeat Vicarius generalis, est unanimis doctorum sententia. « Potest nihilominus pure « laicus de licentia et concessione Papæ esse Vicarius genera- « lis Episcopi in spiritualibus. Potest enim Papa laico deman- « dare causas clericorum etiam criminales. » (Laurentius, *de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 37.) 2° Non tamen requiritur ut sit in majoribus minoribusve ordinibus constitutus. Est pariter unanimis doctorum sententia; quæ in eo fundatur, quod nulla extet lex ecclesiastica, ad jus commune pertinens, quæ id necessarium fecerit; aliunde vero simplex tonsuratus sit capax jurisdictionis spiritualis. 3° In regnis tamen Hispaniarum, Vicarius generalis debet esse sacerdotali ordine insignitus; ex constitutione *Decet Romanum* Clementis VIII, quæ hodiedum quoad hoc vigere censenda est. 4° Quoad hodiernas Galliæ Ecclesias nulla mihi occurrit ratio dubitandi quin vigeat jus commune, id est, quin possit in Vicarium generalem assumi simplex tonsuratus. Nihil enim in Concordato anni 1802 reperitur de Vicariis generalibus statutum. Solius autem secularis potestatis ordinationes seu decreta, vim non habent immutandi juris ecclesiastici. 5° Cum clericis, majoribus ordinibus nondum initiatis, illicitum non sit uxorem ducere, orta est inter canonistas quæstio, utrum clericus hic et nunc matrimonio

vinctus, possit in Vicarium generalem Episcopi assumi. Et *primo* quidem respondendum est negative quoad bigamum, id est, quoad eum qui bis uxorem duxit; cum ita decretum sit capite unico, *de Clericis conjugatis*, in sexto. *Secundo*, etiam non bigamus, et sive duxerit viduam, sive etiam virginem, inhabilis est ad officium Vicarii generalis. Est communis canonistarum doctrina; quam quidem non ex ullo expresso juris textu deducunt, sed ex generali principio, quod clericus conjugatus reputetur pro laico. Et juxta hanc doctrinam respondisse Sacram Congregationem Episcoporum et regularium testatur Ferraris (verbo *Vicarius generalis*, art. 1, n. 19). Similem quæstionem movent canonistæ de clerico, qui, dum esset magistratus sæcularis, pronuntiavit sententiam sanguinis. Quam resolutam reperies apud Leurenium (*de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 46), in hunc sensum: si nundum clericus dictam sententiam pronuntiavit, debuit dispensationem irregularitatis obtinere, ad primam tonsuram recipiendam: obtenta autem hac dispensatione, nulla alia indigebit ut possit Vicarius generalis constitui. Si jam clericus erat, cum dictam sententiam pronuntiavit, cecidit quidem etiam tunc in irregularitatem; non tamen ideo amisit clericalia privilegia; unde et poterit, absque dispensatione, Vicarii generalis munus obire.

Quæstio 2ª. — *Quænam in Vicario generali requiratur ætas.* — Respondeo: requiritur ætas 25 annorum inchoatorum. Probatur primo capite *Licet*, et capite *Cum in cunctis, de Elect.*, in sexto: nam ibi dicta ætas requiritur in iis quibus cura animarum imponitur: porro Vicarii generalis officio inhæret animarum cura, cum penes ipsum resideat generalis et ordinaria jurisdictio. Probatur secundo capite 12, sessionis 24 Tridentinæ synodi: nam ibi 25 annorum ætas requiritur ad dignitates, quibus animarum cura subest: inter hujusmodi autem dignitates vicariatus generalis est reputandus. Doctores insuper in hac re omnino concordare reperies.

Quæstio 3ª. — *An possit esse Vicarius generalis qui ortus non est ex matrimonio legitimo.* — 1° Certum est eum qui natalium

defectum patitur, posse cum dispensatione Episcopi promoveri ad ordines minores et ad beneficium non curatum. Id expresse decernitur capite 1, tituli 11, libri 1, in sexto. 2° Absque dispensatione Pontificia non potest promoveri nec ad majores ordines, nec ad beneficia curam animarum habentia, prout expresse etiam decernitur citato capite. Ergo absque Pontificia dispensatione nequibit illegitimus assumi in Vicarium generalem. Sed remanet secundaria quæstio solvenda, an scilicet sufficiat obtentam a Papa fuisse dispensationem ad sacros ordines, ut absque nova dispensatione possit illegitimus vicariatu generali fungi? Negative respondet Leurenius (*de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 44), qui sigillatim probat, dispensatum a Papa ad ordines etiam sacros, non esse dispensatum ad beneficia curata : dispensatum a Papa ad beneficia curata, non esse dispensatum ad dignitates : dispensatum a Papa ad dignitates, non esse dispensatum ad dignitates curam animarum adnexam habentes. Cum ergo vicariatus generalis sit dignitas curata, illegitimus ex dispensatione Papali factus sacerdos, non poterit absque nova dispensatione Pontificis constitui Vicarius generalis.

Quæstio 4ª. — *Utrum Vicarius generalis debeat esse doctor, et in qua facultate.* — 1° Difficultate non caret quæstio illa ; ita etiam ut in varias sententias abierint doctores, dum alii negant requiri ullam lauream ; alii affirmant requiri doctoratum vel in theologia, vel in jure canonico ; alii in jure sacro gradum necessarium existimant ; ut videre est apud Leurenium (*de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 49).

2° Certum est nullum extare juris textum, quo expresse decernatur laureæ necessitas, quoad Vicarium generalem Episcopi. Nam caput 16, sessionis 24 Tridentini concilii, exigit quidem doctoratum *saltem in canonico jure ;* sed ibi sermo est de Vicario capitulari, non de Vicario generali Episcopi. Unde recte Cardinalis de Luca (ad Tridentinum, discursu 51, n. 14), de Vicario generali Episcopi loquens, ita affirmat : *Tametsi nullibi cautum sit quod debeat esse doctor.*

3° Ferraris autem (verbo *Vicarius generalis,* art. 1, n. 38), testatur de plurimis Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium declarationibus, quibus, si sint authenticæ, et ad rem faciant, quæstio jam soluta omnino censenda foret. « Debet (inquit ille) esse doctor vel licentiatus in jure canonico « (Sacra Congregatio Episcoporum et reg., in Polignanensi, « 28 augusti 1582; in Tridentina, 6 octobris 1645; et sæpissime « alibi). Unde si ad Sacram Congregationem Episcoporum habeatur recursus contra Episcopum non retinentem Vicarium « jurisperitum, solet ipsa demandare ut retineat Vicarium generalem doctorem, ut testatur Monacelli (parte 2, tit. 16, « formula 7, n. 3). Et hoc præcipue locum habet quando Episcopus ipse theologus sit et non jurista (Sacra Congregatio « Episcoporum, in Cajacensi, 11 maii 1594; et in una Montisfalisci, 12 augusti 1650). Nec sufficit (Vicarium generalem) « esse theologum (Sacra Congregatio Episcoporum, in Surrentina, 15 novembris 1605); et interim donec provideatur, « datur doctor pro consultore. Aliquando tamen Sacra Congregatio Episcoporum concessit posse Episcopum tenere « Vicarium non doctorem, alias tamen idoneum, præsertim « dum Episcopus jurista residet (eadem Congregatio, in Tragurien si, 15 junii 1590; et in Oriensi seu Oritana, 29 maii « 1593). »

De stylo Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium, mandandi Episcopis ut habeant Vicarium generalem doctorem, testatur pariter Monacelli (parte 2, tit. 16, formula 7, n. 3), addens : *Quamvis in jure nullibi cautum sit, ut talis Vicarius debeat esse doctor.*

Utrum autem ex dicto præfatæ Congregationis stylo inferri debeat doctoratus necessitas, etiam quoad validitatem actuum a Vicario generali gestorum, mihi non satis liquet. Non enim citatas a Ferrario decisiones satis exploratas habeo; et conferendus insuper esset de eadem re Sacræ Congregationis Concilii stylus.

Quæstio 5ª. — *An religiosi possint esse Vicarii generales*

*Episcopi?* — Rem citissime expedit Ferraris (ad vocem *Vicarius generalis*, art. 1, n. 21), nonnullas allegando Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium decisiones. « Nec « regularis, inquit, potest esse Vicarius generalis Episcopi « (Sacra Congregatio Episc. et reg., in Asculana, 15 januarii « 1597; in Motulana, 8 maii 1615; in Spalatrensi, 12 aprilis « 1619; et sæpe alibi); nisi cum aliis requisitis habeat etiam « licentiam apostolicam degendi extra claustra (Sacra eadem « Congregatio, in Caputaquensi, 17 novembris 1593). »

Quæstionem autem graviter et dilucide (pro more suo) expendit Cardinalis Petra (tom. 4, in constitutionem 6 Gregorii XI, n. 12, pag. 306, edit. Romæ 1711): « Majoris dis- « quisitionis (ait ille) est quæstio, numquid regularis possit « eligi in Vicarium generalem Episcopi. Et quidem motivum « dubitandi non inde oritur quod ambiguum sit an exigatur « licentia proprii superioris : etenim undique certum est, re- « gularem non posse extra religionem officium assumere abs- « que ejusdem superioris placito, ex supra adductis juribus, « et potissime ex Sancto Concilio Tridentino (c. 5, sess. 25, *de* « *Regul.*). Verum inter se non conveniunt doctores, an hujus- « modi vicariatus officium sit in jure expresse regularibus ve- « titum.

« Et quidem fratres Ordinis minorum omnino non posse eligi « in Vicarios generales Episcoporum, etiam de licentia supe- « riorum, desumpta probatione ex Clementina *exivi* (*de Ver-* « *borum signif.*, post medium), firmant Diana, Ventriglia, Pe- « lizzarius, Castropalaus, Sbrozius.

« Perperam vero nonnulli doctores hanc prohibitionem « extendunt ad omnes regulares ex mendicantium Ordinibus, « innixi Clementina 1, § *ad prioratus, de Regul.;* siquidem ejus- « dem textus dispositio indefinite non loquitur, sed dumtaxat « de mendicantibus, *qui ad religionem non mendicantium trans-* « *ierunt;* de aliis vero mendicantibus nec verbum facit.

« Concludendum itaque est, omnes religiosos, etiam ex « mendicantium Ordinibus (exceptis his qui ad non mendican-

« tes transierunt, et Minoritis), assumi posse ad officium Vicarii « Episcopi, accedente licentia proprii superioris; tum quia « nullibi in jure id eis interdictum reperitur, verum etiam « quia non aspernabilem monasterii utilitatem inde provenire « comperitur, ut dicatur satisfactum dispositioni textus (in ca- « none *Monachi* 2, 16, q. 1; et capite 2, *de Postul.;* in quibus « disponitur, ut monachus judiciale munus exercere possit, « duo concurrere necesse esse : licentiam scilicet Abbatis, et « monasterii utilitatem.

« Licentia vero satis est quod obtineatur ab immediato mo- « nasterii superiore, videlicet a Priore, vel Præposito.

« Verum si monachus absque sui superioris licentia ad offi- « cium Vicarii assumeretur, non conveniunt doctores, num- « quid ejusdem gesta sint valida. Omnes tamen merito conve- « niunt, quod concurrente communi errore, gesta hujusmodi « religiosi Vicarii valida censeantur.

« Hæc quidem, mero jure inspecto, docent doctores. Verum « si praxim et Sacrarum Congregationum sensum, ut decet, at- « tendere velimus, regulariter improbatam esse hujusmodi re- « gularium deputationem in Vicarios generales dicendum est. » Id firmat citatus auctor plures memorando dictarum congre- gationum responsiones. Tum addit : « Verumtamen ex parti- « cularibus circumstantiis Sacra Congregatio Episcoporum in- « dulgere benigne solet, ut Episcopi assumere valeant regulares « in suos Vicarios. »

Duo ego subjiciam : 1° Prædictas Sacrarum Congregatio- num responsiones, videri ad casus particulares relativas ; nun- quam vero expresse et generaliter declaratum fuisse, requiri licentiam Apostolicam ut possit Episcopus Vicarium suum ex re- ligiosis familiis assumere. Cum ergo, abstrahendo ab hac Sacra- rum Congregationum praxi, id valeat Episcopus de jure com- muni, probabilius existimo neque hodie ipsum indigere dicto Sacrarum Congregationum indulto, ut religiosum in Vicarium generalem sibi assumat.

2° Frequenter hodiernis temporibus mihi videntur occurrere

posse circumstantiæ illæ particulares, in quibus expediat assumi Vicarios generales ex religiosis cætibus, utpote apud quos facilius multoties reperientur viri doctrina et morum integritate conspicui. Laudabiliter proinde dictam licentiam (si tamen necessaria dicenda sit) ab Episcopis peti posse, et a Sacris Congregationibus concedi.

Quæstio 6ª. — *An parochus possit esse simul Vicarius generalis?* — 1° Si agatur de parocho extra civitatem episcopalem, et a fortiori extra diœcesim, parochiam habente, certum est eum non posse in Vicarium generalem assumi. Sequitur ex lege residentiæ, qua parochus obstringitur; quæ obligatio residendi in hoc casu omnino incompatibilis est cum Vicarii generalis officio. 2° Etiamsi agatur de parocho, in ipsa episcopali civitate curam animarum habente, communiter negant doctores posse eum in Vicarium generalem assumi; ex ea nempe ratione, quod hæc duo officia ordinarie et regulariter non possint debito modo simul adimpleri. Vide Ferrarium (ad vocem *Vicarius generalis,* art. 1, n. 27), Leurenium (*de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 54); necnon ea quæ diximus in tractatu *de Capitulis,* pagina 579, agendo de Vicario capitulari. Citati autem auctores varias allegant, ad firmandam conclusionem hanc, Sacrarum Congregationum Romanarum declarationes. Et præterea in tomo 23 *Thesauri resolutionum* Sacræ Congregationis Concilii, pagina 5, sic asse tum reperio : « Quod Vicarius generalis Episcopi ne-
« queat simul esse parochus, præsertim si parochia extra civi-
« tatem sit, canonistæ non contemnendi affirmant (Barbosa *in*
« *Summa collect. decis.*, verbo *Vicarius,* n. 3). Id pluries decre-
« vit Sacra Congregatio Episcoporum (in *Resolutionibus* quas
« refert Nicolius in verbo *Vicarius*, n. 37). Id ipsum statuit
« Sacra hæc Congregatio (in *Nullius,* die 12 maii 1629, libro 14
« decretorum, pagina 81).» Concludendum ergo videtur non licere ut Parochus, etiam in civitate episcopali curam habens, sit simul Vicarius generalis. 3° Si tamen ab Episcopo fieret ejusmodi nominatio, an foret non tantum illicita, sed et invalida? Ego non admitterem, cum ex nullo juris textu, ne-

que ex dictis Sacrarum Congregationum declarationibus id inferri posse videatur: nisi tamen extet aliqua ejusmodi declaratio quæ expresse nullitatem nominationis in hoc casu definierit.

Quæstio 7ª. — *An Episcopus esse possit alterius Episcopi generalis Vicarius?* — « De Episcopo nullatenensi, seu actu « non habente et administrante diœcesim ullam propriam, id « certum est (ut habet praxis communis) quod esse possit Vi- « carius tam in pontificalibus quam spiritualibus, seu tota « jurisdictione spirituali. Quin et teneri Episcopum, talem Epi- « scopum titularem seu nullatenensem assumere Vicarium, « non tantum in pontificalibus, sed et pro reliqua jurisdictione « exercenda, in diœcesi ubi sunt populi diversarum linguarum et rituum, juxta caput *Quoniam, de Officio ordin.*, dictum « est supra. Verum de Episcopo, qui et ipse propriam diœce- « sim, illiusque actualem administrationem habet, merito du- « bitari potest. Videturque eadem esse in eo ratio, quæ est de « parocho; cum et ipse oves proprias habeat, quarum cura « detrimentum patiatur per servitium impensum alteri Epi- « scopo in curandis ovibus illius... Tenet Pignatelli (tom. 3, « *Consult.* 22, n. 1) quod possit munus Vicarii gerere, saltem « interea quo operitur commodam occasionem transeundi ad « suam Ecclesiam. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 55.)

Quæstio 8ª. — *An Vicarius generalis esse possit nepos Episcopi, vel ejus frater?* — « Vicarius generalis esse non potest nepos « vel filius fratris Episcopi (Sacra Congregatio Episcoporum in « Hostunensi, 19 septembris 1577; in Murana, 4 februarii 1611; « in Tranensi, 17 junii 1622; in Melitensi, 18 junii 1624; et sæpe « alibi): nec frater, præsertim si non est doctor (Sacra Congre- « gatio Episcoporum in Comensi, 2 decembris 1578; in Mes- « sana, 11 januarii 1600). Imo laudatur qui nec patruelem vult « habere Vicarium (Sacra Congregatio Episcoporum in Taren- « tino, 6 aprilis 1611); nec alium consanguineum (Sacra Con- « gregatio Episcoporum in Arianensi, de anno 1636, apud

« Nicolium *in Flosculis*, sub numero 35. » Ita Ferraris (ad vocem *Vicarius generalis*, art. 1, n. 29); qui tamen asserta hæc ita restringit : « Nisi hoc Sacra Congregatio ad aliquod tempus con-« cedat propter bonas qualitates subjecti, ac aliorum idoneo-« rum penuriam : Sacra Congregatio Episcoporum in una « nullius Piscæ 1 octobris 1635. »

Me vero nullatenus convincunt illæ Ferrarii assertiones et allegationes. Nam 1° nullus affertur Conciliorum aut Pontificalium decretalium textus, jus universale respiciens, quo vel apertis, vel etiam ambiguis terminis, prohibeatur Episcopus nepotem, fratremve aut avunculum in Vicarium generalem sibi assumere. 2° Declarationes allegatæ nullibi extant authentice editæ; nec fidendum est auctoribus multis qui ejusmodi decisiones circumferunt. 3° Videndum præterea esset, an revera ad quæstionem juris generaliter decidendam faciant. 4° Habemus quidem decretum concilii Romani anni 1725, quo statuitur : *Episcopi in Vicarios generales suos, fratres, aut nepotes, aut propriæ episcopalis urbis cives non eligant* (tit. 8, cap. 2); at synodus hæc provincialis dumtaxat fuit; ac proinde jus commune determinandi vim non habet; quamvis magnæ auctoritatis sit ejusmodi provinciale decretum, ad persuadendum Episcopis minus expedire, ordinarie saltem, ut consanguineos ad dictum officium deputent. 5° Cum ergo certo illud licitum sit, quod nulla lege satis nota fuit prohibitum, donec mihi clare innotescat aliqua in contrarium Pontificiæ auctoritatis ordinatio, vim legis universalis habens, illegitimum Vicarium generalem pronuntiare non audebo, nepotem aliumve consanguineum Episcopi, modo alias qualitatibus a jure requisitis non careat.

Quæstio 9ª. — *An originarius civitatis vel diœcesis possit esse Vicarius generalis?* — Frequens est hodiernis temporibus, apud nonnullarum Regionum Clerum, audiri querelas, quod Episcopi in Vicarios generales, non diœcesanos, sed exteros, sibi arcessant. Quibus certe querimoniis palam fit, non parum neglectum fuisse sacræ disciplinæ studium : si enim vel obiter

canonistarum hac de re disceptationes introspectæ fuissent, non carpenda, sed laudanda potius ea Episcoporum agendi ratio videretur. Quod ut pateat auctoritates præmittamus, et quænam ex eis doctrina concludenda sit, expendamus.

1° Teneri Episcopos in Vicarium generalem assumere exterum, idest, qui nec civis episcopalis urbis sit, nec etiam de clero diœceseos, tanquam rem certam supponit Cardinalis de Luca. Ut enim idem suadeat quoad Vicarium capitularem, ab exemplo Vicarii generalis Episcopi argumentatur in hunc modum : « Unde propterea, quemadmodum Episcopo præsente, « atque ut plurimum extero, adhuc, ob civicas æmulationes « ac factiones, *injungitur necessitas habendi Vicarium exterum*, « multo magis fieri deberet Sede vacante; quoniam ita eligerentur famosi doctores ac personæ quæ, ex aliis jam peractis « muneribus, in regione sint in magna æstimatione. » (Ad concilium Tridentinum, discursu 31, n. 21.)

2° Concordat Pignatellus (tomo 9, consult. 162) : « An « originarius civitatis, vel diœcesanus possit esse Vicarius generalis? Respondeo negative. Extant enim hac de re plura « decreta, cum in genere, tum in specie tenoris sequentis : « *Originarius civitatis vel diœcesis, non potest esse Vicarius : nam « propter consanguinitates, affinitates, familiaritates, et alias « attinentias, potest deviare a recto tramite justitiæ, vel certe se « reddere partibus suspectum.* Ita Sacra Congregatio super Episcopis et regularibus, in Hostunensi, 28 julii 1587; in Spalatrensi, 9 martii 1593; in Senogalliensi, 10 februarii 1598; « in Sutrina, 16 novembris 1640; passimque alibi... Ea quidem « ratione hujusmodi Vicarii (nempe originarii diœceseos) constitui non possunt, et constituti removeri debent, ne forte « amicitia, propinquitate, gratia, metu, adducti, jus interdum « aliquo modo violent, minusque libere dicant : ut proinde « sanctus Carolus, his rationibus motus, Vicarium externum « adhibuerit (teste Carolo a basilica Petri in ejus vita, l. 7, « c. 36). *Quod etiam est de jure :* Quia officium vicariatus præsefert jurisdictionem, quam in propria patria exerceri non

« permittitur (lege ultima *Codicis, de Crim. sacril.;* et lege 3 « *Codicis, de Divers. offic.*, lib. 12)... Nec suffragatur quod « Episcopi prædecessores retinuerint Vicarios diœcesanos : « quia non est exemplis judicandum : » Ab hac generali regula concedi quandoque Episcopis dispensationem adnotat ibidem citatus auctor his verbis : « Solet tamen aliquando « eadem Sacra Congregatio dispensare, ut Episcopus, præser- « tim residens, tenere possit Vicarium diœcesanum, dummodo « non præbeat occasionem querelarum; idque multis de cau- « sis : quod Episcopus adhuc extraneum idoneum invenire ne- « quiverit : quod Vicarius exterus non cito possit accedere : « propter fructuum Ecclesiæ tenuitatem : propter aeris intem- « periem : propter notitiam bonarum qualitatum talis Vicarii « diœcesani. »

3° Adeo concordes reperio doctores cæteros (1) in admittenda eadem doctrina tanquam certa, et (quod peremptorium præcipue est) in attestando facto de memoratis declarationibus et decretis Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium, ut nequaquam possim declinare conclusionem hanc : *De jure communi, non licere Episcopo in Vicarium generalem eligere diœcesanum, absque Pontificia dispensatione :* Quod jus commune hodiedum etiam vigere omnino censendum videtur; nisi forte quis alicubi contraria et legitime præscripta consuetudine abrogatum jus illud sustineat; cujus tamen abrogationis probatio videtur valde difficilis.

4° An vero, non tantum ut licite possit quis constitui generalis Vicarius, sed etiam ad actuum ipsius validitatem requiratur ut sit exterus, non reperio ab auctoribus discussum. Puto id requiri ad liceitatem tantum, cum non probetur dictam conditionem sub pœna nullitatis exigi.

*Nota.* Quod Pœnitentiarius nequeat esse simul Vicarius generalis Episcopi, diximus in tractatu *de Capitulis,* pag. 126.

(1) Vide inter alios Ferrarium (ad vocem ***Vicarius generalis***, art. 1, n. 34), et Leurenium (***de Vicariis Episc.***, capite 1, p. 47).

Hæc cursim de requisitis a jure ad vicariatus generalis officium. Neque enim minutis ejusmodi quæstionibus duximus adeo immorandum, ne lectorem terreat tractatus nostri moles. Antequam tamen ab hoc paragrapho manum retrahamus, abs re non erit nonnulla Monacelli verba subnectere, quibus probat quanta sit in eligendis idoneis Vicariis generalibus adhibenda diligentia. « Vicarius debet esse fidelis, scilicet in exe-« quendo, in referendo, in secreto tenendo, in consilio dando, « in jura tuendo, et in administrando justitiam. Probus..., « alias in gubernio nihil proficiet, sed potius clerum et plebem « inficiet. Debet esse scientia et experientia idoneus; quia « imperitus non potest esse judex ecclesiasticus, ut dicit « Glossa (in Præfationem *Distinctionis* 20, verbo *Imperitis*). « Alias si Episcopus indoctum et ad officium ineptum deputa-« ret, graviter peccaret, ut communiter tradunt Navarrus... « Riccius... Garcias... Et ratio convincens est; quia scientia « ad regimen est simpliciter necessaria... Judex imperite ju-« dicando in jure certo, facit litem suam, et tenetur ad inte-« resse partis...; quia imperitia annumeratur culpæ. Caveant « propterea Episcopi, ne pretio, aut precibus, sive alia quavis « suadente ratione, inducantur ad assumendum Vicarium, qui « ætate, moribus et doctrina non sit gravis. Et quanquam « ætas 25 annorum sufficiens in jure reputetur, tamen difficile « est, quod in ista ætate quis sit aptus... Non inficior tamen « quod non possit aliquis juvenis hujusmodi ætatis acri ingenio « idoneitatem necessariam habere; sed dico quod casus raro « continget... Proptereaque existimo quod si non possit haberi « magis providus et ætate provectior, debeat esse saltem tri-« ginta annorum completorum... » (Parte 1, tit. 1, formula 1, n. 24 et seq.) Ad quæ doctorum sapientissima monita si semper attenderetur, non identidem acciderent singulares quædam Vicariorum generalium nominationes, quæ plusquam mirationem movent ; qualis, verbi gratia, non multis abhinc annis contigit, dum quidam (parcam ipsius et Episcopi et etiam regionis nomini) qui, a sæculari ad clericalem vitam gradum

faciens, aliquid theologiæ vix perfunctorie prælibaverat, ipso suæ in presbyterum ordinationis die, deputationis in Vicarium generalem litteras accepit, cujusdam matronæ manu sibi traditas.

## § II.

### A quo possit Vicarius generalis constitui.

Quæstio 1ª. — *An quilibet in sua diœcesi Episcopus possit Vicarium generalem constituere?* — Respondeo affirmative; estque id extra omnem omnino controversiam. Constat 1° ex titulo *de Officio Vicarii*, in sexto; 2° ex praxi Sacrarum Congregationum romanarum, quæ hanc Episcoporum facultatem tanquam omnino certam recipit et supponit; 3° ex praxi insuper universali, et unanimi doctorum consensu.

Neque objicias, nullum Ordinarium, Principe inferiorem, posse suam jurisdictionem alteri committere, generaliter et *jure ordinario* exercendam; ex quo juris principio inferri debeat, licere dumtaxat Episcopis delegatos sibi substituere, non autem Vicarios generales proprie dictos, id est, ordinariam jurisdictionem et idem cum Episcopo tribunal habentes. Nam allegatum juris principium (cæteroquin certissimum) probat solummodo non potuisse Episcopos ex propria sua auctoritate Vicarios generales constituere, et debuisse id facultatis ex lege (ex Pontificia nempe concessione) ipsis obvenire. At de facto ita fuisse lege canonica et auctoritate Pontificia dispositum, omnino certum est, prout constat citato titulo *de Officio Vicarii* in sexto, et aliis allegatis probationibus. Unde sedulo distinguendæ sunt illæ duæ quæstiones; *an Episcopus facultatem ejusmodi habeat*, et, *quo jure eam habeat?* Præmissa objectio priorem quæstionem non attingit; sed probat tantum quomodo resolvenda sit posterior.

Quæstio 2ª. — *An Episcopus Vicarium generalem constituere possit absque consensu et consilio Capituli.* — Respondeo, quoad

hanc quæstionem jus commune variasse, ob introductam in favorem Episcoporum consuetudinem. Dicendum nempe, olim debuisse Vicarium generalem constitui, non tantum de consilio, sed etiam cum consensu Capituli : hodie vero posse eum ab Episcopo constitui absque ullo canonicorum assensu vel etiam consilio. « Constituitur (ait Leurenius) seu deputatur hic « Vicarius *hodiedum* ab Episcopo, et quidem solo, sine re- « quisitione consensus aut consilii Capituli (citat ibi Leure- « nius auctores plurimos idem affirmantes) ; approbaturque id- « ipsum consuetudine recepta ; quæ in hoc servanda est... Dixi « *hodiedum;* quia olim necesse erat adhiberi consensum Capi- « tuli in creatione Vicarii Episcopi, ut satis indicat Sbrozius « (l. 2, q. 55, n. 2), ubi ait : Vicarius Episcopi non fit a solo « Episcopo, sed cum consensu et auctoritate Capituli, et sic « ab universitate, quæ in capitulo et Episcopo consistit. Nec « dicatur, quod Vicarius Episcopi a solo Episcopo fiat (ex ca- « pite 1, cum glossa, *ne Prælati vices suas,* et capite 2, *de Offi- « cio Vicarii,* in sexto) : quia, ut inquit Bero, per illa jura non « excluditur capitulum, a quo Vicarius de jure fieri dicitur : « vel respondetur secundum Bero, quod illa jura loquantur « de consuetudine, secundum quam hodie Episcopi adversus « capitula omnia jura, quæ eis competebant, usurparunt, ut « dicitur in capite *Ea noscitur, de his quæ fiunt a Prælato sine « consensu Capituli.* Qua consuetudine, ut per Sbrozium, sic « stante, hodie Episcopus non dat jurisdictionem Vicario, sed « consuetudo ; cujus authoritate hodie solus Episcopus Vica- « rium facit : et ideo Vicarius olim a capitulo et Episcopo, et « sic ab universitate ; et hodie a consuetudine habet jurisdi- « ctionem, et sic dicitur habere Ordinariam. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.,* cap. 1, q. 20.)

Universalem consuetudinem, vi cujus nunc licet Episcopis Vicarium generalem absque ullo Capituli interventu constituere, testatur pariter Ferraris (ad vocem *Vicarius generalis,* art. 1, n. 3) : « Episcopus, inquit, potest constituere Vicarium « generalem absque consensu vel consilio Capituli ; *communis,*

« sic approbante praxi et consuetudine universali, quæ in tali-« bus est servanda (capite *Ea noscitur* 6, *de His quæ fiunt a « Prælat. sine consensu Cap.*) » Et sic pariter auctores moderni omnes universalem hanc consuetudinem tanquam factum certum memorant; nec potest ullo modo in dubium revocari.

Universalis autem consuetudo legitime præscripta, qualis illa est, non tantum juri communi derogat, sed et ipsa in jus commune transit. Adeo ut dici possit, hodie de jure communi Episcopo competere potestatem Vicarium suum generalem, omisso Capituli assensu atque consilio, constituendi.

Quæstio 3ª. — *An Vicarium generalem sibi constituere possit Administrator diœcesis viduæ: et an Administrator diœcesis quæ vivum habet proprium Episcopum?* — Quoad priorem Administratorem ita Leurenius : « Respondeo affirmative; quia suc-« cedit in Ordinaria jurisdictione Episcopi, et æquiparatur, « quoad potestatem, Capitulo Sede vacante (Pirrhing, ad tit. « *de Officio Vicarii*, n. 29, in fine). » Quoad posteriorem Administratorem, qui nempe a Papa constituitur adhuc vivo proprio diœcesis Episcopo, sic habet citatus auctor : « Dubita-« tur : videtur id posse, quia gerit jurisdictionem et potesta-« tem ordinariam Episcopi, qui id potest. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 24.)

Quæstio 4ª. — *An Papa soleat quandoque Vicarium generalem Episcopi constituere?* — « Respondeo affirmative (Pigna-« tellus, tom. 10, consult. 129); ubi etiam ex Passerino, quod « Vicarius ille episcopalis a Papa constitutus, majorem habeat « facultatem, præsertim in substituendo sibi alium, quam Vi-« carius generalis ab Episcopo constitutus. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 26.) Et addit citatus auctor, talem Vicarium esse relate ad Episcopum inamovibilem. Posuimus autem tantum in quæstione *an soleat* Papa tales Vicarios constituere; quia utrum id facere possit, absurdum esset in quæstionem adducere. Quod autem ea sit revera Romanæ curiæ praxis, testatur pariter Ferraris (ad vocem *Vicarius generalis*, art. 1, n. 6); si nempe Episcopus non esset peritus jurista,

vel ob vastitatem episcopatus, et ingentem causarum molem, aut aliam ob causam, non esset sufficiens per se ipsum solum ad omnia commode expedienda; quia tunc (ut dictat ipsamet ratio naturalis), tenetur Vicarium generalem constituere; et nisi constituat, « mittitur illi ab Urbe, vel aliunde, Vicarius « pro tali officio exercendo, vel cum brevi apostolico, vel cum « litteris Sacræ Congregationis, vel cum patente Episcopi qui « fuit ad hoc compulsus, ut referunt Nicolius, Pellegrinus...; « qui insuper notant, quod talis Vicarius missus ab Urbe su- « pradictis modis, est Vicarius Apostolicus, et jurisdictio- « nem habet privative quoad Episcopum, nec Episcopus « illum removere potest. (Sacra Congregatio Episcoporum « et regularium in una civitatis Castellanæ, 2 aprilis 1591; « in Mediolanensi, 8 februarii 1594; in Jovanensi, 17 septem- « bris 1605; in Bismianensi, 18 martii 1632; in Motulensi, « 5 augusti 1650). »

Quæstio 5ª. — *An Episcopus Vicarium generalem constituere possit ante adeptam possessionem, vel ante consecrationem.* — 1° Nequit Episcopus Vicarium generalem constituere ante captam Sedis possessionem, etiamsi fuerit jam a Papa renuntiatus Episcopus, et bullas institutionis receperit. Est communis et omnino certa doctorum sententia (vide Ferrarium ad vocem *Vicarius generalis*, art. 1, n. 17; Leurenium, *de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 29; et alios ab istis duobus citatos). Sequitur ex eo quod Episcopus ipse jurisdictionem valide exercere nequeat, nisi jam capta possessione, id est, nisi *actualiter exhibitis* capitulo confirmationis et institutionis pontificiæ litteris. Vide id probatum in tractatu meo *de Capitulis*, pagina 653; ubi ostendimus decretalem *Injunctæ* Bonifacii VIII, in qua dispositio hæc expressis terminis decernitur, vim juris communis hodiedum habere.

2° Contrarium dicendum est quoad consecrationem. Si enim Episcopus nondum consecratus possessionem diœceseos cœperit, sicut reliquam potest episcopalem jurisdictionem exercere, ita et Vicarium generalem sibi constituere. Quæ conclusio nulli

controversiæ obnoxia est aut esse potest (vide inter alios Leurenium, loco supra citato).

Quæstio 6ª. — *An Metropolitanus quandoque possit Vicarium generalem suffraganei constituere?* — Quæstio hæc aliam involvit, an nempe Episcopus teneatur Vicarium generalem habere. Dicemus autem infra dari, juxta communiorem sententiam, casus nonnullos, in quibus teneatur revera Episcopus Vicarium generalem constituere. Hic ergo supponimus veram esse illam sententiam, necnon versari in ejusmodi casibus diœcesim aliquam; et negligente tunc Episcopo Vicarium generalem constituere, quæritur num is possit a Metropolitano constitui. Sicque determinato quæstionis sensu, quid tenuerint doctores præmittemus; tum quid concludendum videatur indicabimus.

1° Excepto casu quo Episcopus teneatur et negligat Vicarium generalem constituere, nequit ejusmodi Vicarius a Metropolitano constitui. « Archiepiscopus (ait Layman in caput *Romana* 1, « tituli de *Officio Vicarii*, in sexto, n. 1) in diœcesibus suffraga- « neorum jurisdictionem nullam exercet; cum non sit judex « ordinarius diœcesanorum nisi in habitu, seu respectu quo- « rumdam emergentium eventuum, verbi gratia, si ad ipsum « appelletur. Consequenter non potest Archiepiscopus in diœ- « cesibus Coepiscoporum Officiales aut judices creare super « causis in futurum emergentibus: quia hæc institutio Officia- « lium ad eos proprie pertinet, qui actualem in loco jurisdictio- « nem obtinent et exercent. »

« Sane a fortiori (ait Leurenius) hinc sequitur non posse Ar- « chiepiscopum in dictis diœcesibus constituere Vicarium ge- « neralem Episcopi, seu committere ei universitatem causarum « spectantium ad jurisdictionem dicti Episcopi. » (*De Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 23.)

2° Si tamen Episcopus teneatur et negligat Vicarium generalem constituere, docuerunt nonnulli canonistæ posse eum constitui a Metropolitano. « Ubi tamen (subjungit citatus Leu- « renius) Episcopus negligeret constituere Vicarium, ubi ad hoc « teneretur, potest et debet Metropolitanus præfigere illi ter-

« minum ad constituendum Vicarium; quo elapso, si non con-
« stituat, ipsemet Metropolitanus Vicarium constituet, vel
« Episcopum ad illum constituendum cogere potest. Pirrhing,
« ad titulum *de Officio Vicarii*, n. 28; Sbrozius, lib. 1, q. 46,
« n. 4; et exactius, q. 57; citans caput *Cum simus* 9, q. 3, ubi
« dicitur, *Si Episcopus non satageret statuere œconomum in sua*
« *Ecclesia, Metropolitanus eum constituere potest;* item Triden-
« num, cap. 16, sess. 24. »

3° Prædicta canonistarum allegatorum sententia, solido fundamento non nititur. Nam tres legis textus, quos adducunt, ad rem non faciunt. Etenim in capite citato *Cum simus*, agitur de œconomo, non de Vicario generali Episcopi; et præterea, cum Metropolitana potestas olim multo major fuerit et postea immensam immunitionem passa sit, non potest hodiernum Archiepiscoporum jus, ex antiquis illis decretalibus, in gratianea dumtaxat collectione, non autem in collectione Gregorii IX, contentis, dimetiri. Quæ rationes attingunt pariter alium a dictis canonistis citatum textum, caput nempe *Nova* 16, q. 7; desumitur enim pariter ex collectione Gratiani, et agit dumtaxat de œconomo. Tandem caput 16, sessionis 24 Tridentinæ Synodi, agit de Vicario capitulari, sede vacante, a Canonicis deputando; cujus nominatio, si tempore debito per Capitulum non expediatur, ad Metropolitanum devolvitur. Sed de Vicario generali Episcopi, ne verbo quidem in toto hoc capite quidquam insinuatur. Corruit ergo dictæ opinionis fundamentum.

4° Cum aliunde certum sit Principium generale, Archiepiscopo non competere in diœcesibus suffraganeorum jurisdictionem, concludendum potius, in nullo casu posse Vicarium generalem Episcopi a Metropolitano constitui. Et certe dubia saltem esset ejusmodi Vicarii generalis jurisdictio; quo solum posito, in praxi eum constituere nequibit Archiepiscopus. Unde in casu quo suffraganeus teneatur et negligat Vicarium generalem sibi assumere, fiat sive per Metropolitanum, sive per alios ad Sedem Apostolicam relatio; et sic deputatus auctori-

tate Pontificia, id est, a Sacra Congregatione Episcoporum et regularium, vel Concilii, certo possidebit Vicarii generalis jurisdictionem; neque ullæ exorientur difficultates aut dubitationes.

## § III.

### An necessario in unaquaque diœcesi constituendus ab Episcopo sit Vicarius generalis.

I. Certum est doctores in hoc non concordare; prout adnotat Leurenius (*de Vicariis Episc.*, caput 1, q. 27). Alii enim sentiunt non teneri Episcopum, absolute loquendo, sibi Vicarium generalem constituere. Alii volunt eum ad id teneri etiam extra casum necessitatis. Alii tandem distinguunt inter casum quo Episcopus commode potest per seipsum omnia diœcesecos negotia expedire, et casum quo id nequit, sive quod satis peritus ipse non sit, sive ob diœcesis amplitudinem, negotiorumve molem: et in posteriori hypothesi debere ab Episcopo constitui Vicarium generalem, non autem in priori sustinent. Quorum canonistarum enumerationem vide apud Leurenium, citato loco. Recentiores autem, prout Reiffenstuel (in lib. 1 decret., tit. 28, n. 65) et Ferrarius (ad vocem *Vicarius generalis*, art. 1, n. 4), tertiam sententiam communius secuti sunt. Rota autem primæ constanter adhæsit (vide ejus de hac re decisiones apud Ferrarium loco citato indicatas). Putarunt nempe hujus tribunalis emunctæ naris viri, duas alias sententias rigorose sustineri non posse. Et revera si diligentius quæstionem rimemur, ita esse resolvendam fatebimur. Unde,

II. Dicendum videtur, simpliciter non teneri in ullo casu Episcopum, qui in diœcesi sua residet, Vicarium generalem constituere, nisi hoc ei injunxerit Pontificia auctoritas. Nam admittenda non est Episcopi obligatio, quæ nec ex lege ecclesiastica, nec ex lege naturali probari potest: atqui talis est

obligatio de qua agitur. Et 1° quidem non probatur positivi juris textibus; quod patebit eos qui afferri solent singillatim expendendo. Adducitur caput *Volumus* distinctionis 89 : sed ibi sanctus Gregorius Magnus jubet tantum ut Paschasius Episcopus *Vicedominum sibi ordinet et Majorem domus; quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis quæ eveniunt, idoneus et paratus existere.* Probari certe nequit ibi agi de Vicario generali proprie dicto; multoque minus inde concludere licet obligationem omnibus Episcopis factam Vicario generales habendi. Item adducitur caput *Quia in quibusdam*, ex concilio Chalcedonensi depromptum (4, distinct. 89), quo jubentur Episcopi habere *œconomum, qui gubernet ecclesiæ res cum arbitrio sui Episcopi; ut non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum ecclesiasticarum, et ex hoc eveniat res ejusdem ecclesiæ dispergi.* Sed ipsamet hæc verba palam faciunt, ibi agi de administratore bonorum Ecclesiæ, non autem de Vicario generali proprie dicto. Magis ad rem videtur caput *in Nona* (22, causæ 16, q. 7); quo decernit concilium Hispalense II, ne laici assumantur in *œconomos*, quia *indecorum est laicum Vicarium esse Episcopi, et sæculares in Ecclesia judicare;* quæ verba aliquatenus innuunt per ejusmodi œconomos intelligendos esse Vicarios generales. Si tamen totum caput attente legatur, videbitur eas locutiones *Vicarium Episcopi;* et *judicare in Ecclesia,* restringendas esse ad vicariatum et judicaturam quoad bona temporalia Ecclesiæ tantum, id est, ad œconomatum. Id aperte constat ex ultimis hujus decreti verbis. *Si quis autem Episcopus posthac ecclesiasticam rem, aut per laicalem procurationem administrandam elegerit, aut sine testimonio œconomi gubernandam crediderit, vere ut fraudator ecclesiasticarum rerum, non solum de rebus pauperum judicabitur reus, sed etiam concilio manebit obnoxius.* Constat insuper ex eo quod nullo tempore potuerint aut consueverint Episcopi jurisdictionem spiritualem, qualem Vicarii generales obtinent, per laicos exercere. Dum e contra bonorum Ecclesiasticorum administratio seu œconomatus absolute potest laicis committi, li-

cet id dedeceat, ut in hoc capite dicitur. Tandem adducuntur capita 14 et 15 tituli 31, libri 1 decretalium; sed perperam: in priori enim decernitur ut, si Episcopus in sua diœcesi diversæ linguæ diversique ritus populos habeat, ibi *alium Episcopum* in sui Vicarium constituat. Quod autem extra hunc casum debeat generalem Vicarium habere, ne verbo quidem innuitur. In posteriori autem capite disponitur, ut Episcopus per seipsum non valens sufficienter prædicare et Sacramenta administrare, per alios id faciat: *Cum sæpe contingat quod Episcopi, propter suas occupationes multiplices, vel invaletudines corporales..., per seipsos non sufficiunt ministrare Verbum Dei Populo..., generali constitutione sancimus, ut viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium assumant.* Quæ certe verba de Vicariis generalibus minime intelligenda sunt. Ergo 1° textus juris positivi qui afferri solent, nullatenus probant dictam Episcoporum obligationem Vicarios generales sibi constituendi. 2° Neque probatur illa obligatio ex jure naturali : nam jus naturale postulat quidem ut Episcopus, qui per seipsum par non est toti administrandæ diœcesi, aliorum opera utatur : atvero nullatenus præcipit ut hi Episcoporum auxiliatores Vicarii generales esse debeant, potius quam meri delegati. Haud dubium quin Episcopus legi naturali satisfaciat, si virorum idoneorum sufficienti numero jurisdictionem suam deleget, aliquas dumtaxat singulis negotiorum species expediendas committens. Quo tamen casu, nullus extabit in diœcesi Vicarius generalis. Haud tamen inficias imus quin generatim utilius sit constitui Vicarium generalem; unde et sæpe contigit a sacris Romanis Congregationibus id in casibus particularibus præcipi : sed aliud est magis expedire aliquam administrandi formam, aliud eam aliqua ex lege obligatoriam evasisse. Vera ergo est doctrina Rotæ, non teneri de jure communi Episcopum ad habendum Vicarium generalem.

*Objicies* contrarias Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium, vel etiam Concilii, declarationes. Respondeo : 1° Pluries quidem declaratum fuisse talem Episcopum, positis par-

ticularis casus circumstantiis, debere Vicarium generalem sibi assumere; quod autem declaratum sit teneri Episcopos de jure communi, sive absolute, sive etiam quoties ampla est diœcesis, ad habendos Vicarios generales, mihi exploratum non est. Respondeo 2° cum Ferrario : « Quod Episcopus non possit « coarctari ad retinendum Vicarium, expresse declaravit Sa- « cra Congregatio Concilii 11 februarii 1695, approbando « votum Rotæ, editum 18 junii 1664 et 11 martii 1695 coram « Emerix, in Valvensi præeminentiarum. » (Ad vocem *Vicarius generalis,* art. 1, n. 5.)

Verba Rotæ, in causa modo indicata, sunt hujusmodi : « Imo, « quod plus est, potest etiam nullum habere Vicarium, et ne- « gotia explere per semetipsum; ut in decisione 418, n. 10, « coram Cavalerio. » (In collectione decisionum Rotæ, quas Monacellus posuit ad calcem partis 2 sui operis, decisione 3, n. 2.)

Diximus autem in thesi, non existere obligationem Vicarium generalem constituendi, quoad Episcopum *in diœcesi sua residentem*. Nam si forte non resideat, tunc ex jure naturali fluit dicta obligatio. Unitas enim regiminis ad rectam diœceseos curam necessaria est : cui unitati sufficienter non consuleret Episcopus relinquendo divisam inter plures delegatos jurisdictionem. Nec pariter sufficeret relinquere delegatum *ad universitatem causarum :* quia ab isto daretur appellatio ad delegantem, qui utpote absens, nequiret eas appellationes expedire. Unde recta ratio dictat debere semper remanere in diœcesi superiorem, qui jurisdictionem *ordinariam* habeat : proinde si Episcopus non resideat, non merum delegatum, sed Vicarium generalem, ob bonum diœcesis, relinquere tenetur. Atque in hoc casu teneri Episcopum ad constituendum Vicarium generalem, cum Pignatello et multis aliis, satis supponit Rota, dum dicit : « Sicut ubi residet, non arctatur ullum retinere « Vicarium generalem, sed potest per se solum causas cogno- « scere, ita etiam absens unum dumtaxat Vicarium generalem

« relinquere valet, qui vices suppleat sui ipsius. » (Apud Monacelli, loco citato, decisione 4, n. 2.)

## § IV.

### Quotuplex constitui possit aut debeat Vicarius generalis.

*Prænotandum.* — Quod in una diœcesi, quantumvis ampla, possit Episcopus unicum dumtaxat Vicarium generalem constituere, extra controversiam est, et sequitur, a fortiori, ex eo quod posset, ut probavimus, nullum assumere. Excipitur tantum rarissimus casus, quo extarent in diœcesi diversæ linguæ diversique ritus populi; quia tunc, ob expressam juris dispositionem supra memoratam, tenetur Episcopus pro istis populis constituere Vicarium generalem, et quidem Episcopum. Hinc duæ solummodo remanent hic solvendæ quæstiones: 1° an possit Episcopus plures Vicarios generales constituere; 2° an in casu duarum diœcesecon principaliter unitarum, unum Vicarium in unaquaque constituere teneatur.

Quæstio 1ª. — *An possit Episcopus plures Vicarios generales in una diœcesi constituere?* — 1° Certum est concordes in ea re doctores non fuisse, prout testatur Monacellus his verbis : « An plures Vicarii generales in eadem diœcesi ab Episcopo « constitui possint? Affirmant Zecchius, Riccius, Barbosa, « Pax-Jordanus, Pirrhing. Negant alii, quos sequitur Nicolius...; « nisi adesset in loco consuetudo, vel agatur de Episcopo qui « habeat unitas duas diœceses. At omnes in hoc conveniunt, « quod Episcopus non possit habere plures Vicarios vel tribu- « nalia juxta numerum dominiorum temporalium, ad quæ diœ- « cesis se extendit. » (Parte 1, tit. 1, formula 1, n. 34.)

2° Abstrahendo a Sacrarum Congregationum romanarum stylo et declarationibus, mihi videtur sustinendum, posse ab Episcopo plures constitui Vicarios generales, etiam citra titulum consuetudinis. Nam certum est (per titulum *de Officio*

*Vicarii* in sexto) posse ab Episcopis constitui Vicarios generales. Porro talis potestas non est arbitrarie restringenda ad unicum pro unaquaque diœcesi Vicarium generalem, nisi ex aliqua Ecclesiæ lege, vel ex jure naturali, vel ex aliqua sufficienti auctoritate restrictio concludi valeat. Porro *primo,* nullus extat juris textus qui unicum constitui Vicarium generalem decernat. *Secundo,* nec idem jure naturali præcipitur, ut satis patet. *Tertio,* nec habetur in hac re communis doctorum sententia. *Quarto,* nec valet argumentatio a pari ex eo quod unicus constitui valeat Sede vacante Vicarius capitularis : nam præterquam quod thesis de unico Vicario capitulari habet sibi faventem Tridentinæ synodi textum, et plures Sacræ Congregationis Concilii declarationes quæ rem certam fecerunt, ratio quoad utrumque omnino diversa militat. Si plures nempe statuantur capitulares Vicarii, periclitatur regiminis unitas. Secus autem Sede plena; quia etsi tunc plures sint Vicarii generales, unicus est Episcopus. Non ergo mihi probari posse videtur obligatio Episcopi unicum dumtaxat constituendi Vicarium generalem, nisi forte exhibeantur in hunc sensum claræ Congregationum romanarum declarationes.

3° Ego vero ejusmodi declarationes nullas novi quæ rem sufficienter dirimant (1).

Quæstio 2ª. — *An duabus diœcesibus principaliter unitis, teneatur Episcopus duos Vicarios generales constituere?* — Rota pluries negative respondit, argumentans a fortiori, ex eo quod ne unum quidem teneatur constituere (quod vide in prioribus decisionibus a Monacello collectis ad calcem partis 2 sui legalis formularii). « Tamen (ait Monacelli ibidem post citatam deci-« sionem Rotæ 4), si una diœcesis ab altera notabiliter distat, « Vicarium generalem in diœcesi in qua non residet deputare « debet; ut respondit Sacra Congregatio Concilii in Gerundi-

(1) Iis in locis, in quibus invaluit consuetudo plures constituendi Vicarios generales, prout in Gallia, nulla videtur moveri posse difficultas : nam ipsi etiam auctores, qui sustinent unicum dumtaxat constitui posse, casum præservant, quo adesset contraria consuetudo.

« nensi et Cariatensi 2 octobris 1706, ad 5. » Non est autem inter utrumque tribunal nisi apparens oppositio. Nam quoad diœcesim *notabiliter* distantem, et in qua Episcopus non residet, idem dicendum venit ac de casu Episcopi in sua unica diœcesi non residente : porro in hoc ultimo casu teneri Episcopum ad deputandum Vicarium generalem, admisit ipsa Rota, ut supra vidimus.

## § V.

### Qua forma constituendus sit Vicarius generalis.

Quæritur nempe utrum adhiberi necessario debeat scriptura, an vero possit Episcopus voce dumtaxat generalem Vicarium constituere. Quam quæstionem sufficienter resolvit Monacellus hoc modo : « Quamvis Vicarius Episcopi dicatur judex « ordinarius, et habere mandatum a lege (...doctores commu- « niter); nihilominus debet in scriptis constitui et deputari : « non quia sit necessaria scriptura, sed ad probationem in casu « quo a partibus ejus auctoritas super aliquo, speciali de jure « Episcopo reservato, negaretur, vel alias in dubium revoca- « retur. Periculosa est enim doctrina Ventrigliæ (in praxi, « parte 2, annot. 14, n. 52), ubi conatur probare, quod si au- « ctoritas Vicarii negetur, aut de ea opponatur, postquam « Vicarius ea usus est, debeat præsumi illam habuisse ad su- « stinendum actum, maxime si præsente Episcopo explevisset « ea quæ requirunt specialem facultatem. Quia cum specialia « Episcopo a jure reservata, non censeantur neque præsu- « mantur concessa, nisi in mandato et constitutione Vicarii « exprimantur, præsumptio stat pro nullitate actus, nisi pro- « betur commissio; quam probare tenetur ipse Vicarius, vel « alius qui eam supponit... Tutior ergo via est, quod Vicarius « in principio sui officii coram Capitulo cathedralis per cancel- « larium litteras suæ deputationis publicare faciat, et deinde « penes acta Cancellariæ per extensum registrari curet. » (Part. 1, tit. 1, formula 1, n. 30.)

## CAPUT IV.

### DE VICARII GENERALIS POTESTATE.

Ad determinandum quousque se extendat Vicarii generalis jurisdictio seu potestas, hoc modo procedemus : 1° Stabiliemus regulam generalem ex qua dicta determinatio deduci possit et debeat : probabimus nempe, *id posse generalem Vicarium quæ potest Episcopus, exceptis iis quæ jus excepta voluit, vel quæ Episcopus sibi expresse reservavit;* 2° in particulari exponemus quænam sit pars jurisdictionis episcopalis, quam noluit jus commune a Vicario generali posse exerceri, absque speciali mandato Episcopi; 3° item ea indicabimus quæ lex ecclesiastica noluit a Vicario generali expediri posse, etiamsi Episcopus in id specialiter consentiret ; 4° præcipuarum materiarum quæ vi mandati generalis Vicario generali subsunt, nisi quam sibi expresse Episcopus reservaverit, catalogum subjungemus.

### § I.

Tanquam regula generalis admittendum est, posse Vicarium generalem quidquid potest Episcopus, exceptis quæ jus excepta voluit, vel quæ Episcopus sibi expresse reservavit.

Sequitur conclusio hæc ex supra stabilita vicariatus generalis natura seu essentia. Probavimus nempe Vicarii generalis jurisdictionem non esse divisam a jurisdictione episcopali, sed eamdem cum ipsa ; et jurisdictionem hanc ipsi tribui seu competere *generaliter,* idest, *universaliter,* saltem in morali sensu ; et eum nullatenus fore Vicarium generalem, sed merum dumtaxat delegatum, qui non haberet jurisdictionem Episcopi *universalem*, saltem moraliter loquendo; vel qui eam, quamvis universalem, haberet divisam a jurisdictione Episcopi, ita ut

ab ejus sententiis daretur ad Episcopum appellatio. Porro hæc vera esse nequeunt, quin simul verum sit, posse Vicarium generalem omnia generaliter quæ potest Episcopus. Ergo si nequeat Vicarius generalis aliqua jurisdictioni episcopali competentia exercere, id contingere nequit nisi per viam *exceptionis;* ex eo scilicet quod vel lex ecclesiastica, vel ipse Episcopus ex *generalitate* jurisdictionis episcopalis, per ejusmodi Vicarium exercendæ, aliquid exceperit. Alioquin, abstrahendo ab hisce limitationibus, per se et vi ipsiusmet deputationis suæ in Vicarium *generalem*, poterit eamdem omnino, et totam quantam Episcopus jurisdictionem exercere. Ergo revera tanquam regula generalis admittendum est, posse eum quidquid potest jurisdictionaliter Episcopus, exceptis quæ jus excepta voluit, vel quæ Episcopus sibi reservavit.

Est autem hocce principium valde attendendum quando agitur de dimetienda et determinanda Vicariorum generalium potestate. Indicat enim ad ejusmodi determinationem recte procedi, non dicendo *quid possit* Vicarius generalis, sed dicendo *quid non possit;* idest exceptiones, quæ in ipso episcopalem jurisdictionem limitant, exponendo.

Quod vero dictum generale principium communiter a doctoribus tanquam certum tradatur, satis patebit ex sequentibus Leurenii verbis : « Vicarius generalis Episcopi quid possit eo « ipso quod constituatur, sive ex vi vicariatus generalis per « commissionem generaliter factam ei collati? Respondeo : « Potest omnes causas ad episcopalem jurisdictionem perti- « nentes expedire, præter illas quæ speciale mandatum requi- « runt (Garcias... Pirrhing...). Et sic Vicarius generaliter « constitutus præsumptionem pro se habet, quod omnes cau- « sas jurisdictionis episcopalis expedire possit, nisi constet vel « ostendatur jure scripto, aut recepta curiarum consuetudine, « inter speciales numerari (Layman... Rebuffus... Pirrhing...); « vel nisi constet aliquid ab Episcopo esse suæ potestati spe- « cialiter reservatum. Quare si in aliquo canone dicatur, quid- « piam ad Episcopi potestatem spectare, nisi inter casus

« exceptos sit, censeri debet etiam Vicario generali competere; « cum eamdem ipse jurisdictionem habeat. » (*De Vicariis Episc.*, cap. 3, q. 97.)

## § II.

Enumeratio eorum quæ jus noluit a Vicario generali exerceri posse, absque speciali mandato Episcopi.

Dupliciter jus sive lex ecclesiastica jurisdictionem episcopalem in generali Vicario limitavit : primo nempe, prohibendo ne posset aliqua valide exercere absque speciali mandato Episcopi ; secundo, prohibendo ne aliqua alia posset, etiam accedente speciali Episcopi mandato, valide explere. Priorum limitationum speciem in hoc paragrapho exponimus. Alteram sub § 5 describemus. Quoad modum autem dictas limitationes tradendi hæsimus dubii, num deberemus unamquamque suis probationibus et idoneis documentis vestire. At cum sint numero plurimæ, timuimus ne minutis ejusmodi nimium immorando fastidium lectoribus ingereremus, atque ultramodum excresceret tractatus moles : præsertim cum ii pauci quorum interest omnino exploratas habere, et suis probationibus firmatas, Vicarii generalis potestatis determinationes, obvios habeant libros, qui ejusmodi auctoritates et argumenta satis indicant. Dictarum ergo limitationum enumerationem duntaxat seu catalogum hic describemus. Ut autem lector videat quomodo unaquæque sit in jure fundata, et communiter a doctoribus recepta, cum remittimus ad Ferrarium, ad Leurenium, ad Pellegrinum, aliosque canonistas, qui materiam ex professo tractarunt.

1. Absque speciali mandato nequit de causis criminalibus cognoscere, nec consequenter aliquem ab ordine, officio, aut beneficio deponere. Ita limitata fuit generalis ejus potestas per decretalem *Licet* (*de Officio Vicarii* in sexto), quæ rem omnino expressis verbis decrevit hoc modo : *Potestatem tamen*

*inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eumdem, nisi sibi specialiter hæc committantur*. Hinc ut dictam potestatem habeat Vicarius generalis, requiritur eam ipsi specialiter ab Episcopo in mandato concedi.

2. Neque potest absque speciali mandato, etiamsi ipse sit Episcopus, exercere ea quæ sunt ordinis episcopalis, ut consecrare ecclesias et altaria, Chrisma et oleum sanctum conficere, sacramentum confirmationis et ordinis conferre, calices consecrare, et alia hujusmodi.

3. Neque synodum congregare.

4. Neque constitutiones synodales mutare.

5. Neque visitationem diœcesis facere.

6. Neque exigere cathedralicum, aut charitativum subsidium.

7. Neque conferre beneficia. Constat ex capite *Cum in generali* (3, tituli 13, libri 1, in 6), ubi sic decernit Bonifacius VIII : *Officialis aut Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa*.

8. Neque beneficia unire, neque uniones revocare, neque Ecclesias dividere.

9. Neque beneficia erigere, neque jurispatronatus fundationi consensum præstare.

10. Neque præsentare ad beneficium jurispatronatus, ad Episcopi præsentationem pertinens.

11. Neque parochias erigere.

12. Neque in creatione novæ dignitatis auctoritatem præstare.

13. Neque imponere pensionem super beneficiis, in casibus in quibus id posset Episcopus.

14. Neque dare alicui parocho imperito Vicarium coadjutorem, ad formam concilii Tridentini (sess. 21 *de Ref.*, c. 6). Ita cum multis Ferrarius (adv. *Vicarius gen.*, art. 2, n. 36); sed hoc infra impugnamus.

15. Neque deputare aliquem in œconomum alicujus Ecclesiæ. (Ferraris, ibid., n. 37.) Sed illud etiam assertum infra rejicimus.

16. Neque Ecclesias dirutas et vetustate collapsas, quæ ob illarum et parochianorum inopiam nequeunt restaurari, in matrices erigere, vel in alias viciniores Ecclesias transferre.

17. Neque mutare statum alicujus Ecclesiæ in casibus in quibus id potest Episcopus.

18. Neque alienare res Ecclesiæ, aut in alienationibus seu transactionibus earumdem decretum interponere.

19. Neque concedere licentiam ædificandi nova monasteria et conventus in diœcesi.

20. Neque concedere licentiam alteri Episcopo exercendi Pontificalia.

21. Neque indulgentias concedere.

22. Neque interdicta relaxare, sive sint ab homine, sive a jure.

23. Neque concedere dimissorias pro recipiendis ordinibus, nisi Episcopus in remotis agat, et nonnisi post longum tempus rediturus sit.

24. Neque alium Vicarium sibi substituere : imo etiam cum speciali facultate Episcopi Vicarium sibi substituendi, non potest id facere nisi ex legitima causa et ad modicum tempus.

25. Neque absolvere a casibus Episcopo reservatis.

26. Neque dispensare in irregularitatibus, et absolvere a suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, ac ab aliis casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, quamvis id possit Episcopus in vim concilii Tridentini (sess. 24 *de Ref.*, cap. 6); quia nempe voluit concilium hæc fieri per Episcopum ipsum, aut per Vicarium ad id *specialiter* deputandum.

27. Neque absolvere ab excommunicatione canonis *Si quis suadente diabolo*, in casibus in quibus id potest Episcopus.

28. Neque cognoscere de crimine hæresis.

29. Neque explorare voluntatem puellæ habitum regularem suscipientis, vel professionem emittere volentis, ad for-

mam concilii Tridentini (sess. 24, cap. 6); nisi Episcopus sit absens aut legitime impeditus.

30. Neque, prout tenent aliqui, causas restitutionis in integrum cognoscere; sed ea quæstio infra expenditur, ubi de *in integrum restitutione.*

31. Neque deferre juramentum purgationis canonicæ.

32. Neque auctorare exemplum ex originali sumptum, ut eamdem vim et auctoritatem cum originali habeat.

33. Neque bona clericorum confiscare.

34. Neque pœnas corporales in pecuniarias commutare.

35. Neque condemnatum reum absolvere, sive, ut dicitur, gratiam ei concedere.

36. Neque exercere potestatem doctorandi, quam Episcopus ex privilegio haberet.

37. Neque exequi pias defunctorum voluntates.

38. Neque generatim ea explere quæ Episcopo competunt, non de jure communi, sed dumtaxat de jure speciali ultra jus commune. Ista enim non censentur comprehensa in generali commissione vicariatus : imo nec, sede vacante, transeunt in Capitulum, aut Vicarium capitularem.

*Nota.* Catalogum eorum quæ nequit Vicarius generalis absque speciali mandato explere, exaratum etiam reperies a Benenicto XIV (*de Syn. diœc.*, lib. 2, c. 8, n. 2).

## § III.

Quænam concessionis formula sufficiens sit ut Vicario generali revera competant ea, quæ speciali mandato Episcopi indigent.

1° Ut Vicarius generalis habeat jurisdictionem *in specialia,* id est, in ea quæ de jure requirunt mandatum speciale Episcopi, non sufficit formula in qua Episcopus ejusmodi specialia nec expresse, nec æquivalenter declaret a se concedi. De quo nulla est difficultas. Patet enim tunc non dari ab Episcopo mandatum *speciale,* cum dari nequeat, nisi vel expresse, vel saltem implicite, per formulam quæ ejusmodi mandato æquivaleat.

2° Nec sufficit formula qua Episcopus Vicario suo concederet *plenam et liberam facultatem agendi omnia quæ ipse Episcopus agere potest,* nisi simul aliqua specialia exprimantur. Ratio est quia jus requirit mandatum *speciale :* porro mandatum non est *speciale;* nisi *in specie* exprimat causas ad quas expediendas facultas conceditur : præmissa autem formula nullam *speciem* causarum exprimit ; ergo non est mandatam *speciale;* ergo insufficiens est dicta formula ad conferendam Vicario generali jurisdictionem in specialia. Et in hoc unanimiter concordare auctores, vide apud Leurenium (*de Vicariis Episc.,* cap. 3, q. 99), et apud Ferraris (ad vocem *Vicarius gen.*, art. 2, n. 84).

3° Nec sufficit formula, qua Episcopus testaretur, se Vicario suo facultatem concedere, *etiam ad ea omnia quæ speciale mandatum requirunt,* nisi simul aliqua ex istis specialibus exprimat. Nam neque talis formula aliquid *in specie* exprimit ; ergo non est mandatum speciale ; ergo insufficiens est ad conferendam Vicario generali in specialia jurisdictionem. In quo pariter concordare canonistas vide apud modo citatos auctores.

4° Si Episcopus utatur prædictis formulis, et simul insuper exprimat *aliqua* mandatum speciale requirentia, Vicarius generalis jurisdictionem habebit in omnia alia specialia, quæ non sunt majora seu graviora expressis. Quod sic exponit Ferrarius (ad vocem *Vicarius generalis,* art. 2, n. 84) : « Ad dignoscendum autem pro quibusnam casibus habeat vel non speciale mandatum, debet diligenter inspici et attendi forma « vicariatus seu instrumentum commissionis, quo quis institutus « fuit Vicarius generalis : ubi, si habetur solita apponi formula, « *et omnia et singula faciendi et committendi, etiamsi mandatum « exigant speciale...,* tunc, si Episcopus antea concessit vel expressit aliquos casus speciale mandatum requirentes, adjecta « postmodum dicta clausula, poterit Vicarius etiam alia facere, quæ requirunt speciale mandatum ; dummodo non sint « graviora vel majora expressis : prout in simili habetur decisum quoad procuratores in capite *Qui ad agendum* (4, *de Procuratoribus,* in 6), et Clementina 2, *de Procuratoribus;* ac no-

« tat glossa in caput *Licet* (*de Officio Vicarii*, in 6, verbo « *committantur*); et tenent Hostiensis, Covarruvias, Sbrozius, « Garcias, Tanchez, Moneta, Engel, Reiffenstuel, Barbosa, Pel- « legrinus, et alii : notantes non esse necesse, quod omnes su- « pradicti casus exprimantur in forma vicariatus seu instru- « mento commissionis; sed sufficere quod aliqui tantum « exprimantur cum prædicta clausula (seu cum alia simili), *et* « *omnia alia, licet mandatum exigant speciale :* dummodo tamen, « ut supra dictum est, ipsa alia non sint graviora vel majora « expressis. »

5° Si Episcopus, postquam posuit hanc vel similem formu- « lam, *et alia omnia pro quibus necessarium est mandatum spe- ciale,* excipiat expresse aliquem casum mandatum speciale re- quirentem, an Vicarius generalis in cætera specialia jurisdictio- nem habebit? « Respondeo, ait Leurenius, non convenire in « hoc auctores. » Rationes pro et contra vide apud citatum canonistam (*de Vicariis Episc.*, cap 3, q.101).

6° Ex dictis, prudentis Episcopi erit, in conficiendo vicaria- tus generalis instrumento, primo exprimere aliqua *majoris momenti* specialia ; secundo addere clausulam *et alia omnia, etiam speciale mandatum requirentia ;* tertio expresse dein exci- pere ea specialia, quæ a jurisdictione Vicarii generalis excepta voluerit. Sic nempe omnis præcavebitur circa Vicarii generalis potestatem difficultas : certum siquidem erit ipsi competere jurisdictionem quoad *omnia specialia*, exceptis quæ in ipso in- strumento expresse reperientur excepta.

## § IV.

Quando ex mandato speciali Episcopi Vicarius generalis habet in specialia jurisdictionem, an in eis censendus sit delegatus, ita ut detur ab eo ad Episcopum appellatio ?

Respondeo, posse Episcopum ejusmodi specialia Vicario gene- rali committere, vel tanquam Vicario, vel tanquam mero dele-

gato. Attendendus ergo modus quo Episcopus mandatum dedit. Nam 1° si dicta specialia commisit in ipso instrumento quo Vicarium generalem constituit, censetur eam facultatem ipsi fecisse tanquam Vicario generali; unde tunc hæc facultas ingreditur *ordinariam* Vicarii generalis jurisdictionem; ac proinde ab ejus sententia non datur appellatio ad Episcopum. 2° Si Episcopus ejusmodi specialia commiserit extra commissionem vicariatus generalis, et expresse dixerit hanc facultatem Vicario generali tribui *tanquam Vicario*, iterum in hoc ordinariam jurisdictionem is habere, et non delegatam censendus erit. 3° Si Episcopus extra vicariatus generalis commissionem specialia concedens, non expresserit an tanquam Vicario, an tanquam delegato, ea concesserit, sed de hoc siluerit, Vicarius generalis quoad ea delegatus dumtaxat censendus est. Nam cum certum sit ipsi non competere jurisdictionem ordinariam circa specialia, nisi ipsi *tanquam Vicario* commissa sint, donec constet de tali commissione, merus delegatus censendus erit : in casu autem proposito, id non constat; cum Episcopus non exprimat, se ipsi committere specialia tanquam Vicario, et non tanquam mero delegato. Unde tunc a Vicario, dicta specialia cognoscente et judicante, dabitur ad Episcopum appellatio. Eamdem autem doctrinam tenet Leurenius (*de Vicariis Episc.*, cap. 3, q. 104).

## § V.

Enumeratio eorum quæ nequit Vicarius generalis explere, etiamsi accederet commissio specialis Episcopi.

1. Nequit Episcopus Vicario suo generali facultatem facere absolvendi ab *occulta* (1) Hæresi. Nam,

(1) Quid hic per *occultam hæresim* intelligendum sit, diserte explanavit Benedictus XIV (*de Synodo diœcesana*, l. 9, c. 4). *Primo* scilicet non agitur de hæresi ad tribunal Episcopi deducta, et sic juridice nota : ab hac potest Episcopus resipicentem hæreticum absolvere. *Secundo*, nec de hæresi *mere interna* : ab hac

*Primo,* etiamsi revocata non fuisset facultas a prædicto crimine occultæ hæreseos absolvendi, quam ipsismet Episcopis concessit Tridentina Synodus (sess. 24, cap. 6), eam tamen non possent Episcopi Vicariis suis generalibus committere aut delegare ; id scilicet expresse prohibente dicta synodo his verbis : *Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ , eis tantum, non autem eorum Vicariis, sit permissum.*

*Secundo,* sed revocatam fuisse dictam facultatem, Episcopis a Tridentina synodo concessam, vide probatum a Benedicto XIV (*de Synodo diœcesana*, libro 9, cap. 4).

*Tertio,* sub hujus revocationis dispositione comprehensos etiam fuisse Galliæ Episcopos, ita ut et ipsi (non obstantibus regionis suæ particularibus juribus) dicta facultate careant, probat idem Benedictus XIV (citato loco, cap. 5).

*Quarto :* argumentis laudati Pontificis addi jam potest novum, ex Concordato 1801 depromptum. Cum nempe Pius Papa VII omnes Galliarum Ecclesias penitus extinxerit, ut novas crearet et prioribus substitueret, jus particulare priscis illis Ecclesiis proprium (quodcumque tandem illud olim fuerit), pariter sublatum fuit atque extinctum. Unde nequeunt hodierni Galliarum Episcopi, ex illo antiquato jure gallicano ullum sibi privilegium vindicare. (Vide id probatum in meo tractatu *de Principiis juris canonici.*)

2. Non potest Episcopus Vicario suo non Episcopo ea committere quæ sunt ordinis episcopalis. Pro cujus declaratione adnotandum est alia esse ordinis episcopalis ex jure divino, et alia ex jure humano. Ea pro quibus ex institutione Christi

quilibet confessarius absolvere potest. *Tertio*, nec de hæresi externe pronuntiata absque assensu interno : quia id non constituit formalem hæresim. *Quarto,* « difficultas unice circa cum versatur, qui interius fidei articulo dissentitur, suumque « dissensum aliquo exteriori signo pandit, quin tamen idcirco fuerit ad forum judiciale deductus. » (Loco citato, n. 5.) Generatim autem ***occultum*** dicitur quod ***neque notorietate juris, neque notorietate facti innotescit.*** Notorietas juris illa est, quæ oritur ***ex actis judicialibus :*** notorietas facti, quæ oritur ex ***publica fama.***

requiritur Ordo episcopalis, ita ut facta a non Episcopo irrita sint (prout est, verbi gratia, majorum ordinum collatio), nequeunt, etiam cum licentia Papæ, et a fortiori cum licentia Episcopi, a Vicario generali non Episcopo valide expleri, ut patet. Sed nec alia quæ ordinis episcopalis sunt ex ordinatione Ecclesiastica (prout, verbi gratia, benedicere Abbates, consecrare moniales, concedere velum, benedictiones facere in quibus adhibetur sacrum oleum), possunt Vicario generali non Episcopo committi absque facultate Pontificia. Quod vide discussum apud Leurenium (*de Vicariis Episc.*, cap. 3, q. 113).

3. Hinc sustinet Monacellus (parte 1, tit. 1, form. 1, n. 50 et seq.). Vicarium generalem, cum sola facultate Episcopi, non posse paramenta sacra benedicere; sed obtinendam ei esse à Sacra Congregatione rituum licentiam; cujus licentiæ solitam formulam ibi transcribit. Sed adnotat idem auctor ejusmodi licentiæ necessitatem a nonnullis auctoribus impugnari.

4. Nequit absente Episcopo Vicarius generalis exercere functiones episcopales, etiamsi specialem ad hoc facultatem dedisset Episcopus. Quia hæc de jure communi (quod non potest Episcopus immutare) pertinent ad primam capituli dignitatem et ad alios capitulares successive. Hinc non potest Vicarius generalis missas conventuales aut pontificales celebrare; aut sanctissimum Sacramentum, sacrasve reliquias paratus in processionibus deferre; nec aliis officiis aut functionibus ecclesiasticis se immiscere; sed tantum providere ut omnia suo ordine fiant; prout testatur Leurenius declaratum fuisse a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, in Bisignanensi, 16 martii 1600. (Vide Leurenium, loco citato, q. 117.)

## § VI.

Indicantur, ex materiis ad quas sese extendit Vicarii generalis Ordinaria jurisdictio, eæ quæ magis scitu utiles sunt, vel quæ difficultatem facere possent.

Potuissemus hunc paragraphum omittere, cum satis deter-

minata remaneat Vicarii generalis potestas per exclusionem eorum, quæ ipsi, vi commissionis vicariatus, non subsunt. Indicatis enim iis quæ jus voluit, vel nullo modo, vel nonnisi cum speciali Episcopi mandato posse a Vicario generali expleri, remanet in cæteris applicandum principium generale, posse Vicarium Episcopi quod potest Episcopus. Nihilominus abs re non erit dictum generale principium in specie applicare præcipuis saltem quibusdam materiis, iis præsertim de quibus dubium esse potest, num ex dispositione juris excipiantur a Vicarii generalis potestate.

Quæstio 1ª.—*Num Vicarius generalis Episcopi eamdem potestatem habeat cum capitulo vel capitulari Vicario, Sede vacante?* — Respondendum negative. Nam multa ex iis quæ nequit Vicarius Episcopi explere absque speciali Episcopi mandato, explere potest capitulum ante deputationem Vicarii capitularis, et ipse Vicarius capitularis statim ac deputatus fuit a capitulo. Vide in meo tractatu *de Capitulis,* determinatam Vicarii capitularis potestatem. Vide etiam Leurenium (*de Vicariis Episc.*, cap. 3, q. 97).

Quæstio 2ª. — *An Vicario generali competat ut sibi credatur, dum affirmat se fuisse deputatum in Vicarium generalem, vel se ex hac generali deputatione jurisdictionem habere in talem materiam, vel se habuisse mandatum speciale ab Episcopo : an vero id probare teneatur?* — « Respondeo 1°, vicariatum ipsum, seu « ipsam deputationem in Vicarium esse probandam, ex regula « generali : quod qualem quis se facit, talem debet se ostende- « re. Et in hoc non creditur assertioni ipsius Vicarii. Quod « ipsum tamen solum procedit, ubi vicariatus negatur. Respon- « deo 2°. Si vero non negetur vicariatus seu deputatio in Vica- « rium, sed sola potestas Vicarii, distinguendum est; ita ut, si « negetur potestas et facultas quam habet Vicarius ex generali « commissione et jurisdictione ordinaria, hæc probanda non « sit, sed præsumenda... Si vero negetur in Vicario facultas « eorum quæ speciale mandatum requirunt, subdistinguen- « dum est : vel enim negatur aut opponitur contra hanc facul-

« tatem, antequam Vicarius illam exerceat; et tunc est omnino « probanda, nec præsumi debet aut sufficit; alias actus erit « nullus ipso jure : vel negatur prædicta facultas postquam « Vicarius ea usus est, et tunc si Vicarius vel ejus prædeces- « sor communiter explevit ea quæ requirunt specialem facul- « tatem, maxime Episcopo præsente, est præsumenda illa « facultas...; cum semper præsumatur pro validitate actus. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, cap. 2, q. 103.)

Quæstio 3ª. — *Num Vicarius generalis Episcopi, jus habeat cumulative concurrendi, in administratione Sacramentorum et prædicatione verbi Dei, cum omnibus Curatis diœcesis?*— Respondendum affirmative, et quidem absque ullo speciali Episcopi mandato. Ista enim pertinent ad ordinariam Episcopi jurisdictionem, ac proinde etiam ad ordinariam jurisdictionem Vicarii generalis, cum nullo juris textu probari possint esse de iis pro quibus speciale mandatum requiratur. (Vide Leurenium, loco cit., q. 118.)

Quæstio 4ª. — *Num absente Episcopo possit Vicarius generalis absque speciali mandato dispensare in intertitiis ordinum?* — Respondendum affirmative cum Fagnano (in cap. *de Eo, de Temp. Ordinat.*, n. 12); qui auctor asserit hanc esse sententiam Sacræ Congregationis Concilii.

Quæstio 5ª. — *Num possit Vicarius generalis absque speciali mandato absolvere ab excommunicatione quam ipse tulit; et an ab excommunicatione canonis?*

1° Ab excommunicatione quam ipse tulit *uti Vicarius generalis*, potest absolvere absque speciali mandato Episcopi.

2° Ab excommunicatione quam tulit *uti delegatus* Episcopi, absolvere nequit absque ejusdem Episcopi facultate speciali.

3° Item ab excommunicatione juris seu Canonis, nequit absque speciali mandato absolvere. Quæ vide probata apud Leurenium (loco cit., q. 125).

Quæstio 6ª. — *An absque speciali mandato possit absolvere excommunicatos ab Episcopo, vel ejus delegato?* — Responden-

dum affirmative, ex ratione fundamentali quod habeat idem tribunal cum Episcopo. (Vide Leurenium, loco cit., cap. 3, q. 126 et 127.)

Quæstio 7ª. — *An sine speciali mandato possit sacerdotibus concedere facultatem absolvendi ab omnibus casibus non reservatis Papæ vel Episcopo?* — Respondendum affirmative, etiamsi ipse non sit sacerdos : si autem sit sacerdos, poterit insuper, et a fortiori, ipse a dictis casibus absolvere. (Vide Leurenium, loco cit., cap. 3, q. 133.)

Quæstio 8ª. — *Num sine speciali mandato possit approbare confessarios?* — Respondendum affirmative; quia ipse venit sub nomine Ordinarii : et sic dum Tridentinum (sess. 23, c. 15) approbationem confessariorum injungit Episcopis, non excluditur Vicarius generalis. (Leurenius, q. 134.)

Quæstio 9ª. — *An absque speciali mandato Episcopi possit Vicarius generalis a juramento absolvere?* — « Respondeo non « convenire in hoc auctores, nec satis sibi constare. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 137.) Rationes pro et contra vide apud citatum canonistam.

Quæstio 10ª. — *An sine speciali mandato possit punire excessus officialium laicorum sibi, vel Episcopo servientium, verbi gratia, actuarii, cursorum curiæ, et similium?* — Respondeo 1° certum est ex capite *Licet* (*de Officio Vicarii*, in 6) indigere Vicarium speciali mandato, ut quorumcumque excessus possit inquirere, corrigere, et punire. Respondeo 2°, quando tamen agitur de dictis Officialibus, auctores non concordant. (Vide Leurenium, loco cit., c. 3, q. 441.)

Quæstio 11ª. — *An sine speciali mandato possit exercere ea quæ conceduntur Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato? Et an vice versa possit Episcopus cognoscere causam Vicario suo a Papa delegatam?* — Respondeo ad I : vel ea, ante concilium Tridentinum, competebant Episcopo jure ordinario, vel non : si prius non indiget Vicarius generalis speciali commissione Episcopi : secus indiget. Probatur auctoritate Sacræ Congregationis Concilii. Vicarius generalis Archiepiscopi Neapolitani sub censuris

præceperat certis quibusdam clericis exemptis ut processioni intervenirent : non paruerunt ; et unus ex eis missam non obstantibus censuris celebravit. In dubium non revocabatur dictorum clericorum exemptio ; unde pariter certum evadebat non potuisse eos per censuras cogi ab Archiepiscopo, nisi quatenus Sedis Apostolicæ delegato. Sed censuræ latæ fuerant a Vicario generali absque speciali commissione sibi ab Episcopo facta. Hinc dubium *an censuræ latæ, fuerint attentatæ, seu potius substineantur, ita ut rector prædictus incurrerit irregularitatem ob celebrationem in casu?* — « Super hoc dubio, ait Sacræ « Congregationis secretarius, nulla fuit capta resolutio nec in « prima nec in secunda Congregatione ; ex quo videlicet cen- « suræ latæ fuerunt a Vicario generali, et non ab Eminentissimo « Archiepiscopo. Cum etenim nulla sit controversia quoad « exemptionem censuratorum (qua concurrente non poterat « adversus eosdem ad censuras procedi, nisi jure delegato « Sanctæ Sedis), ponderata fuit distinctio, quæ fit a doctoribus « super puncto ; an Vicarius generalis valeat sine speciali com- « missione procedere, in his quæ a sacro concilio Tridentino « committuntur Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis ; « cum dicant, quod Vicarius potest sine speciali commissione « dictos actus exercere, si ante concilium Tridentinum Episcopo « competebat facultas eos faciendi jure ordinario ; licet ad « excitandam jurisdictionem ordinariam, et amputandas quas- « cumque controversias, fuerit a sacro concilio Tridentino « constitutus Episcopus Sedis Apostolicæ delegatus : secus au- « tem, quando facultas actum gerendi non competebat ante « concilium Tridentinum Episcopo jure ordinario ; in hac si- « quidem facti specie, si actus explicatur a Vicario generali, et « non ab Episcopo, necesse est docere de speciali commissione « ab Episcopo facta eidem Vicario generali, uti videre est « apud Fagnanum, in caput *Quoniam*, n. 4 et seq., *de Offi- « cio delegati*. » (In *Thesauro resol.*, tom. 3, pag. 138.)

Respondeo ad II : « Cum delegatio est facta Vicario, non « potest Episcopus litteras exequi, nisi per viam subdelega-

« tionis... Eo quod tunc Vicarius non cognoscat causam ut « Vicarius, sed ut delegatus Papæ ; et in causa delegata per « Papam, major est Vicarius Episcopo suo, et separatum est « auditorium unius ab auditorio alterius. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, cap 3, q. 195.)

Si tamen delegatio fieret Vicario generali, absque nomine ipsius proprio, num tunc procederet modo tradita, et communiter recepta doctrina, apud doctores controvertitur.

Quæstio 12ª. — *Num sine speciali mandato possit corrigere excessus religiosorum exemptorum, extra claustra degentium?* — Respondeo : Certum est facultatem dictos exemptos extra claustra degentes judicandi et puniendi Episcopo competere, ex concessione Tridentinæ Synodi (sess. 6, c. 3). Quo prænotato, dicendum eamdem facultatem ad Vicarium generalem non transire, nisi cum speciali Episcopi mandato. Nam talis facultas concessa est Episcopo *tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato,* ut ibi loquuntur Tridentini patres ; nec eam habebant Episcopi ante concilium Tridentinum. Cum ergo, ex dictis sub quæstione superiori, Vicarius generalis absque speciali mandato expedire nequeat ea quæ Episcopo ex delegatione dumtaxat Apostolica, non autem ex jure simul communi, competunt, sequitur religiosum exemptum extra claustra degentem, non posse a Vicario generali puniri, nisi interveniente speciali mandato Episcopi. (Vide Fagnanum idem sustinentem, in caput *Quoniam, de Officio delegati,* n. 22.)

Quæstio 13ª. — *Num possit absque speciali mandato Episcopi, excommunicare?* — Respondeo 1° non potest absque speciali facultate ferre excommunicationem *tanquam pœnam* alicujus delicti ; cum per decretalem *Licet* (*de Officio Vicarii,* in 6), expresse prohibeatur absque speciali mandato quorumcumque excessus inquirere et punire. Respondeo 2° posse eum absque dicto speciali mandato excommunicare, ad effectum reddendi efficacem jurisdictionem suam, ne alias illusoria evadat ; id est, ad effectum obtinendi ut subditi sibi pareant. Et sic potest, verbi gratia, citatum reum vel testem excommunicare,

si comparere recuset. Hanc autem doctrinam tenent doctores communiter, ut videre est apud Leurenium (*de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 147).

Quæstio 14ª. — *An possit absque speciali mandato suspendere et interdicere?* — Respondendum sicut pro excommunicatione (adi Leurenium, loco cit., q. 148). Urgent enim rationes eædem. Si tamen infligenda foret suspensio perpetua, vel valde diuturna, putarunt nonnulli canonistæ necessariam esse facultatem specialem. In praxi non occurrit difficultas, quia solent Episcopi, dum Vicarium generalem constituunt, ipsi expresse concedere excommunicandi, suspendi et interdicendi facultatem.

Quæstio 15ª. — *An possit absque speciali mandato clericos concubinarios ab administratione beneficiorum suspendere?* — « Respondeo id eum posse respectu non exemptorum, non « vero respectu exemptorum (Fagnanus, in cap. *Quoniam*, « *de Officio delegati*, n. 38) : Siquidem concessa Episcopo « facultas (in Tridentino sess. 25, c. 14), etiam uti dele- « gato Sedis Apostolicæ, ut possit clericos concubinarios « a beneficiorum administratione suspendere et beneficiis « privare, videtur transire in Vicarium quoad non exem- « ptos; quia et jure ordinario poterat Episcopus in concu- « binarios animadvertere (ex toto titulo *de Cohabit. cler. et* « *mul.*). Quoad exemptos vero opus est speciali subdelega- « tione. Ita fere Fagnanus loco citato. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 149). Ego vero non video quomodo id concordare possit cum decretali *Licet* (*de Officio Vicarii*, in 6), qua expresse prohibetur Vicario generali quorumvis excessus inquirere et punire, absque speciali Episcopi mandato. Nam suspendere ab officio concubinarium clericum, etiam non exemptum, est illi pœnam infligere. Unde tutius saltem mihi videtur, ut Vicarius generalis in ejusmodi casu (si, quod Deus avertat, unquam accideret), absque speciali Episcopi facultate non procedat.

Quæstio 16ª. — *An absque speciali mandato possit notarios*

*seu actuarios ab officio ob imperitiam suspendere?* — Respondendum affirmative, vide apud Fagnanum (in caput *Quoniam, de Officio delegati*, n. 31), et apud Leurenium (loco cit., cap. 3, q. 150).

Quæstio 17ª.— *An posset absque speciali mandato facere gratiam, id est pœnam remittere?* — « Respondeo negative (Pir-« rhing... Azor... Rebuffus... Cardinalis... Abbas...) Vicarius « enim, juxta dicta sæpius, sine speciali mandato expedire « nequit quæ sapiunt meram liberalitatem et gratiam; utpote « quæ in generali vicariatus commissione non includuntur. « Proceditque responsio, etiamsi Episcopus non sit in diœ-« cesi. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 151.)

Quæstio 18ª. — *Quando inceptus est processus criminalis contra aliquem, an possit Vicarius generalis absque speciali mandato, quin causa ad exitum perducatur et sententia definitiva pronuntietur, talem absolvere, id est liberum dimittere?* — Non concordare in hoc auctores, vide apud Leurenium (loco cit., q. 152). Tutius saltem videtur, ut id nunquam faciat Vicarius generalis absque speciali mandato Episcopi.

Quæstio 19ª. — *An possit absque speciali mandato pœnam in leviorem mutare; et in specie an possit pœnas corporales vel pœnam depositionis mutare in pecuniariam?* — « Respondeo ad pri-« mum : tametsi Vicario commissa est specialiter potestas « causas criminales cognoscendi et judicandi, non tamen po-« test pœnam a jure canonico, vel particulari statuto diœce-« sano, impositam et definitam, in leviorem mutare, nisi hoc « ipsum specialiter et expresse ipsi fuerit concessum (posito « quod Episcopus in talibus dispensare potest)...; et sic non « potest eas pœnas mutare in pecuniarias. Idque etiamsi habe-« ret speciale mandatum ad dispensandum; quia in generali « potestate dipensandi non comprehenditur potestas dispen-« sandi super crimine, et commutandi pœnam, vel faciendi « compositiones. Sic quoque non poterit commutare pœnam « privationis vel depositionis a beneficio in pœnam pecunia-« riam... Sed nec ipse Episcopus sine causa pœnam minuere

« aut in aliam commutare potest, multoque minus recipere « compositiones, *super omnibus criminibus...* » (Leurenius, loco cit., q. 153.) Vide etiam auctores a citato Leurenio ibidem adductos.

QUÆSTIO 20ª. — *An possit absque speciali mandato cognoscere et judicare causas matrimoniales?* — Loquimur hic de causis matrimonialibus quæ Ordinariæ Episcopi jurisdictioni subsunt; non autem de iis quæ a Papa Episcopis delegantur. Quo prænotato, respondemus 1° communem esse doctorum sententiam, posse causas matrimoniales a Vicario generali expediri, dato ad hoc speciali ab Episcopo mandato. Nec obstant verba Tridentini (sess. 24, cap. 20, *de Ref.*), *causæ matrimoniales et criminales, non Decani, Archidiaconi aut aliorum inferiorum judicio, sed Episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquantur :* nam iis verbis excluduntur quidem a matrimonialium causarum cognitione Archidiaconus, et alii qui diversum ab episcopali tribunal habent; non autem Vicarius generalis, qui censetur unam et eamdem cum Episcopo personam agere. Imo per hæc verba non prohibetur Episcopus dictas causas alteri quam Vicario generali delegare; sed prohibetur dumtaxat ne ullus alius vi propriæ suæ jurisdictionis, eas cognoscat : ergo Episcopus poterit a fortiori eas Vicario suo committere.

2° Etiam sine speciali mandato, posse causas matrimoniales a Vicario generali expediri, est communior et probabilior doctorum sententia. (Vide Leurenium, loco citato, cap. 3, q. 160.) Nam citatis Tridentini verbis, *Episcopi tantum examini relinquantur*, non excludi, sed includi censendus est Vicarius generalis, ob unitatem tribunalis cum Episcopo. (Vide cardinalem Petra, tom. 2, *in Const.* 6 *Alexandri III*, sect. 2, n. 8.)

*Nota.* Ad causas matrimoniales quod attinet, quæ a Papa Episcopo delegantur, disputatum quidem est, num posset eas Episcopus Vicario generali expediendas committere. Sed affirmative respondendum cum Abbate Panormitano, Layman et Pirrhing, vide apud Leurenium (*de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 160). Ratio enim opinionis contrariæ (censeri nempe eligi

per Papalem ejusmodi delegationem, industriam personalem Episcopi) rigorose probari nequit. Sublata autem hac ratione, nihil obstat quin possit Episcopus dictas causas Vicario suo subdelegare.

Quæstio 21ª. — *An sine speciali mandato possit valide matrimoniis assistere?* — Jam ostendimus supra (capite 2, § 2, q. 2, n. 3) affirmativam sententiam extra omnem controversiam ivisse, per multiplices ibi memoratas Sacræ Congregationis Concilii declarationes. Tenendum nempe tanquam certum, 1° posse Vicarium generalem, perinde ac parochum, matrimoniis valide assistere absque ulla speciali Episcopi facultate; 2° id posse Vicarium generalem, etiamsi non sit sacerdos; 3° Posse eumdem, sive sacerdos sit sive non, alteri facultatem facere assistendi valide matrimoniis, modo iste alter sacerdos sit. Ratio autem horum est, quod Vicarius generalis « non « minus sit Ordinarius quam parochus, respectu omnium subdi- « torum omnibus parochis diœcesis, et non minus sit parochus « parochorum quam Episcopus, » ut dicit Leurenius (*de Vicariis Episc.*, cap. 3, q. 162) : Aliunde autem ex Tridentina Synodo, valida matrimonia sunt quæ celebrantur « præsente « parocho vel *alio sacerdote*, de ipsius parochi, *vel Ordinarii* « *licentia*. » (Sess. 24, cap. 1, *de Ref. Matrim.*) Si enim sufficit præsentia alterius sacerdotis *de Ordinarii licentia*, ergo licentiam hanc dare potest Vicarius generalis, cum veniat sub nomine Ordinarii. Quod autem Ordinarius, qui potest hanc licentiam alteri dare, possit a fortiori ipse valide matrimoniis assistere, per se patet : et ideo dumtaxat illud non expressit Tridentina Synodus, quia inutile erat exprimere. Si quis vero opponat, ex solo Tridentino textu rem non adeo per se patere, morem gerat memoratis Sacræ Congregationis Concilii decisionibus, quæ textum illum hoc sensu declararunt. Hodie enim pertinacia in contrarium nonnisi capitis debilitatem argueret.

Quæstio 22ª. — *An possit absque speciali mandato visitare monasteria, hospitalia, aliaque loca pia : item Ecclesias exemptas, vel nullius diœcesis?* — 1° Affirmative respondendum est quoad

confraternitates laicorum, hospitalia, collegia, aliaque loca pia non exempta de quibus Tridentinum, capite 8, sessionis 22. Quamvis enim Tridentini Patres ejusmodi visitationis jus tribuant Episcopo, etiam *tanquam Sedis Apostolicæ delegato*, id tamen ante Tridentinum jure ordinario poterant Episcopi. Quæ autem pertinent ad jurisdictionem ordinariam Episcopi, pertinent etiam ad jurisdictionem ordinariam ipsius Vicarii, exceptis iis, pro quibus constat requiri a jure speciale Episcopi mandatum. Requiri autem speciale mandatum quoad dictorum locorum non exemptorum visitationem, nullo textu juris constat.

2° « Quod si tamen dicta loca exemptionis privilegio fue-
« rint munita, ea sine speciali Episcopi commissione visitare
« non poterit (Fagnanus, in caput *Quoniam, de Officio delegati*,
« n. 30) siquidem decretum Tridentinum (loco citato), tametsi
« loquatur, tam de beneficiis et locis exemptis, quam non
« exemptis (ut patet ex illis verbis, *etiam exempta*), tribuitque
« propterea Episcopis jus visitandi etiam tanquam Sedis Apo-
« stolicæ delegatis; quoad loca tamen illis jure ordinario sub-
« jecta, noluit illos arctare ad procedendum authoritate dele-
« gata, sed tantum quoad exempta, utpote in quæ Episcopo
« alias jus visitandi non competebat. Unde jam Vicarius re-
« spectu illorum exemptorum, non poterit uti facultate istius
« decreti, nisi ei specialiter ab Episcopo delegetur. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, cap. 3, q. 167.)

3° De ecclesiis nullius diœcesis, idem dicendum ac de memoratis locis exemptis. Cum nempe Episcopus visitare nequeat nisi ex Sedis Apostolicæ delegatione, sequitur easdem a Vicario generali non posse visitari, nisi ex speciali Episcopi commissione.

« Unde jam etiam factum est, ut (uti testatur Fagnanus)
« Sacra Congregatio Concilii declaravit, Episcopum ecclesias
« exemptas, aut nullius diœcesis, visitare volentem, exprimere
« debere, se id facere uti Sedis Apostolicæ delegatum; et
« posse etiam illas visitare per Vicarium suum, sed opus esse

« ut det illi specialem ad hoc facultatem in scriptis. » (Leurenius, loco citato.)

*Nota.* Visitatio diœcesis est certo de his, quæ nequit explere Vicarius generalis absque speciali mandato; quia ob rei gravitatem, non censetur Episcopus eam concedere per generalem vicariatus commissionem.

Quæstio 23ª. — *An possit absque speciali mandato, circa concursum pro parochialibus ecclesiis vacantibus, id facere, quæ potest Episcopus?* — « Respondeo 1° : potest Vicarius ex gene-« rali commissione vicariatus, sine speciali mandato, concur-« sum indicere, proponere edicta, eumque cum examinatoribus « celebrare, ac successive ex approbatis eligere digniorem. « Regulariter enim potest Vicarius ex generali commissione, ea « quæ sunt jurisdictionis, nisi specialiter excipiantur, qualiter « non excipitur concursus. Neque his obstant verba Tridentini « (sess. 24, c. 18), *ab Episcopo, seu eo impedito, ab ejus Vicario « generali, etc.*, quibus velle videtur concilium, ita demum « posse Vicarium celebrare examen per concursum, si Episco-« pus sit impeditus. Respondet namque Garcias... et Barbosa..., « per illa verba non tolli, quin coram Vicario possit fieri exa-« men, etiam Episcopo non impedito; sed posita esse ad deno-« tandum, convenire ut ab ipso Episcopo, cessante impedi-« mento, fiat examen. Nequit tamen a Vicario sine speciali « mandato fieri ipsa collatio parochialis indicato et electo ma-« gis idoneo. »

« Respondeo 2° : præsidente in concursu Episcopo cum exa-« minatoribus, ut interveniat etiam Vicarius generalis, isque « etiam interroget, absque tamen voto, tanquam assessor so-« lum seu assistens Episcopo, de praxi communi receptum est. « (Cardinalis de Luca, *de Paroch.*, discursu 37, n. 13. Pigna-« telli, tom. 1, consult. 403.) » Ita Leurenius (*de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 169.)

Quæstio 24ª. — *Num absque speciali mandato possit confirmare statuta capituli; et num loco Episcopi consensum præstare statutis capitularibus?* — Communius tenent canonistæ id non

posse Vicarium generalem, nisi ex speciali commissione Episcopi; excepto casu (ut aliqui addunt) quo Episcopus abesset. (Vide Leurenium, *de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 174.)

Quæstio 25ª. — *An possit absque speciali mandato consentire ut clerici litigent in alio tribunali ecclesiastico quam suo?* — « Respondeo : cum Papa (capite *Significasti, de Foro compet.*) « prohibuerit clericis consentire in judicem non suum, absque « licentia proprii Episcopi, hanc licentiam non nisi de speciali « commissione Episcopi concedere potest Vicarius... Quod si « vero ageretur de judice laico, nequidem ipse Episcopus « concedere valeret hanc licentiam. Pari fere modo sine spe- « ciali mandato, Vicarius Episcopi suffraganei concedere non « potest, ut Metropolitanus cognoscat de negotio principali, « omisso articulo appellationis, ab eodem Vicario ad Metropo- « litanum interpositæ. » (Leurenius, loco cit., q. 178, id firmans variis auctoritatibus.)

Quæstio 26ª. — *An possit absque speciali mandato, claustra monialium ingrediendi licentiam concedere?* — Respondendum affirmative. Quamvis enim Tridentinum (sess. 25, c. 5), sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibuerit ingressum in dicta claustra, sine *Episcopi vel superioris* licentia, in scriptis obtenta, imo et noluerit posse ab Episcopo hanc licentiam concedi nisi in casibus necessariis, non tamen per hoc Vicarium generalem exclusit : « Cum Vicarius Episcopi « dicatur æque *superior* ac Episcopus (juxta Archidiaconum in « caput *Romana, de Appell.*, in 6). Sed neque ipsum illud ver- « bum *Episcopus* excludit Vicarium, juxta dicta a nobis sæpe « alias. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 181.)

Quæstio 27ª. — *An recepta regula, non posse Vicarium generalem causas criminales absque speciali mandato cognoscere, aliquas exceptiones patiatur?* — Tenent nonnulli doctores non requiri speciale mandatum : 1º si Vicarius generalis inquirat et cognoscat de delictis, non ut ipse ea puniat, sed ut ad Episcopum referat; 2º si id faciat, non ad puniendum, sed ut delinquentes se corrigant; 3º si de delictis, non criminaliter,

sed civiliter dumtaxat agatur. (Vide Leurenium, loco citato, q. 186.) Mihi tamen duæ priores exceptiones non satis videntur fundatæ, cum toties citata decretalis *Licet* (*de Officio Vicarii*, in 6), expresse prohibeat ne Vicarius generalis absque speciali mandato Episcopi *inquirat de aliquorum excessibus*.

QUÆSTIO 28ª. — *An possit absque speciali mandato cognoscere causas civiles?* — Respondendum affirmative, neque ulla de hoc movetur difficultas. (Vide Leurenium, loco cit., q. 188.) Et per causas civiles intelliguntur generatim omnes causæ ecclesiasticæ, quæ criminales non sunt.

QUÆSTIO 29ª. — *Num possit cognoscere de validitate dispensationis factæ ab Episcopo?* — Respondetur negative. Non enim potest inferior impedire potestatem superioris (juxta Clementinam *ne Rom.*, *de Elect.*). Et idem satis patet ex jure naturali.

QUÆSTIO 30ª. — *An possit absque speciali mandato cognoscere de obreptione vel subreptione dispensationis aut gratiæ Pontificiæ?* — Respondendum negative; quia id nequit ipse Episcopus de jure ordinario, sed dumtaxat tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, juxta dispositionem Tridentinæ synodi (sess. 13, c. 5).

QUÆSTIO 31ª. — *Quomodo intelligendum sit non posse Vicarium generalem, absque speciali facultate Episcopi, sibi dare substitutum?* — 1. Non posse Vicarium generalem sibi alium proprie substituere, idest cum eadem omnino potestate quam ipse habet, extra controversiam est apud doctores; qui hac præcipue ratione nituntur : « Nullus, inferior principe, Vica-
« rium ita constituere potest, ut totum officium suum seu po-
« testatem ordinariam (qualem habet Vicarius generalis Epi-
« scopi) ei committat, nisi id a lege, aut principis beneficio,
« ei concessum sit. Quare, ut ait Layman, nec ipse Episcopus
« officium suum ordinarium alteri committere posset, nisi id
« ei a lege esset concessum. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, cap. 3, q. 198.)

2. Si tamen specialiter concedatur Vicario generali, ut sibi substituat aliquem, et decernat simul Episcopus, ut talis sub-

stitutus eamdem habeat jurisdictionem ac ipse Vicarius generalis, valide quidem fiet a Vicario generali talis substitutio. Sed tunc proprie ab Episcopo constituitur substitutus; Vicarius autem generalis eligit dumtaxat personam et nominat. In quam sententiam convenire etiam doctores, vide apud laudatum Leurenium (loco citato).

3. An possit saltem Vicarius generalis, ob causam necessitatis (verbi gratia, propter absentiam vel infirmitatem) *ad breve tempus* sibi alium, absque speciali facultate Episcopi, substituere, qui Vicarii munere cum simili jurisdictione interim fungatur, inter auctores controvertitur. Multi enim tenent, etiam quoad talem substitutionem, necessarium esse speciale mandatum Episcopi.

Quæstio 32ª. — *An possit Vicarius generalis, absque speciali mandato, sibi constituere delegatum?* — Tenent communiter doctores: 1° eum posse, absque speciali mandato Episcopi, unam vel plures causas delegare; 2° non autem constituere delegatum ad causarum universitatem. (Vide Leurenium, loco cit., q. 199.) Similis autem censenda est potestas delegandi in substituto Vicarii generalis proprie dicto; qui nempe cum tota Vicarii generalis jurisdictione, vi specialis mandati Episcopi, substitutus est.

Quæstio 33ª. — *Quandonam substitutus Vicarii generalis vocetur Vicesgerens, et quandonam Locum-tenens: et an ab ipso ad Vicarium generalem detur appellatio?* — 1° Substitutus Vicarii generalis in jure vocatur *Vicesgerens*, quando immediate ab Episcopo constitutus fuit. 2° Vocatur autem *Locum-tenens* quando cum sibi, ex speciali de qua dictum est facultate, Vicarius generalis substituit. (Vide Leurenium, *de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 3.) 3° Quocumque autem nomine dicatur, si sit verus substitutus, et non merus delegatus, eumdem tribunal habet cum Vicario generali, ac proinde etiam cum Episcopo : consequenter ab eo non datur, neque ad Vicarium generalem, neque ad Episcopum appellatio.

Quæstio 34ª. — *An et quomodo cesset jurisdictio substituti,*

*quando excommunicatur Vicarius generalis?* — 1. Si fuerit ab ipso Vicario generali constitutus, statim ac is excommunicatur, cessat substituti jurisdictio. Constat ex decretali *Romana* (*de Officio Vicarii,* in 6). Et quidem cessat, non tantum quoad causas adhuc integras, sed etiam quoad causas jam inceptas.

2. Si vero ab Episcopo constitutus sit, perseverare ipsius jurisdictio censenda est.

3. Ipsiusmet Vicarii generalis jurisdictio cessat, etiam quoad causas cœptas, quando Episcopus fuit excommunicatus, suspensus, vel interdictus (intellige cum denuntiatione), sicut etiam quando est vita functus. Et consequenter cessat tunc pariter jurisdictio substituti, quocumque modo fuerit constitutus.

4. In hoc autem alia est conditio delegati a Vicario generali. Is enim, excommunicato delegante, servat suam jurisdictionem quoad causas jam inceptas, licet non item quoad adhuc integras. Quod discrimen inde provenit, quod delegatus non habeat idem cum delegante tribunal. Vide quæstionem discussam apud Leurenium (*de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 202).

Quæstio 35ª. — *An possit absque speciali mandato:* 1° *cogere parochos ut sibi adjungant cooperatores;* 2° *parochis imperitis assignare vicarios seu coadjutores;* 3° *constituere œconomum in beneficio vacante?* — Respondeo ad I affirmative. Nam etsi Tridentina synodus (sess. 21, c. 4) committat Episcopis *etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatis*, ut cogant rectores parochiarum, explendo muneri suo impares, ad sibi adjungendos cooperatores, idem tamen facere poterant Episcopi *de jure ordinario* ante dictam synodum. Quod patet, juxta doctrinam Fagnani, ex ipsa particula *etiam;* cum eam tunc synodus adjicere soleat, cum Episcopi jam id habent ex jure ordinario, quod ipsis insuper tanquam Sedis Apostolicæ delegatis committitur. Jam vero omnia quæ potest Episcopus jurisdictione ordinaria, eadem potest et Vicarius generalis, exceptis iis pro quibus a jure mandati specialis statuta fuit necessitas. Nullo autem juris textu cavetur, ut Vicarius mandato speciali Episcopi egeat, ad cogendos parochos, oneri sustinendo impa-

res, ut sibi cooperatores adjungant; ergo id potest Vicarius generalis ipsis injungere, absque ullo speciali Episcopi mandato.

Respondeo ad II affirmative, quamvis sententia opposita communior videatur. Nam potestas coadjutorem assignandi parocho imperito, pertinet pariter ad *jus ordinarium* Episcopi; unde et Tridentinum (sess. 21, c. 6) jus illud Episcopis tribuendo *tanquam Sedis Apostolicæ delegatis*, addit particulam *etiam*. Ergo idem exequi poterit absque speciali mandato Vicarius generalis, nisi quoad hoc ipsum, mandati specialis necessitas a jure decernatur. Nullibi autem in jure ejusmodi reperitur dispositio. Objicitur quidem assignationem coadjutoris parocho imperito, esse *de arduis*, quæ non censentur in generali commissione Vicario Episcopi commissa : sed hoc non probatur. Et certe multa alia potest Vicarius generalis absque speciali mandato, quæ non minus ardua sunt.

Respondeo ad III affirmative, ob rationes quoad duo præcedentia quæsita expositas. Probant enim posse etiam absque speciali mandato œconomum in parochia vacante a Vicario generali constitui. Multi tamen auctores contrarium tenent. (Vide Leurenium, *de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 217, 218 et 219.)

Quæstio 36ª. — *An possit absque speciali mandato conferre beneficia spectantia ad collationem Episcopi.* — Respondendum negative. « Ratio est quod, quæ meræ sunt gratiæ, Vicarius expedire nequit sine speciali mandato. » (Leurenius, loco cit., q. 240.)

Quæstio 37ª. — *An possit saltem, absque speciali mandato, parochiam conferre electo in concursu tanquam magis idoneo?* — Affirmative respondet Fagnanus (in caput *Ex frequentibus, de Instit.*, n. 3); eo quod sic electus acquisitum jus habeat, et collatio evaserit necessaria : unde jam non applicanda veniat decretalis *Cum in generali* (3, tituli 13, libri 1, in 6), qua decernitur, ne possit Vicarius generalis absque speciali mandato beneficia conferre.

Contrarium tamen alii tenent cum Rota, ex gravibus rationibus, quas vide apud Leurenium (*de Vicariis Episc.*, c. 3, q. 242, n. 2).

*Nota* 1. Posse tamen absque speciali mandato Vicarium generalem, quoad beneficia jurispatronatus, præsentatos a patronis instituere, vide apud eumdem Leurenium (ibid., q. 234).

*Nota* 2. Plura alia quæsita de potestate Vicarii generalis circa rem beneficiariam, vide apud dictum Leurenium (*de Vicariis Episc.*, capite 4).

## CAPUT V.

### DE VICARIATUS GENERALIS PRÆCEDENTIA.

I. *An Vicarius generalis sit dignitas?* — Strictiori sensu dignitas vocatur, non quodlibet officium cum præcedentia et jurisdictione, sed dumtaxat officium *perpetuum*, seu titulus *in perpetuum* collatus cui annexa est præcedentia et jurisdictio. (Vide meum tractatum *de Capitulis*, p. 79.) Minus autem stricto sensu dignitas vocatur, qui ex officio suo præcedentiam cum jurisdictione obtinet, etiamsi officium ipsius non sit perpetuum, sed ad nutum revocabile. Qua posita distinctione, patet Vicarium generalem non esse dignitatem in priori sensu, cum sit ad nutum Episcopi revocabilis, bene vero in posteriori, cum ipsi competat præcedentia et jurisdictio. Cujus distinctionis ope, facile ad concordiam reduces varia canonistarum hac de re dicta.

Certum autem est Vicario generali posse delegari causas in partibus a Sede Apostolica; quamvis jure cautum sit ut talis delegatio fieri nequeat, nisi personis in dignitate, vel saltem quasi dignitate constitutis.

II. *An Vicarius generalis quoad præcellentiam, superior inferiorve capitulo censendus sit?* — Respondeo : qui non habet

jurisdictionem episcopalem nisi ministerialiter et nomine Episcopi exercendam, et ad nutum ejusdem Episcopi revocabilem, inferior quoad præcellentiam censendus est eo, qui dictam jurisdictionem, per se ipsum et independenter ab Episcopo habet, *in habitu* sede plena, et etiam *in actu* sede vacante, quique per seipsum et independenter ab Episcopo est auxiliator natus Episcopi in Ecclesiæ regimine, et qui tandem id juris habet sibi stabiliter seu in perpetuum a lege collatum. Atqui Vicarius generalis, etsi unam et eamdem jurisdictionem habeat cum Episcopo, ut probavimus, ipsiusque personam agat, atque inde ipsi plurimum honoris et præeminentiæ merito sit tribuendum, non est tamen in dicta jurisdictione exercenda nisi minister, ex libera Episcopi voluntate constitutus, et ex eadem libera voluntate revocabilis. E contra Capitulum ex jure ipso, et non ex arbitrio Episcopi, jurisdictione episcopali pollet *in habitu*, sede plena, et *in actu*, sede vacante; estque insuper auxiliator natus, idest, a lege datus Episcopo in Ecclesiæ regimine; quæ prærogativæ stabiliter ei inhærent, nec sunt ad nutum Episcopi revocabiles. (Vide hæc firmata in tractatu meo *de Capitulis*.) Ergo Vicarius generalis, quoad præcellentiam, inferior capitulo censendus est : *capitulo,* inquam, non autem canonicis seorsim sumptis; quia dictæ prærogativæ capitulo ut tali, non vero singulis ejus membris, a jure collatæ sunt.

Hoc autem principio semel admisso, mirationem non movebunt quamplurimæ S. Congregationum Romanarum decisiones, quæ in multis Vicarium generalem capitulo cathedrali postponunt.

III. *Quænam sit regula præcedentiæ, Vicarium generalem inter et capitulum ac dignitates?* — Remissive ad tractatum meum *de Capitulis*, pag. 523 et seq.

IV. Quomodo in synodo diœcesana, Vicarius generalis præcedat dignitatibus et toti capitulo, modo tamen ipse gestet habitum vicarialem, et canonici non sint parati, id est, vesti-

bus choralibus induti, vide probatum a Benedicto XIV (*de Syn. diœc.*, lib. 3, c. 10, n. 2 et seq.)

Utrum Vicario generali congruat *Prælati* nomen? Non desunt canonistæ qui proprie dictam Prælaturam Vicario generali tribuant; ex ea ratione, *quod exercet totam illam jurisdictionem quam habet Episcopus; hæc enim jurisdictio constituit Prælatum* (Pignatelli, tom. 3, consult. 64, n. 4). Sed merito alii negant; quia ut quis sit proprie Prælatus, non sufficit, posse ab eo exerceri jurisdictionem episcopalem; sed requiritur ut eam habeat propriam, non autem vicarialiter. Hinc recte Cardinalis de Luca (miscell., discursu 1, n. 21) : « Quamvis autem « alii adsint ecclesiasticam jurisdictionem exercentes, ut sunt « Vicarii generales vel capitulares..., attamen non nativa, « sed dativa vel accidentalis est hæc jurisdictio, vicaria vel « provisionalis ; adeoque Prælaturæ nomen eis non con- « gruit. » Imo nec habent Prælaturam illam improprie dictam, quæ mere honorifica est et omni jurisdictione destituta; cum ex nulla juris dispositione prælatura hæc secundaria eorum officio reperiatur alligata.

## CAPUT VI.

### DE VICARIATUS GENERALIS EXPIRATIONE.

Quæstio 1ª. — *Quotuplici modo expiret Vicarii generalis jurisdictio?* — Expirat « 1° per propriam ipsius renuntiationem « expressam, vel saltem tacitam; ut si Vicarius diœcesim sui « vicariatus egrediatur animo non amplius revertendi; tunc « enim tacite renuntiasse censetur; 2° per remotionem seu « revocationem ipsius ab Episcopo factam; 3° per mortem « naturalem Episcopi; 4° per translationem Episcopi ad alium « episcopatum; 5° per depositionem vel relegationem Epi- « scopi; 6° per renuntiationem episcopatus factam ab Epi-

« scopo et a Papa admissam; 7° per legitimum ingressum « Episcopi in aliquam religionem; 8° per captivitatem Episcopi « (intellige a paganis, hæreticis, aut schismaticis); 9° expirat « jurisdictio Vicarii generalis, suspensa Episcopi jurisdictione « per excommunicationem, suspensionem, aut interdictum. » (Ferraris, ad vocem *Vicarius generalis,* art. 3, n. 27 et seq.)

Quæstio 2ª. — *An Vicarius generalis possit absque causa revocari?* — 1° Certum est validam fore revocationem, etiamsi absque ulla causa rationabili eam decernat Episcopus; cum tale officium sit ad nutum Episcopi revocabile. Sed tamen,

2° « In tali remotione est semper habenda ratio honoris « ipsius : unde facienda est cum magna circumspectione, et « cum gravi et justa causa : alias reintegrari potest per sacram « congregationem Episcoporum. Sic declaravit eadem Sacra « Congregatio in *Spalatrensi,* 3 julii 1601; et in *Tragurien si,* « 7 septembris et 8 octobris 1849. Causæ autem justæ, pro « quibus removeri potest Vicarius generalis, sunt præsertim « sequentes : *Prima* est, si de Vicario audiantur multæ que- « relæ sacra congregatio Episcoporum in *Spalatrensi,* 5 fe- « bruarii 1601. *Secunda* est, quando non bene regit et guber- « nat, nec certiorem facit Sacram Congregationem de causis « magni momenti, in defectu vel absentia Episcopi : sacra « congregatio Episcoporum in *Agrigentina* et in *Tranensi,* 3 de- « cembris 1601. *Tertia,* si scribat irreverenter ad Sacram « Congregationem, ejusque dominos Officiales : sacra congre- « gatio Episcoporum in *Rætina,* 3 septembris 1601. *Quarta,* « si aliquem ex S. R. E. Cardinalibus ea qua decet reverentia « non tractet : sacra congregatio Episcoporum in *Savonensi,* « 19 novembris 1655. *Quinta,* si careat circumspectione et « prudentia, licet in reliquis idoneus esset : sacra congregatio « Episcoporum in *Placentina,* 11 septembris 1601. *Sexta,* si « excommunicatus existat : sacra congregatio Episcoporum « in *Placentina,* 18 junii 1649. *Septima,* si mandatis Sacræ « Congregationis obedire renuat : sacra congregatio Episco- « porum in *Parmensi,* 17 augusti 1643, et *Asculana,* 23 apri-

« lis 1649. *Octava*, si oriundus fuerit ex eadem civitate vel « diœcesi : sacra congregatio Episcoporum in *Ostunensi*, 28 ju- « lii 1587; in *Spalatrensi*, 9 martii 1593; in *Senogalliensi*, 10 fe- « bruarii 1598; in *Pistoriensi*, 19 octobris 1625; et in *Su- « trina*, 16 novembris 1640. » (Ferraris, ad vocem *Vicarius generalis*, art. 4, n. 29.)

Quæstio 3ª. — *An valeant gesta a Vicario generali post mortem Episcopi, sed dum mors illa adhuc communiter ignoraretur?* — Respondendum affirmative; quia error communis dat jurisdictionem. (Vide Ferrarium, loco citato, n. 40.)

Quæstio 4ª. — *An valeant gesta per Vicarium generalem jam revocatum, sed antequam revocatio ei intimata fuerit?* — Respondendum affirmative. (Vide apud Leurenium, *de Vicariis Episcoporum*, c. 5, q. 292, n. 2.)

Quæstio 5ª. — *An expiret jurisdictio Vicarii generalis per revocationem aut mortem delegantis, quoad causas ipsi delegatas sive ab Episcopo, sive a Sede Apostolica?* — Distinguo : si ipsi delegatæ sunt sub nomine Vicarii generalis dumtaxat, expirasse censenda est : secus si delegatio facta fuit cum nomine ipsius proprio. (Vide Leurenium, *de Vicariis Episcoporum*, c. 5, § 3.)

## CAPUT VII.

### DE VICARII GENERALIS SUSTENTATIONE.

1. Omni simoniaca labe carere, quod Vicarius generalis salarium recipiat pro opera Episcopo suo impensa, est communis doctorum sententia. (Vide Leurenium, *de Vicariis Episcoporum*, c. 5, q. 284.)

2. Non tantum potest, sed tenetur Episcopus salarium Vicario suo solvere. (Leurenius, ibid.)

3. Etiam debetur salarium quando de hoc nulla facta est conventio. (Idem, ibid., q. 285.)

4. Et etiamsi Vicarius generalis sit canonicus; quia neque canonicus tenetur operas suas gratis locare Episcopo. (Idem, ibid., q. 286.)

5. Tenetur Episcopus ex sua camera salarium Vicario suo generali constituere. Mortuo autem Episcopo salarium pro tempore quo Vicarius generalis ipsi deservivit, solvi debet a capitulo, vel Vicario capitulari, de bonis Ecclesiæ vacantis. (Idem, ibid., q. 289.)

Hodie vero in Gallia, cum salarium ejusmodi a Gubernio solvatur, liberi sunt a tali solutione hujus et similium regionum Episcopi.

## CAPUT VIII.

### QUOMODO EPISCOPUS EX ACTIS VICARII SUI GENERALIS TENEATUR.

Quæstio 1ª. — *An Episcopus teneatur ex actis et delictis, a Vicario suo tanquam privata persona, extra Officium vicariale gestis?* — Respondendum negative; atque in hoc concordant doctores unanimiter. « Quia (ait Pirrhing, in tit. 28, libri 1 « decret., n. 68) Vicarius, in his quæ agit ut privatus, non di- « citur gerere vices Episcopi, nec illum repræsentare. » Et pariter Leurenius (*de Vicariis Episcoporum*, c. 5, q. 301) : « Non « tenetur ex delicto et gestis a Vicario suo extra officium « suum. » Merito tamen addit idem auctor : « Nisi forte man- « dasset, aut alio modo de delicto participasset. » Id autem necesse non est probare expressis juris positivi textibus; cum ex jure naturali evidenter fluat.

Hinc tota difficultas ad ea restringitur, quæ Vicarius generalis agit tanquam persona publica, idest, ex jurisdictione sua ordinaria et nomine Episcopi; et quæritur : an et quo sensu Episcopus ex gestis ejusmodi teneatur, seu (ut gallicismo utar) ejusmodi gestorum *responsabilitatem* habeat; et an possit vel non ea rescindere.

Quæstio 2ª. — *An possit Episcopus rescindere definitivam Vicarii sui generalis sententiam, anticanonice prolatam, seu ipso jure nullam?* — Pendet hæc questio ab altera, quam tractatam habes infra (sectione 5, c. 2, § 1, q. 2); utrum nempe causa nullitatis sententiæ cognosci possit ab eodem judice qui sententiam tulit. Cum enim Vicarii generalis sententia de jure habenda sit pro ipsamet sententia Episcopi, ob tribunalis utriusque identitatem, poterit Episcopus retractare Vicarii sui nullitate laborantem sententiam, si possit suam : si vero nequeat suam, nec poterit Vicarii sui. Loco autem citato distinguimus jus commune scriptum, a consuetudine. Et de jure quidem scripto, certum est, et a doctoribus communiter receptum, posse sententiam definitivam quæ nullitate laborat, ab eodem judice ordinario qui eam tulit, revocari et rescindi : ex ea scilicet ratione quod Ordinarius judex per sententiam *nullam* officio suo functus non censeatur. Cæterum posse etiam rescindi eamdem sententiam a judice appellationis dubium non est. At vero generalis consuetudo jamdudum obtinuit, ut a solo judice appellationis causa nullitatis sententiæ derimatur. (De qua generali consuetudine vide testantem Reiffenstuel, in tit. 28, libri 2, n. 31.)

Ex qua doctrina ad præsentis quæstionis solutionem facilis illatio : nam sicut, inspecto jure scripto, potest Episcopus suam sententiam, quam nulliter protulit, retractare, idem poterit quoad generalis Vicarii sui sententiam, nullitatis vitio laborantem; siquidem, ob tribunalis identitatem, jurisdictionales Vicarii generalis actus censentur ab ipso Episcopo gesti.

Inspecta vero supra memorata consuetudine, sententia a Vicario generali nulliter prolata, nonnisi a judice appellationis rescindi posse dicenda est.

Quæstio 3ª. — *An Episcopus possit rescindere aut corrigere sententiam definitivam, a Vicario suo injuste (non tamen nulliter) prolatam?* — Respondendum negative. Nam sententia definitiva generalis Vicarii de jure habenda est tanquam sententia ipsiusmet Episcopi : ergo si nequeat Episcopus validam

suam sententiam corrigere, quantumvis injusta fuerit, nec poterit validam Vicarii sui sententiam corrigere, etsi eam iniquam existimet. Porro certum est et extra omnem controversiam positum, non posse sententiam ab Episcopo valide prolatam, quantumvis injusta sit, ab eo revocari aut immutari. Nam quilibet Ordinarius per sententiam definitivam (sive justa sive injusta fuerit, modo tamen non sit ipso jure nulla) (1), censetur officio suo functus; ita ut jam omni jurisdictione careat ad cognoscendum de causa ab ipso definitive judicata, et tota jurisdictio ad cognoscendum denuo de eadem causa ad judicem appellationis devolvatur. Unde revera tenetur Episcopus ex definitivis sententiis a Vicario suo valide prolatis; id est, nullatenus valet eas immutare aut rescindere.

Quæstio 4ª. — *An et quomodo Episcopus teneatur ex actis jurisdictionalibus Vicarii sui extra-judicialiter gestis?* — Videtur dicendum, eos Vicarii generalis extra-judiciales actus posse ab Episcopo corrigi et immutari, quos posset Episcopus, si ab ipso gesti forent, annullare et corrigere : e contra qui ab Episcopo gesti revocari nequeunt, eumdem effectum, positi a Vicario generali, sortientur. Rem exemplis illustremus. Dispensationem ab intertitiis ordinum a se concessam revocare potest Episcopus, ante expletam ordinationem : eamdem concessionem a Vicario generali factam revocare poterit. Rescindere nequit Episcopus matrimonium alias validum, cui ipse assistentiam præbuit : nec rescindere poterit si hanc assistentiam præbuerit Vicarius generalis, quantumvis in ea præstanda peccaverit. Rescindere nequit Episcopus absolutionem ab excommunicatione, quam pronuntiaret : neque facere potest ut non sint vere absoluti quos Vicarius ab excommunicatione absolvit. Idem applica cæteris jurisdictionis extra-judicialibus actibus, quos explicare vi officii sui potest Vicarius generalis ; et reperies tunc posse ab Episcopo rescindi, quando et ab eodem Episcopo gesti rescindi possent. Quod tandem eo

(1) De qua nullitate vide infra sectione 5, cap. 2.

nititur, nunquam satis inculcando, fundamento, unam censeri personam Episcopi et ipsius Vicarii, et actus Vicarii censeri ab Episcopo gestos.

Quæstio 5ª. — *An Episcopo imputanda sint delicta Vicarii generalis, anticanonice et injuste administrantis?* — Respondent auctores cum distinctione : si Episcopus vel sciens, vel ex culpabili negligentia, Vicarium generalem improbum vel imperitum elegit, vel si jam cognitum ut talem toleravit, ejusdem prava et iniqua gesta ipsi etiam Episcopo imputanda erunt : secus vero si inculpabiliter elegit et retinuit, quem idoneum bona fide reputabat.

Quæstio 6ª. — *An Episcopus teneatur resarcire damna ex injustis Vicarii generalis actibus orta?*—Applicanda redit memorata distinctio : si imperitum aut improbum Vicarium inculpabiliter elegit et retinuit, non tenebitur dicta damna resarcire : secus si in dicta electione et retentione culpabilis extitit Episcopus. In quo reperies concordare auctores.

## CAPUT IX.

AN VICARIUS GENERALIS, QUOAD DELICTA IN OFFICIO SUO COMMISSA, POSSIT AB EPISCOPO PUNIRI, ET AN AB ARCHIEPISCOPO, ET NUMQUID SUBJACEAT SYNDICATUI?

Quatuor hic præstabimus : 1° communiorem auctorum doctrinam exponemus ; 2° difficultates quibus doctrina hæc obnoxia est indicabimus ; 3° quid tenendum videatur subjungemus ; 4° adnotabimus Vicarios generales non subjacere syndicatui.

### § I.

Exponitur communior doctorum sententia.

1° Si Vicarius deliquit ut *persona privata*, posse in eum sicut

in alios subditos Episcopum animadvertere, omnino certum est. « Et in hoc casu (ait Leurenius, *de Vicariis Episc.*, q. 300) « cum punire nequit Metropolitanus, nisi forte ad illum ap- « pellatum sit. » Unde quod delicta privata Vicarii generalis possint ab ipsius Episcopo puniri, non vero ab Archiepiscopo aut ejus Officiali (extra casum appellationis), omnino certum est, et unanimiter admissum; et ideo quæstionem dumtaxat posuimus de delictis a Vicario generali in officio suo commissis.

2° Delicta Vicarii in spectantibus ad officium suum, posse puniri ab Archiepiscopo, admiserat glossa in caput 1, *de Officio Vicarii*, in 6, verbo *Rationabili*. Loquendo enim de Officialibus Episcopi, qui *peccant in his quæ sunt jurisdictionis*, sic habet : *tunc Archiepiscopi eos sicut Episcopi punire possunt*.

Nonnulli veteres canonistæ videntur insuper admisisse, non posse in hoc casu Vicarium generalem puniri ab Episcopo suo; prout satis indicant hæc Sbrozii verba (*de Vicario Episcopi*, lib. 3, q. 57, n. 3) : « Sed verius est, quod Episcopus non « possit ejus Vicarium punire. Et ratio est, quia ubi Vicarius « peccat in iis quæ sunt jurisdictionis, vel circa officium, pu- « nitur ab Archiepiscopo, secundum glossam (in caput 1, *de* « *Officio Vicarii*, in 6, verbo *Rationabili*), Innocentium, et Ar- « chidiaconum (in caput *Romana*, § finali, *de Foro competenti*, « libro 6). Et quoad jurisdictionem, et quæ ratione officii po- « test exercere, non dicitur subditus Episcopo, neque minor « illo (Bero, consilio 22, n. 13, volumine 1). Prout etiam, quia « Episcopus non potest esse judex in causa sui Vicarii (ut dixi « supra...); ergo nec illum punire potest, ex defectu jurisdi- « ctionis; ne alias dicatur judicare in propria causa. Sicut « etiam, quia Episcopus tenetur de delicto sui Vicarii vel Of- « ficialis delinquentis in officio (Rota, decisione 6, alias 278, « in novissimis...). Nec non etiam et quia Episcopus tenetur « exhibere Vicarium vel Officialem delinquentem...; unde « cum non conveniat sibi ipsi illos exhibere, ne sit judex et « pars, merito illum punire non poterit. »

Contraria tamen sententia (dicta nempe Vicarii generalis delicta esse ab ipsius Episcopo punienda, non autem ab Archiepiscopo), a veteribus etiam canonistis propugnata fuit. Sic enim legere est apud Durandum, cognomine *Speculatorem* (in speculo, libro 2, particula 1, *de Competentis judicis aditione*, § *Sequitur*, pagina 20, tom. 2, edit. Lugduni 1547) : « Item « nota, quod de maleficio, vel quasi, Officialis Episcopi, com- « misso in officio, ut puta in sententia vel processu, agendum « est coram Episcopo cujus est Officialis; et non coram Archie- « piscopo vel ejus Officiali. Episcopus autem, si requisitus nolit « cogere Officialem suum ad emendam, potest ratione hujus « maleficii conveniri coram Metropolitano seu ejus Officiali. » Certum item est speculatorem sequaces in hac sententia habuisse.

3. Præfata autem veterum canonistarum doctrina, apud recentiores moderata est in hunc modum, sub quo in *sententiam communiorem* transivit : vel Episcopus particeps fuit culpæ a Vicario generali in officio suo commissæ, vel non : si dictæ culpæ expers fuit Episcopus, ad ipsum pertinet eam punire, neque potest Archiepiscopus in hoc sese immiscere : si dictæ culpæ particeps fuit Episcopus, nequit Vicarium suum generalem punire, idque pertinet ad Archiepiscopum. Officialis autem Archiepiscopi, etiam in hoc posteriori casu, nequibit Vicarios generales Episcoporum judicare. Ita teneri reperies a Sbrozio (loco supra citato, n. 10), a Leurenio (*de Vicariis Episc.*, cap. 5, q. 300), a Layman (in caput *Romana* 1, *de Officio Vicarii*, in 6), et passim a modernis aliis, ex quibus satis erit in medium adduxisse Pirrhing : « Si Vicarius, inquit, de- « linquat in pertinentibus ad suum officium, ita tamen ut Epi- « scopus extra culpam sit, tum etiam ad Episcopum pertinet « de delicto aut negligentia Vicarii cognoscere, eumque pu- « nire : neque Archiepiscopus in hoc casu se immiscere potest, « nisi Episcopus requisitus causam cognoscere recuset. Ratio « est, quia licet Vicarii jurisdictio eadem sit et reputetur cum « jurisdictione Episcopi, non tamen eodem, sed diverso modo

« residet in utroque. Nam in Vicario est cum dependentia a « voluntate et imperio Episcopi; ac proinde Vicarius, etiam « ratione officii sui, est aliquo modo subjectus et subordinatus « Episcopo. Si Vicarius delinquat in officio suo, et Episcopus « etiam sit culpæ particeps, tum non ad Episcopum, sed ad « Archiepiscopum pertinet causam cognoscere, ac punire « Vicarium. Imo Episcopus tenetur tali casu exhibere et si- « stere Vicarium qui deliquit Metropolitano, si petit... Porro « Officialis seu Vicarius generalis Archiepiscopi nullam habet « potestatem aut jurisdictionem in suffraganeos, ob dignita- « tem et eminentiam officii Episcopalis (cap. 1, § *Officiales;* « *de Officio judicis ordinarii*, in 6), neque in Vicarios suffraga- « neorum, sicut etiam non habet in subditos suffraganeorum » (in titulum 28, libri 1 decretalium, n. 75).

## § II.

Quibus difficultatibus obnoxia videatur præmissa doctorum communior sententia.

1. Occurrit difficultas si dicatur Vicarium generalem, in officio suo delinquentem, judicari et punire posse ab Episcopo suo, etiam in casu quo is particeps culpæ non extitit.

Nam si appellare a Vicario generali ad Episcopum, sit appellare *ab eodem ad eumdem*, dum judicatur et punitur ab Episcopo Vicarius generalis, ratione actuum jurisdictionalium, dici potest pariter judicari et puniri *eumdem ab eodem*. Porro repugnat proprie et in sensu juris posse aliquem a seipso judicari et puniri. Et notetur axioma illud, appellare a Vicario ad Episcopum, esse appellare ab eodem ad eumdem, verum reputari quantumvis evidenter iniqua sit Vicarii generalis sententia. Præterea non potest Episcopus iniquam Vicarii sui sententiam punire, quin hoc ipso cognoscat in secunda instantia causam a dicto Vicario judicatam, et pronuntiet injustam fuisse prolatam ab ipso sententiam : si autem possit Episcopus judicia Vicarii sui in secunda instantia cognoscere, et ea corrigere,

absurde statuitur non dari a Vicario ad Episcopum appellationem.

Adde alias rationes, quibus superiori capite ostendimus non posse rescindi ab Episcopo actus judiciales Vicarii generalis.

2. Occurrit pariter difficultas, si dicatur Vicarium generalem in officio suo delinquentem, posse in prima instantia seu extra casum appellationis, judicari et puniri ab Archiepiscopo, etiam in casu quo Episcopus particeps extiterit delicti, a Vicario suo commissi.

Nam certum est causas criminales majores Episcoporum, a Tridentini concilii tempore, non subjacere Metropolitarum jurisdictioni, sed fuisse a dicta synodo Sedi Apostolicæ reservatas. Causas item criminales minores Episcoporum iidem Tridentini patres concilio provinciali judicandas reservarunt. In casu autem appellationis coram Archiepiscopo pendentis, potest is suffraganeum cogere ad exhibenda acta, et præstanda alia ad expediendam appellationis causam necessaria, quæ si recuset præstare suffraganeus, remansit Metropolitæ jus in eum pœnis et censuris animadvertendi.

Unde, extra dictum appellationis, in curia archiepiscopali pendentis, casum, nequit Archiepiscopus de ullis suffraganei sui delictis cognoscere, neque ea punire. Jam vero si posset Archiepiscopus judicare et punire delicta Vicarii generalis Episcopi, in officio suo commissa, et quorum particeps fuisse Episcopus supponitur, posset hoc ipso judicare et punire delicta suffraganei sui. Nam pronuntiando talem actum jurisdictionalem Vicarii generalis Episcopi esse pravum et injustum, hoc ipso pronuntiaret de pravitate et injustitia a suffraganeo commissa; cum actus jurisdictionalis Vicarii, censeatur actus Episcopi, præsertim quando Episcopus ejusdem pravi actus fuit particeps. Talis autem sententia Archiepiscopi, et rescissio dicti actus jurisdictionalis, esset simul vera pœna suffraganeo, licet indirecte, inflicta; utpote qua ipsius æstimationi et nomini macula inureretur. Ergo ex eo quod nequeat Archiepisco-

pus judicare et punire delicta suffraganei, merito infertur nec posse eum judicare et punire jurisdictionales actus, etsi inquos, a Vicario generali Episcopi gestos. Extendenda scilicet videtur memorata synodi Tridentinae dispositio ad Vicarium generalem Episcopi, ob toties inculcatam personae, auditoriique, et jurisdictionis utriusque identitatem.

Nec obstare videtur decretalis *Romana (de Officio Vicarii*, in 6°, in qua supponitur posse Officiales suffraganeorum variis de causis ab Archiepiscopo excommunicari; dici enim potest hoc jus viguisse ante Tridentinum concilium, quando poterant Archiepiscopi causas criminales suffraganeorum cognoscere; non autem ex quo, per dictam synodum, jus illud amiserunt.

## § III.

### Quid tenendum videatur.

Monacello assentiens (parte 3, tit. 1, formula 32, n. 7 et seq.), puto ad Archiepiscopum, non autem ad Episcopum, pertinere Vicarii generalis in officio suo delinquentis coercitionem, sive particeps sive expers culpae existat Episcopus.

Id enim mihi evincere videtur expressa declaratio Sacrae Congregationis Concili (in *Tarentina*, 25 februarii 1642); quae apud memoratum Monacellum (loco citato) refertur his verbis: *Sacra Congregatio Concilii censuit, Archiepiscopum Metropolitanum, etiam in prima instantia, esse judicem competentem in causis contra Vicarios et Officiales suffraganeorum, quando delinquunt in officio et jurisdictione.* (Libro 37 decretorum, folio 356.)

« Neque apud me vim facit distinctio Pirrhing, Vicarii de-
« linquentis in officio, sciente Episcopo, a Vicario delinquente
« citra culpam Episcopi; quia cum consistorium Episcopi et
« Vicarii unum et idem sit..., et Episcopus dicatur facere quod
« ejus Vicarius facit; ratione affectionis, unionis et interesse,
« Episcopus est judex suspectus; et in utroque casu in pro-
« pria causa quodammodo judicare decernetur. Experien-

« tia enim docuit, quod Episcopi, etsi participes non sint de-
« lictorum in officio commissorum a Vicario, tamen, ne
« videantur Vicarium imperitum vel improbum tolerasse et
« sibi coaptasse, delicta abscondere vel saltem minorare pro-
« curant; adeo ut fautores, et proprii honoris defensores, po-
« tius quam judices censendi sint. » (Monacelli, loco citato.)

Quid vero si Vicarius generalis Episcopi sit religiosus exemptus? Difficultatem solvit Monacellus in hunc modum: 1° si Episcopus talem Vicarium habeat *de licentia Sacræ Congregationis*, censetur Papa exemptionis privilegium sustulisse, in his quæ ad ejus officium pertinent : unde puniri poterunt talis Vicarii generalis delicta, in officio suo commissa, perinde ac si foret sæcularis. 2° Si vero talem Vicarium habeat Episcopus *de licentia ipsius superioris tantum*, distinguenda ejus delicta : vel enim turbat jurisdictionem Archiepiscopi (verbi gratia, non admittendo appellationem ad curiam Metropolitanam, inhibitionemve Archiepiscopi contemnendo); et tunc puniri poterit, non tanquam jurisdictioni Archiepiscopi subjectus, sed tanquam jurisdictionis ejus perturbator : vel alia sunt ejus delicta (puta quod sententias proferat ob favorem, pecuniam, et similia motiva sordida); et instrui quidem contra eum processus poterit; sed quoad pœnam, ob exemptionis privilegium, ad proprium suum religionis superiorem remittendus est. (Monacelli, parte 3, tit. 1, form. 32, n. 13 et seq.)

## § IV.

### Num qui desiit esse Vicarius generalis subjaceat syndicatui ?

Vicarius generalis non potest a successore Episcopi cujus fuit Vicarius *Syndicari*, idest, cogi ad reddendam rationem administrationis suæ sub præcedenti Episcopo, et pro malefactis puniri. « Respondeo, ait Laurentius, illum liberum esse
« ab hujusmodi obligatione, cui subjicitur solus Vicarius capi-
« tuli, et alii officiales sedis vacantis. » (*De Vicariis Episcoporum*,

q. 303.) Ratio est, quia ejus actus censentur gesti ab Episcopo, cujus erat Vicarius generalis. E contra Vicarius capitularis est provisorie successor Episcopi defuncti. Unde mirum non est quod hic, non ille syndicatui subjaceat. Atque in hoc concordant doctores unanimiter.

## CAPUT X.

### DE VICARIIS FORANEIS.

Præter Episcopi et Vicarii ipsius generalis tribunal, quod unum idemque censetur, alia tribunalia inferiora comprehendit episcopalis curia, in quibus alii judices, Vicarii nempe foranei, Episcopi auctoritate et nomine jus dicunt. De qua Vicariorum specie occurrit nunc instituenda disceptatio.

### § I.

#### De eorum origine.

« Ejusmodi Vicariorum originem antiquissimam esse, atque « ad Chorepiscopos referendam, non immerito arbitratur Juenin... Quamquam enim Rabanus Archiepiscopus Moguntinus « (in opusculo *de Chorepiscopis*), Beveregius..., Binghamus..., « Caveus, Blondellus, Tournely, aliique existiment, Chorepiscopos ordinatione et charactere veros Episcopos fuisse ; « attamen (quod citatus Binghamus fatetur), communior « magisque recepta est opinio, fuisse eos tantummodo presbyteros...: etsi negari haud possit quandoque contigisse in « Chorepiscopum assumi, qui episcopali charactere esset antea insignitus, et a sua diœcesi ob persecutionis æstum expulsus. »

« Quia porro Chorepiscopis, præter jurisdictionem, ad regimen loci cui præficiebantur necessariam, potestas quoque

« data erat conferendi minores ordines..., et aliquando iisdem « ab Episcopo loci facultas quoque delegabatur conferendi or- « dines sacros; inde factum est ut Chorepiscopi, tot condeco- « rati prærogativis, eo usque audaciæ devenerint, ut in omnibus « se Episcopis æquarent... Idcirco sæculo VIII et IX, ita præ- « cipientibus pluribus Ecclesiæ legibus, Chorepiscoporum « ordo supprimi cœpit; ac medio circiter sæculo X prorsus « extinctus est; quod narrat Natalis Alexander (*Hist. eccles.*, « tom. 4, ad sæculum IV, in appendice ad dissert. 44). »

« Extinctis Chorepiscopis, sollicitudo lustrandi rusticanas « parochias, præsidendi parvis oppidis, corrigendi ac puniendi « in his degentes clericos, translata est in Archipresbyteros, « Archidiaconos et Decanos rurales... Erant igitur Archidia- « coni, Decani, et similes, in Chorepiscoporum locum suffecti, « *Vicarii rurales* seu *foranei* Episcoporum. » (Benedictus XIV, « *de Syn. diœc.*, libro 3, cap. 2, n. 6.)

## § II.

### Quid proprie sit Vicarius foraneus, et quænam ipsius jurisdictio.

« Vicarius foraneus est, qui ab Episcopo in certa diœcesis « parte, vel ad certos actus deputatur (Sbrozius, l. 1, q. 13, « n. 1; Glossa, in Clementinam 2 *de Rescriptis*, verbo *Foraneo;* « Ancharanus...). Proinde dicitur *foraneus*, vel quia extra « *fores*, seu civitatem, in qua Episcopus, residet constituitur; « vel potius quia forum et judicium, non generale, sed spe- « ciale tenet. » (Leurenius, *de Vicariis Episc.*, cap. 1, q. 11.)

Ista autem notio, unanimiter recepta, fundatur ipsa notorietate facti. De facto enim qui vocantur Vicarii foranei, deputantur ab Episcopo ad exercendam jurisdictionem in certa dumtaxat diœcesis parte, vel quoad certos dumtaxat actus; non vero ad exercendam generaliter et in tota diœcesi episcopalem jurisdictionem, cum alioquin *generales* Vicarii, non autem foranei, dicerentur.

Ex qua notione plura fluunt attendenda consectaria.

1. Etenim sequitur Vicarii foranei jurisdictionem esse *delegatam*, non autem ordinariam. Nam ordinaria non est eo sensu, quod sit ipsamet jurisdictio Episcopi, *generaliter* ipsi commissa; ei quippe committitur particula tantum episcopalis jurisdictionis; quæ jurisdictio, si ipsi universaliter et quoad totam diœcesim committeretur, jam non foraneus sed generalis Vicarius esset. Nec est *ordinaria* eo sensu, quod illam habeat a lege et vi officii sui, sicut parochus, verbi gratia, habet suam: nam nullam habet præter eam quam in certos casus determinate, et pro arbitrio suo, ipsi confert Episcopus. Ergo revera Vicarii foranei potestas, sive major, sive minor existat, nihil aliud est quam mera delegatio. Nec proinde ipse censetur eadem cum Episcopo persona, nec idem habet tribunal, nec eamdem exercet jurisdictionem, sed ab episcopali diversam et divisam.

2. Ex eo vero quod ipsius jurisdictio sit delegata, sequitur dari ab ipsius sententiis ad Episcopum appellationem; ac proinde posse Episcopum, ipsiusque generalem Vicarium, in secunda instantia cognoscere et decidere causas, a Vicario foraneo judicatas. Nullitate autem laboraret appellatio a sententia Vicarii foranei ad Archiepiscopum, omisso Episcopi ipsiusve Vicarii generalis tribunali; nec posset ejusmodi appellationem Archiepiscopus recipere: certa enim est regula generalis, nullam Archiepiscopo in subditos suffraganeorum jurisdictionem competere, *nisi in casibus a jure expressis:* jus autem exprimit quidem patere ad Archiepiscopum appellationem a definitivis Episcopi ipsiusve Vicarii generalis sententiis; non autem a sententiis delegatorum ab Episcopo, ipsiusve generali Vicario.

3. Item ex eo quod delegatam dumtaxat jurisdictionem habeat Vicarius foraneus, sequitur ejusmodi jurisdictionis extensionem, non ex jure, sed ex mandato Episcopi esse repetendam et dimetiendam. Nam tantum potest delegatus, quantum in ipsius mandato concessum reperitur, et non amplius:

cum ergo Vicarius foraneus nihil aliud sit quam delegatus, id dumtaxat poterit, quod ipsi expresse Episcopus exequendum commiserit.

Episcopus autem potest duplici modo ejusmodi Vicariorum forancorum jurisdictionem determinare. Vel sejunctim quoad singulos; unicuique scilicet expediendo mandatum, ejusmodi determinationem exprimens: vel omnibus simul diœcesis suæ Vicariis foraneis, per aliquam synodalem seu diœcesanam constitutionem; enuntiando quid jurisdictionis ipsis committat et deleget. Posita vero hacce diœcesana constitutione, satis erit ut in mandato unicuique expediendo exprimatur, eum assumi in *Vicarium foraneum;* quia tunc ex dicto generali decreto, determinata remanet ejusmodi Vicarii delegata jurisdictio.

4. Sequitur pariter teneri Vicarium foraneum in singulis causis antequam procedat, ad sese legitimandum, seu ad *docendum* de suo mandato (ut loquuntur pragmatici); idest, ad ostendendum, si forte hoc in dubium revocetur, sibi revera delegatam ab ordinario fuisse talem causarum speciem. Huic enim sese legitimandi necessitati quilibet delegatus judex subjacet.

5. Sequitur insuper multum a generali Vicario differre foraneum: nam *primo* hic delegatam, ille vero ordinariam jurisdictionem habet; *secundo*, universalis (moraliter saltem loquendo) est Vicarii generalis quoad causas et loca potestas, foranei vero particularis et restricta; *tertio,* a sententia prioris non appellatur ad Episcopum; bene vero a sententia posterioris; *quarto*, Vicario generali competit, ex lege ipsa, et vi officii sui, certa quædam et determinata jurisdictio, ipsamet nempe ordinaria jurisdictio Episcopi, exceptis quæ jus excepta voluit et quæ Episcopus sibi expresse reservavit; Vicarius autem foraneus nihil exequi valet, quam quod expresse ipsi commisit Episcopus.

6. Tandem sequitur recte definiri posse Vicarium foraneum, *delegatum permanenter ab Episcopo ad certas quasdam cau-*

*sarum species, vel pro certa dumtaxat parte diœceseos.* Dicimus *delegatum;* qua voce recte, ex dictis, exprimitur genus proximum, sub quo dicti Vicarii comprehenduntur. Addimus *permanenter,* etc.; et sic discernimus dictos Vicarios a cæteris delegatis, qui vel ad aliquam dumtaxat determinatam causam, vel per transennam tantum ad aliquas causarum species delegantur.

*Nota* 1. Quid in praxi soleat Vicariis foraneis ab Episcopo committi, satis indicat Benedictus XIV his verbis : « Præter « Vicarium generalem, qui toti præest diœcesi, alii ab Epi« scopis constituuntur peculiares Vicarii, dicti *foranei*, ut extra « civitatem, in pagis et oppidis, jus dicant *in quibusdam levioris « momenti* causis, et jurisdictionem exerceant, *ad certos dum« taxat actus* limitatam » (*de Syn. diœces.*, l. 3, c. 3, n. 5).

*Nota* 2. Quamvis soleant Vicarii foranei ex principalioribus diœceseos parochis assumi, nullo tamen jure impeditur Episcopus, quin possit et alios clericos ad id officii deputare.

*Nota* 3. Quantumvis per se utilis et in jure præscripta sit testium synodalium institutio, tamen (ait Benedictus XIV, *de Syn. diœc.*, l. 4, c. 3, n. 8), « Synodales testes fere ubique « desueverunt; in eorumque locum suffecti sunt Fiscales Epi« scoporum, et Decani, hoc est, Vicarii foranei. »

## CAPUT XI.

### DE AUDITORIBUS EPISCOPALIUM CURIARUM.

Quæstio 1ª. — *Quid sint?* — Ex iis qui *Auditorum* nomine variis in curiis designantur, alii sunt veri ac proprie dicti judices, ac proinde non nisi improprio quodam sensu Auditores nuncupantur; alii vero a judicibus ordinariis essentialiter differunt; et hi stricto sensu veniunt sub Auditorum vocabulo. Ad priorem classem referuntur Auditor cameræ apostolicæ, et Auditores Rotæ : sunt enim veri et proprie dicti judices,

ut patebit in tractatu *de Curia romana*, ubi ipsorum officium describemus. Sub posteriori vero classe recensendi sunt archiepiscopalium et episcopalium curiarum Auditores, de quibus nobis hic sermo est.

De ejusmodi proprie dictis Auditoribus, idest, qui a judicibus contradistinguuntur, generalem notionem sic tradit Schmalzgrueber (in tit. 1, libri 2 decretalium, n. 15) :

« Auditorum usus præcipue est in curia romana, et apud legatos Sedis Apostolicæ. Sunt, quibus vel tota causa, vel certus causæ articulus examinandus committitur, eo fine, ut post diligens examen super hoc institutum, rem omnem exponant judici, ejusque decisioni relinquant. Habent illi quidem jurisdictionem in cognoscendo, ita, ut partes ad audientiam citare, testes et probationes admittere possint, etc. In decidendo autem et sententiando jurisdictionem non habent, nisi hoc ipsis specialiter a Principali delegetur. »

« His quoad officium consimiles videntur esse Referendarii, a *referendo* dicti; qui eum in finem constituuntur, ut, quia judex multitudine causarum obrutus, omnium momenta ex actis sæpe amplissimis colligere unus non potest, ipsi ea discutiant, et postea eorum substantiam, rationes et merita judici et assessoribus referant, sicque illos ad sententiam ferendam instruant. Usus illorum maxime est in tribunalibus majoribus Principum, isque utilissimus ad tollendam immortalitatem litium, et querelas protractæ nimis justitiæ. »

Quæstio 2ª. — *An necesse sit, vel saltem expediat constitui Auditorem in episcopali aut archiepiscopali curia?* — Si ad praxim respiciamus, in quibusdam diœcesibus, non item in aliis, constitutos ejusmodi Auditores reperimus. In jure autem nullibi occurrit cautum, ut debeant Episcopi, Archiepiscopi, dictos Auditores sibi adjungere. Unde penes ipsorum arbitrium et prudentiam ea res tota censenda est.

Casus autem in quibus magis opportuna videtur officii hujus in curia episcopali adjectio, præcipue sunt : 1° si tanta negotiorum mole Vicarius generalis obruatur, ut nequeat ea qua

par est celeritate omnia expedire; 2° si non adeo sit in jure canonico versatus, nec doctiorem reperiat Episcopus quem ipsi substituat : tunc enim utiliter illi adjungetur Auditor juris peritus. Et sæpe reperietur, qui Auditoris officio aptus sit, licet eumdem non deceat (ob parum provectam ætatem, aliave de causa) ad vicariatum generalem promoveri.

Quæstio 3ª. — *Quid observandum in mandato quo Auditor episcopalis curiæ constituitur?* — Ne oriantur circa valorem actuum per ejusmodi Auditorem gestorum difficultates et dubia, clare in deputationis instrumento exprimendum est, ipsi conferri jurisdictionem *ad procedendum in causis, vel causarum articulis ei commissis; non tamen ad easdem causas sententialiter dirimendas*. Intra cujus mandati fines, si sese continuerit, certo valebunt processuales actus per eum gesti : secus si mandati fines excesserit.

Est autem hujusmodi Auditorum jurisdictio mere delegata, non ordinaria.

Quæstio 4ª. — *An ab Auditore detur appellatio?* — Ad recte solvendam quæstionem illam, diligenter expendenda est Innocentii III decretalis *Super quæstionem* (27, tituli 29, libri 1 decretalium). Tres nempe casus ibi distinguit clarissimus Pontifex : 1° casum quo judex alicui committit *totam* causam expediendam; 2° casum quo *principium, vel finem* causæ dumtaxat committit; 3° casum quo committit solummodo *medium* causæ. Decernit autem in duobus prioribus casibus dari appellationem : in tertio vero casu non dari, nisi ex duplici causa, nempe : *primo* quando sic deputatus fines mandati excessit; *secundo* quando merito est suspectus. Ea ipsa decretalis verba : *Cum totam causam (judex) committit alicui, vel principium aut finem ipsius, ab eo tanquam a judice potest licite provocari. Cum autem alicui medium tantum committit, ab ipso tanquam ab Auditore provocari non potest, nisi mandati fines excedat, vel merito sit suspectus.*

Hanc ergo juris dispositionem applicando auditori episcopalis curiæ, dicendum :

1. Si ipsi committatur tota causa cognoscenda et judicanda, dabitur ab eo appellatio; sed tunc non aget præcise tanquam *Auditor,* cum de Auditoris officii essentia sit, ut nequeat definitivam profere sententiam. Erit ergo in hoc casu proprie dictus *judex* delegatus, a quo regulariter patet ad delegantem appellatio.

2. Dabitur appellatio si ipsi committatur *finis causæ,* id est, sententia definitiva proferenda : sed neque tunc, ex dictis, officio Auditoris fungi censendus est.

3. Item dabitur appellatio si ipsi committatur *principium causæ.*

4. Non autem dabitur appellatio si ipsi committatur *medium* causæ, excepto duplici casu : quando nempe fines mandati excedit, et quando merito suspectus est.

5. Hinc si velit Episcopus præcavere, ne possit ab Auditore suo appellari, non ei committat principium, nec finem causæ, sed reliquas dumtaxat partes.

Quæstio 5ª. — *An in Auditorem ecclesiasticæ curiæ deputari possit laicus, vel clericus conjugatus?* — Ex dictis de Auditoris officio, patet illud esse jurisdictionale, seu per ejusmodi officium exerceri aliquam jurisdictionem : sed principium certissimum est in jure canonico (prout sub priore tractatus parte ostendimus), quoscumque laicos esse jurisdictionis ecclesiasticæ incapaces; ita quod solus Papa, non vero ullus Episcopus, valeat incapacitatem illam tollere, et laico aliquid dictæ jurisdictionis valide conferre : ergo nequeunt Episcopi, ad Auditoris officium in causis ecclesiasticis exercendum, ullum laicum deputare; esseteque talis deputatio prorsus nulla et irrita; et quilibet ecclesiasticæ jurisdictionis actus, ab istiusmodi Auditore laico gestus, nullitate pariter laboraret. Nec minus certum est conjugatos clericos, quoad ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium, laicis æquiparari. Imo, si agendum in judicio sit contra clericum aliquem, duplici titulo Auditoris officium exercere prohibetur laicus : primo, quia exercenda ecclesiastica jurisdictio; secundo, quia exercenda in clericum.

Nam a laicis judicari non posse clericos specialiter sacri canones sanxerunt. Quæ dicta circa Auditores, pariter applicanda veniunt quibuslibet ad ecclesiasticæ jurisdictionis exercitium quoquomodo delegatis, deputatisve, aut commissis : urgent enim expositæ rationes, ut neque hi, laici esse possint, vel conjugati clerici.

Quæ juris sacri principia, etsi omnino certa sint, cum tamen quandoque contingat ea non observari (id ita licere sibi persuadentibus nonnullis Episcopis, ob immemorabilem consuetudinem, aliave de causa), abs re non erit in confirmationem subjicere emanatam hac de re, a Sacra Congregatione Immunitatis, die 3 octobris 1832, encyclicam epistolam, quæ, etsi ad Episcopos dumtaxat status Pontificii directa, jus tamen commune quoad omnes simul declarat : cujus tenor est hujuscemodi : « Eccellentissimo e Reverendissimo Signore mio osservandissi- « mo, — E principio certo in diritto, e costante in pratica, che « ne i laici, ne gli stessi chierici conjugati possono giudicare « le cause criminali di chierici, ed esercitare contro di essi al- « cun atto de giurisdizione, anche delegata dal giudice com- « petente : poiche la delegazione dee cadere in un soggetto « capace di giurisdizione ecclesiastica; di cui (tranne il caso « dell'espressa apostolica autorizzazione) sono incapaci, non « meno i laici, che i chierici conjugati. In conformita all' es- « posto principio, questa Sacra Congregazione dell' Immunita, « cui e affidata la tutela de'diritti della Chiesa, e delle persone « ecclesiastiche, non solo ha piu volte inculcato agli Ordinari, « di non prevalersi del ministero dei laici nella formazione di « processi a carico dei chierici; non solo ha deciso non potere « un Vescovo delegare il giudice laico a processare un chieri- « co, anche fino alla sentenza esclusivamente; non solo ha « dichiarato esser nullo il processo costrutto contro persone « ecclesiastiche da un chierico conjugato, tutto che subdele- « gato di un delegato Apostolico; ma eziandio in due piene « adunanze, la prima del giorno 23 agosto 1775, l'altra del di « 17 marzo 1778, rescrisse in favore della nullita di processi

» fatti contro due ecclesiastici, dalle curie di Sessa e Palestrina; » per la sola ragione che gli esami dei testimoni erano stati » eseguiti dai cancellieri vescovili, i quali, sebbene delegati » con speciale mandato del giudice ecclesiastico, non erano » però chierici celibi, ma congiugati. Ed in seguito, sotto il » giorno 22 settembre 1781 diresse per espresso oracolo Pon- » tificio a tutti gli Ordinari una lettera circolare, nella quale, » riprovando ogni contraria, anche antichissima, consuetudine, » richiamo all' esatta osservanza le disposizioni canoniche, in » quelle curie che se n'erano allontanate; e non lasciò di prov- » vedere coll' esercizio dell' Apostolica autorità ai difetti delle » processure da esse fino a quel punto formate a carico degli » ecclesiastici, contro la forma prescritta dai sacri canoni.

» Malgrado delle massime e pratiche finora indicate, ci » giunto a notizia della Sacra Congregazione dell' Immunità, » che alcune curie vescovili ne hanno nuovamente, e più forse » ostensamente deviato. A forma dell' articolo 3 dell'appendice » al regolamento organico, publicato il 5 novembre dello scorso » anno 1831, debbono tutti i tribunali criminali ecclesiastici » esser composti dell'Ordinario, ed altri quattro giudici. Ora » in più diocesi, o per una sinistra intelligenza della Sovrana » accennata disposizione, o per la mancanza nel clero di abili » soggetti, o per altre simili circostanze, sono stati chiamati a » far parte degli anzidetti tribunali alcuni laici, e chierici » congiugati, ed a questi resta commesso il giudizio, come delle » altre cause criminali di pertinenza del foro ecclesiastico, » così di quelle di chierici. Si è quindi eccitato il dubbio della » nullità delle sentenze da siffatti tribunali pronunziate contro » gli ecclesiastici, e non ha taluno di essi indugiato a ricor- » rere a questa Sacra Congregazione, ed a domandarle che di- » chiarasse nulla, pel titolo di mancanza di giurisdizione e di » violazione della personale immunità, la condanna contro di » lui emanata. Nè qui deve tacersi della pratica non meno irre- » golare, che la Sacra Congregazione ha in tal congiuntura co- » nosciuto essersi antecedentemente introdotta in altre curie

« vescovili, nelle quali l' officio di giudice, processante anche « nelle cause di chierici, e solito esercitarci da un semplice « laico oppure da un chierico conjungato.

« In questo stato di cose, la medesima Sacra Congregazio- « ne, sia per corrispondere al fine della venerabile sua instituzio- « ne, sia per remuovere dai giudizi che si pronunzieranno dai « tribunali vescovili criminali il fondatissimo dubbio di nullita, « sio per impedire il grave disordine di vedere per l'annun- « ciato motivo alterato il corso e ritardata l' amministrazione « della punitiva giustizia, ha creduto suo dovere di consultare « la santita di Nostro Signore, affine di provvedere coll' apo- « stolico suo oracolo le determinazioni e publicare i provve- « dimenti opportuni, come a richiamare l' osservanza delle « canoniche regole, cosi a togliere le cause di ulteriori ricorsi, « i quali potrebbero facilmente aversi per parte di altri eccle- « siastici, in simil guisa processati e giudicati dai tribunali « vescovili criminali.

« Presso per tanto la relazione che di tutto si e fatta al « S. Padre, ed in vista della sua espressa Sovrana autorizza- « zione, si dirigge a V. S. la presente lettera, della quale due « sono gli oggetti. Il primo e di avvertirla che se mai nella « sua curia, sebbene per lungo ed immemorabile tempo, si « fosse finora tenuta una pratica diversa da quella, che sulle « traccie de' sacri canoni trovasi stabilita nelle replicate « risoluzioni di questa Sacra Congregazione, debba ella esigere « che in avvenire le processure contro persone ecclesiastiche, « tanto per gli atti del costituto del Reo, quanto dell' esame « di testimoni, siano formate coll' assistenza ed intervento del « giudice ecclesiastico, o di altro soggetto da delegarsi, pur- « che sia chierico celibe. Il secondo e di renderle noto che, « non essendosi ne nello spirito, ne nell' espressione dell' ar- « ticolo 3 dell' appendice al regolamento organico derogato « in alcuno modo alle disposizioni canoniche, i giudici, i quali « hanno presentemente a comporre in un coll' Ordinario tutti « i tribunali ecclesiastici criminali, debbono esser chierici

« celibi. » Declarat postea Sacra Congregatio sanari authoritate pontificia processus ecclesiasticos præfato modo irregulariter factos, et absolvi a censuris quas incurrissent dictos laicos, qui in causis criminalibus clericorum aliquid jurisdictionis attentarunt.

## CAPUT XII.

### DE EPISCOPALIUM CURIARUM ASSESSORIBUS.

Quæstio 1°. — *Quid sint.* — « Ili (ait Schmalzgrueber) ab « *assidendo* sic dicti sunt, quod eum in finem assumantur ut « judici assideant, eumque suo consilio in judicando adjuvent : « unde etiam *consiliarii* vocantur » (in tit. 1, *de Judiciis*, lib. 2 decretalium, n. 14). « Assessor is est, quem ille, qui judicandi « potestatem habet, sibi associat, ut ei assideat et assistat, et « ad recte causam dicendam eum instruat (ex lege 2 codicis, « *de Assessoribus*). Ex qua descriptione desumi potest quod « Assessoris officium versatur circa plura. Et *primo*, ut invi- « gilet ad veritatem indagandam, et quid juris sit judicem « instruat (dicta lege 1 codicis, *de Assessoribus*). Hinc fit quod « postquam judex illum elegerit, et ipse acceptaverit, tenetur « de injustitia judicis nisi protestationem in actis fecerit, quod « ipse non consentit, cum videt judicem injuste agere. *Secundo*, « ut admittat vel rejiciat libellos prout juris fuerit, inspiciendo « an bene confecti fuerint, vel de re illicita. *Tertio*, ut per- « pendat petitionem partis, an illi competat actio, et an juris « ordinem in petitione servaverit. *Quarto*, ut consideret et « bene disponat decreta interponenda in causis, coram eo « judice cui assistit, vertentibus. *Quinto*, ut videat et diligen- « ter consideret edicta et alia, quæ a judice promulgantur, an « juridica fuerint ; et si contra vel præter jus esse cognoverit, « prohibeat ne publicentur. » (Pellegrini, praxis Vicariorum, parte 4, sect. 16, n. 20.)

Quæstio 2ª. — *An Assessor jurisdictionem habeat?* — In hoc solvendo quæsito non sibi constans est Pellegrinus. Nam parte 2, præmisso 3, n. 26, sic habet : « Iste autem Assessor « seu consiliarius non habet jurisdictionem (lege 2 codicis, « *de Assessoribus*, et Caravita, super ritibus magnæ curiæ Vica- « riæ, ritu 295, n. 2). » Parte autem 4, sectione 16, n. 21 : « An assessor aliquam habeat jurisdictionem aliquando? Re- « spondetur affirmative; participat enim de jurisdictione judi- « cis (lege 1, ff. *de Officio Assess.*); præsertim quando judex est « impeditus ex aliqua causa publica : secus in causa appella- « tionis, in qua nullam habet jurisdictionem. »

Relative ad curias sæculares, sic adnotat Schmalzgrueber : « Officium eorum et authoritas hodierno jure major est, quam « antiquo : nam antiquo jurisdictionem nullam habebant, sed « tantum judici addebantur, ut consilio suo illum juvarent; « quod proinde judex sequi necessario non tenebatur. . . « Hodierno autem jure in plerisque principum dicasteriis ju- « risdictionem etiam et causarum decisionem habent, ut adeo « sint veri judices, ac proinde ut inter hos assumi quis possit, « eædem petuntur qualitates quæ petuntur in judice » (in ti- tulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 14).

Tu teneas, de jure *communi* canonico, nullam Assessori competere jurisdictionem; ipsiusque partes esse dumtaxat ut judici præbeat consilia, quæ tamen is sequi non tenetur. Nam admitti non debet in Assessore jurisdictio nisi probetur : non probatur autem sufficienter ex ulla juris dispositione. Quod si alicubi ex consuetudine vel statuto particulari aliquid jurisdictionis habeat, quoad hoc non merus Assessor seu consi- liarius, sed delegatus judex censendus est.

Quæstio 3ª. — *An possit Episcopus Vicario suo generali Asses- sores assignare, ea lege ut eorum consilium sequi teneatur?* — Vi- detur affirmative respondendum, quoad unam aut alteram causarum speciem; secus vero quoad *omnes* generaliter cau- sas. Si enim hac lege teneretur Vicarius generalis quoad omnes generaliter causas, jam ei non competeret *universaliter*

*ordinaria* jurisdictio ; unde, ex supra stabilitis, jam non esset verus Vicarius generalis, sed merus delegatus. Quod autem statuat Episcopus, ut una alterave causarum species judicari nequeat a Vicario generali, nisi juxta Assessorum consilium, id non impedit quin adhuc *universalem* (moraliter loquendo) jurisdictionem is habere censeatur.

Quæstio 4ª. — *A quo assumi seu constitui possit Assessor?* — « Tam in causis civilibus quam in criminalibus, jurisperitus « assumi potest per judicem qui legum doctor non sit, ut ei « assistat ; ut colligitur ex lege 2 codicis, *de Assessoribus*... « Eligi potest Assessor de consuetudine ab ipso judice, nisi « aliter ex statuto particulari servetur.» (Pellegrini, parte 4, sect. 16, n. 19 et 22.)

Regulariter, et nisi obsit contraria consuetudo, vel superioris prohibitio, ad quemlibet judicem pertinet sibi Assessores seu consiliarios assumere ; quia consilio uti est quid per se omnibus hominibus licitum ; unde non debet censeri vetitum, nisi prohibitio in jure exprimatur. Nulla autem lege id judicibus prohibetur. Hinc nisi aliter ab Episcopo cautum fuerit, poterit Vicarius ipsius generalis suos sibi Assessores assumere. Secus autem si hanc electionem sibi Episcopus reservaverit.

Quæstio 5ª. — *An Assessores curiæ episcopalis possint esse laici ?* — Respondetur affirmative ; cum Abbate (in caput *Super quæstionum, de Officio deleg.*, n. 16), et Pellegrino (parte 2, præmisso 3, n. 26) ; videturque sententia hæc communiter a doctoribus recipi. Ex ea vero confirmatur quod asseruimus, nullam Assessori competere jurisdictionem : si enim jurisdictionem haberet, clericus necessario esse deberet ; cum laici ecclesiasticam jurisdictionem exercere prohibeantur. Quamquam autem id in rigore juris verum sit, nemo non videt quot incommoda multis in circumstantiis oriri possent, si laici in consiliarios ab ecclesiastico judice assumerentur.

Quæstio 6ª. — *An Assessor recusari possit tanquam suspectus?* — « Potest allegari suspectus ex causa, licet non habeat ju- « risdictionem : et si judex non admittit suspicionem, fit ipse

« suspectus. » (Pellegrini, parte 2, præmisso 3, n. 26, citans Abbatem Panormitanum.) Ratio est, quia dando consilium judici, potest in ejus sententiam influere, et sic gravamen alteri ex partibus inferre. Unde parti, quæ gravamen timet, merito conceditur, ut possit arcere Assessorem, qui ipsi ex causa suspectus est.

*Nota.* Quoad qualitates in Assessore requisitas, tenent doctores non requiri ut sit in jure canonico laureatus : debere tamen esse peritum; sed judicium de hac peritia judici ipsum assumenti relinqui. (Vide Pellegrinum, parte 4, sect. 16, n. 23.)

## CAPUT XIII.

### DE FORMA COLLEGIALI TRIBUNALIS EPISCOPI, SEU AN POSSIT EPISCOPUS TRIBUNAL SUUM PLURIBUS JUDICIBUS COMPONERE.

1° Quod possit quilibet Ordinarius pluribus delegatis causam aliquam judicandam committere, ita ut ex majoris eorum numeri suffragio dirimi debeat, ambigendum non est. Idque proinde poterit Episcopus, cum ipse præsertim Ordinarii nomine intelligendus veniat.

2° Nisi tamen velit Episcopus Vicarium suum generalem gradu suo dejicere, et ad meri delegati conditionem redigere, non potest, ad *omnes generaliter causas*, pluribus judicibus, Vicario generali adjunctis, compositum tribunal constituere; quia, ut supra dictum est, Vicario generali vere tunc non competeret *universaliter* (etiam moraliter loquendo) *Ordinaria jurisdictio*.

3° Post tamen Episcopus quoad unam aut alteram causarum speciem (verbi gratia quoad criminales causas) collegiale ejusmodi tribunal statuere; quia hoc non impedit quin Vicarius generalis *universalem* adhuc (moraliter loquendo) jurisdictionem ordinariam retineat.

4° An autem id expediat, vix admittendum videtur quoad causas civiles ecclesiasticas. Quoad criminales vero, magnæ auctoritatis exemplum habemus: sancitam nempe recentioribus temporibus a Sede Apostolica dispositionem, quoad diœceses sub ditione Pontificia comprehensas. Si quidem articulo 3 appendicis ad decretum organicum dici 5 novembris 1831 statuitur, ut cujuslibet Episcopi *tribunal criminale, Ordinario et quatuor aliis judicibus constet.*

Nec dubium est quin simili cum forma possit Episcopus criminale suum tribunal constituere. An autem prudenter id induceretur, a regionum et temporum circumstantiis plurimum dependere videtur.

5° Non potest Episcopus collegium judicum, criminale tribunal componentium, ita constituere, ut sint in officio suo perpetui seu inamovibiles, sive relative ad seipsum, sive relative ad successores Episcopos. Nam ejusmodi perpetuitas seu irrevocabilitas statui nequit, nisi ab auctoritate Episcopo ipsi superiore. Unde nisi existat ex jure communi, vel ex decreto Pontificis, aut Concilii, nullatenus impediri potest Episcopus quin ejusmodi judices ad nutum revocet. Id nempe est quid ordinariæ Episcopi jurisdictioni inhærens, qua nequit Episcopus, nec seipsum, nec successores suos spoliare.

Et hinc satis confutatur delyramentum illud quorumdam presbyterorum Galliæ, qui nuper officialitatem seu tribunal Episcopi somniarunt componi posse, imo et debere, judicibus in hoc officio perpetuis, et nequaquam ad nutum revocabilibus.

## CAPUT XIV.

### DE PROMOTORE ET ADVOCATO FISCALI.

Dicendum hic, 1° quid sit Promotor fiscalis; 2° a quo, et quomodo sit constituendus; 3° quodnam ejusdem officium et

prærogativæ; 4° an necessario in qualibet episcopali curia sit constituendus; 5° an et in aliis curiis ecclesiasticis; 6° addendum quinam advocati Fiscales nuncupentur.

## § I.

### Quid sit Promotor fiscalis.

1. Cum Promotor fiscalis suam a *fisco* denominationem trahat, præmittendum est quid per fiscum (1) ipsum in jure soleat intelligi. Designatur autem per hoece vocabulum, *primo*, in strictiori quodam et minus ordinario sensu « cassa seu arca « communis, constans pecunia vel alia quapiam re, ad usum pu« blicum, vel dignitatem regentium conservandam destinata. »

Ita Leurenius (*Forum ecclesiasticum*, tom. 2, quæstione 890, n. 7); post Mullerum ad Struv., in ff. *de Usucap.*, n. 10). In quo sensu idem sonat Fiscus ac *ærarium publicum*. *Secundo*, ordinarie tamen, et proprio juris sensu, Fiscus « Sumitur pro toto « aliquo collectivo, seu universitate rerum, pecuniarum et ju« rium, ad rempublicam spectantium; ita ut, quod in privato « est patrimonium, illud in republica sit Fiscus. Unde describi « potest (cum Lauterbo, ad ff. *de Jure fisci*, § 4) quod sit *pa« trimonium reipublicæ, res omnes et jura ad peculiare ejus com« modum pertinentia comprehendens, utilitatibus et necessitatibus « publicis inserviens*: fungiturque mystice seu civiliter vice « personæ; dum de eo quasi de persona aliqua loquimur di« cendo: Fiscus succedit, contrahit, alienat, litigat, aliaque « facit per advocatos et procuratores suos. » (Leurenius, *Forum ecclesiasticum*, tom. 3, quæst. 460, n. 1.)

2. Hinc jam intelligitur quid sint fiscalia jura: sunt nempe jura illius *personæ fictæ*, quæ Fiscus vocatur.

(1) *Fiscus* latinus proprie erat vas vimineum, pannosum, aut ex alia simili materia confectum: vox, ut putant, a græca φίσκος (fiscus) derivata. Quodque in vasis ejusmodi reponi soleret pecunia publica seu principis, ad designandum ærarium publicum translata.

3. Cum autem dicta persona ficta, non possit per seipsam judicialiter agere, ad defendenda jura sua, nec respondere quando quis ipsam in jus vocat, et aliquid ab ea repetit, necesse fuit constitui aliquem, qui ex officio hæc jura Fisci tueretur promoveretque, et pro eodem Fisco in jus vocato responderet. Qui autem hoc munere fungitur, vocatur *Promotor fiscalis,* seu *Procurator fiscalis*, vel etiam simpliciter *Fiscalis,* et quandoque etiam simpliciter *Promotor*.

4. Sicut in curiis sæcularibus, ita et in ecclesiasticis solent ejusmodi Procuratores fiscales constitui; quia Ecclesia, non minus quam regna temporalia, suum habet fiscum; idest, res et jura publicum Ecclesiæ bonum et interesse respicientia.

5. Hinc episcopalis curiæ Promotor fiscalis recte definiri poterit : legitime constitutus ut jura Fisci ecclesiastici tueatur, et ejus loco in judicio agat et respondeat.

## § II.

### A quo et quomodo sit constituendus.

1. Dubium non est quin possit constitui ab Episcopo; cum penes Episcopum stet suprema auctoritas quoad constituendos varios curiæ suæ Officiales.

2. Quæritur autem an possit etiam Vicarius generalis, vel judex ab Episcopo delegatus procuratorem fiscalem deputare? Respondendum videtur affirmative, quando vel nullus ab Episcopo fuit constitutus, vel impediri contigit illum, qui ex Episcopi mandato hoc officio fungitur. Nam ad judicem regulariter pertinet providere de procuratore ei qui indiget, nec potest per seipsum sibi providere. In qua conditione versatur Fiscus. Unde quando causa coram Vicario generali, vel alio judice ecclesiastico ventilata, tangit interesse Fisci, deficiente promotore fiscali ab Episcopo constituto, poterit judex ille alium qui suppleat deputare. Posse autem sic a Vicario generali in aliqua causa constitui Fiscalem, aperte supponit Pelle-

grinus (parte 4, sect. 1, n. 20) : « Et non potest, inquit, a Vi-
« cario removeri ab officio, quàndo fuit positus et electus ab
« Episcopo cum salario ; quamvis alius Promotor fiscalis as-
« sumptus per judicem in aliqua causa, possit ad nutum re-
« moveri. »

3. In constituendo autem Promotore fiscali, curandum est ut juramentum præstet. « Debet jurare (ait laudatus Pelle-
« grinus, citato loco) in principio officii sui de bene admini-
« strando, ut notat Angelus (in legem *Si vacantia,* codicis, *de*
« *Bonis vacantibus,* libro 10), quem refert præpositus... et
« Bernardus Diaz... » Cum scilicet ea formalitas a jure Justinianeo præscribatur, nec quidquam contrarium disponat jus canonicum, censenda est etiam requiri de jure communi ecclesiastico ; juxta generalem regulam sub initium hujus tractatus positam, de receptione Justinianeæ legislationis in foro ecclesiastico, in iis quæ non fuerunt a legibus ecclesiasticis in contrarium disposita.

## § III.

### De Promotoris fiscalis officio et prærogativis.

1. Sicut alicujus privatæ personæ procurator tenetur diligenter tueri ejusdem interesse et jura, ita procuratoris Fisci officium est, cum zelo promovere in diœcesi, tum generaliter Ecclesiæ bonum publicum, et jura, tum in specie jura et bonum publicum diœceseos in qua fuit constitutus. Id sequitur ex superius tradita de Fisco ecclesiastico et fiscali procuratore definitione.

2. Imprimis autem requirit publicum Ecclesiæ, et uniuscujusque diœcesis bonum, ut delicta coerceantur, et legum ecclesiasticarum violatio impunita non remaneat. Quæ justitia vindicativa nisi exerceatur, pullulabunt scandala, atque in dies increbescet animarum strages æternaque deperditio. Hinc ad Promotoris fiscalis officium præcipue pertinet publicam cri-

minum vindictam coram tribunali ecclesiastico persequi. Ex quo satis patet quanti momenti sit commissum ipsi munus. In quo certe explendo, si negligenter sese gesserit, atque ex ejus culpa per diœcesim atque in clero libere grassentur vitia et scandala, ipsi coram supremo judice Christo imputabitur collapsæ disciplinæ, conculcatarum ecclesiasticarum legum, et perditarum inde animarum ruina. Eligendus ergo est ad id officii, non pavidi, sed fortis animi vir, et in jure peritus; qui non timeat iniquorum invidiam sibi concitare; sed potius iniquitatem zelo et integritate sua terreat. At præter dictam criminum vindictam publicam, ipsius etiam officii est in judicio agere et respondere, in causis quæ bona temporalia, prærogativas, et alia jura Fisci ecclesiastici respiciunt.

« Fiscalis curiæ episcopalis officium est (ait Pellegrinus) as-« sistere Vicario generali; instare pro juribus Ecclesiæ; agere « ac defendere fiscalia : sunt autem fiscalia, ea in quibus agi-« tur de publica pecunia vel vindicta... Propterea potest pe-« tere, quod detur terminus ad probandum delictum : potest « petere remissionem, ubi de jure concedi debet : similiter « potest petere citari : necnon publicationem fieri : inquisi-« tos non audiri : repeti testes : ipsos testes interrogari : « reos non comparentes contumaces declarari : et tandem « culpabiles condemnari. Potest similiter in omnibus cum ju-« dice intervenire, et consilii gratia votum præstare, non tamen « judicare. » (*De Vicario gen. Episcopi*, parte 4, sect. 1, n. 19.)

3. Ad quæsitum an Promotor fiscalis perpetuitatis prærogativa gaudeat, omnino negative respondendum est. Nulla enim juris, aut generalis consuetudinis dispositione, id ei tribuitur. Unde ad nutum Episcopi revocabilis est, seu potest ab Episcopo removeri absque causa et figura judicii. At Vicarius generalis nequaquam potest eum exauthorare, quem constituit Episcopus; quamvis possit removere eum quem ipse constituisset; prout adnotat Pellegrinus (parte 4, sect. 1, n. 20); qui auctor simul asserit, ita tenere doctores communiter.

4. Non ergo aliam sibi prærogativam, ratione officii sui,

vindicare potest Promotor fiscalis, nisi quod sit de familiaribus Episcopi, et propter muneris sui gravitatem, speciali honore dignus.

5. Salarium ipsi debetur ab Episcopo, etiamsi nulla de eo conventio facta fuerit ; quia non tenetur gratis operam suam navare ; prout et de Vicario generali diximus.

## § IV.

An necessario in episcopali curia constitui debeat Promotor fiscalis?

Promotoris fiscalis necessitas in jure præsupponitur. Nam certa est juris communis dispositio, qua præcipitur, ut in omnibus actis contra Reum, citetur Procurator fiscalis. « Est « autem adeo necessarium (ait Pellegrinus, parte 4, sect. 1, « n. 20) in criminalibus, ut citetur, in omnibus actis quæ fiunt « contra Reum, Fiscalis curiæ, ut si feratur sententia contra « Reum, ipso (*nempe Fiscali*) non citato, sententia erit nulla. » (Lege 1 codicis, *de Sententiis adversus Fiscal. lat.*)

Abstrahendo tamen ab hac juris positivi dispositione, absolute posset absque Fiscalis interventu judicium aliquod criminale expediri. Vel enim *Via accusationis* proceditur, et tunc personam actoris agit accusator ; vel *via inquisitionis*, et tunc prævia fama publica de patrato delicto dicitur actoris partes sufficienter supplere. Et sic arcetur inconveniens quod judex simul actor esse videatur ; ad quod inconveniens devitandum necessarius potissimum dici posset Promotor fiscalis.

In praxi autem, nisi constitueretur in qualibet Episcopali curia Promotor fiscalis, plurima orirentur incommoda ; nec possent causæ criminales, servatis *ordinarii* judicii formis (quas in certis dumtaxat casibus, non autem semper omittere licet) regulariter expediri.

At dato casu quo Episcopo fas est *extrajudicialiter*, seu ex informata conscientia procedere, necessaria non est, ut patet, Promotoris fiscalis opera.

## § V.

An et in aliis præter episcopalem curiis ecclesiasticis Promotor fiscalis sit constituendus ?

Adnotandum hic voluimus, non tantum in Episcopi, Archiepiscopique, Primatis, et Patriarchæ curia, esse Fiscalem constituendum, sed et in Concilio provinciali, aliisque curiis ecclesiasticis. Nam et ibi magnopere expedit, ut quis ex officio instet pro legum ecclesiasticarum observatione, et transgressionum vindictam juridice persequatur. Et quando causæ criminales in ejusmodi curiis expediendæ sunt, eadem est ac in curia episcopali Promotoris fiscalis necessitas, atque idem officium.

## § VI.

Quid sint advocati Fiscales episcopalis curiæ

Contingere potest, ut ex causarum nimio numero, aliave de causa, Promotor fiscalis nequeat per seipsum opportunas pro parte Fisci defensiones coram tribunali perorare. Hinc sibi in auxilium vocat patronum sive advocatum, qui ex hoc ipso advocatus fiscalis dicitur. Ex libera autem Episcopi dispositione pendet, ut is possit pro arbitrio Promotoris fiscalis eligi, vel dumtaxat inter certos quosdam, pro ejusmodi officio approbatos.

## CAPUT XV.

### DE NOTARIIS, ACTUARIIS ET CANCELLARIIS.

### § I.

Quid sint Notarii, et unde orta eorum institutio.

I. *De variis quibus notarii designantur nominibus.* — Vocem ipsam notarii quidam cum Baronio derivatam volunt a *notificare*; eo quod nempe notarii, quid gestum sit, notum faciant. (Vide Moroni, *Diction. di Erud. storico-eccles.*, ad vocem *Notaro.*) Communius tamen doctores a *notis* seu adnotationibus dictos notarios existimant. Fuerunt autem antiquitus *notæ* quædam signa ad citissime scribendum adhibita. Unde et Græci eos qui ejusmodi notis in scribendo utebantur *tachygraphos* seu *stenographos* vocarunt. Quæ et *notæ tironianæ* apud veteres nuncupatæ occurunt; ideo forte quia Tiro, Ciceronis libertus, arte hac peritissimus extitit. Nec Romani tantum et Græci, sed et Hæbrei ejusmodi arte a remotissima antiquitate usi sunt. Atque eam post Christum exercuisse sanctum Cassianum martyrem, sanctum Genesium Arelatensem, sanctum Epiphanium Paduanum Episcopum, aliosque sanctitate conspicuos, refert Piazza. (*Euserologium romanum*, tract. 11, cap. 1.) Cum vero adhiberentur *notæ*, non tantum ad conscribendas orationes publice et in foro recitatas, sed etiam et præcipue in conficiendis testamentis, actibusque judicialibus scripto consignandis, *notarii* nomen iis qui id muneris explebant inhæsit. Ad quorum officium simul pertinebat, ut quod dictis cum notis seu breviationibus collegerant, in communem postea scripturam transferrent.

Cæterum aliis etiam nominibus notarii designari solent. Præcipua sic recenset Schmalzgrueber: « Dicuntur enim *no-*

« *tarii* a notis, seu abbreviato scribendi modo, quibus olim « gesta in, vel extra judicium, mira celeritate excipiebant ; « *scribæ publici,* quia quæ publice fiunt, publica authoritate « conscribunt ; *actuarii,* dum acta, dicta et gesta judicialia no- « tant ; *tabelliones,* quia annotationes suas olim referebant in « tabulas ; *protocollistæ,* quia moderno tempore protocollum, « seu librum actorum habent. Officium illorum patet ex data « nominum quibus appellantur explicatione ; consistit enim in « eo, ut dicta, actaque judicii diligenter et bona fide excipiant « et conscribant. » (In titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decreta- lium, n. 14.) Passim auctores *notarii, actuarii* et *cancellarii* vocabula pro omnino synonymis habent : id vero an recte dictum, ex infra dicendis patebit. Hæc de nomine præmittenda erant : nunc ad rei, ut vocant, definitionem gradum faciamus.

II. *Quid sint notarii ?* — Certum est in jurisprudentia, per notarii vocabulum designari personam *publica auctoritate constitutam* ad quoddam certum officium explendum ; in qua tradenda generali notione nulla reperietur inter doctores discrepantia. Hoc ipso scilicet quod aliquis sit privata dumtaxat persona, notarius non est, juxta illius vocis sensum ; sed omnino requiritur ut transeat in personam publicam, idest, a publica auctoritate constitutam et deputatam. Et id quidem notarius commune habet cum cæteris omnibus personis publicis, quas nempe publica auctoritas similiter ad varia officia eligit et deputat. Unde qualitas hæc *personæ publicæ,* potest in definitione tanquam genus reponi ; et remanet tantum adjungenda differentia proxima, qua notarius a reliquis personis publicis distinguatur, et quid ipse sit determinate enuntietur. Porro omnes etiam tanquam notario proprium habent, quod ipsius scriptura, certis conditionibus vestita, plenam fidem faciat ; immo ad hoc præcise eum ab auctoritate publica constitui, ut quod ipse gestum scripserit, tanquam verum haberi debeat. Illud autem officium gesta consignandi in scriptis, quæ fidem ex jure faciant, satis notarium discriminat a cæteris

personis publicis. Inde ergo desumendo differentiam proximam, videtur sic stricta definitio concinnari posse : *Persona ab auctoritate publica constituta, ut scripti ab ipsa actus fidem faciant.*

III. Ex qua notione facile introspici potest, qua de causa inducta ubique gentium fuerit, et quanti simul momenti sit, notariorum institutio. Cum scilicet pleraque inter homines jura pendeant a variis initis pactis, a sententiis judicialibus, aliisque hujusmodi gestis, omnino interest, ut de hisce actibus constare possit, non tantum eo momento quo peraguntur, sed etiam postea. Constare autem nequit nisi per scripta. Sed et ipsa scripta, nisi a personis fide dignis conficerentur, fraudem recondere possent, nec proinde vim ad probandum haberent. Hinc populorum rectoribus, et ipsi etiam auctoritati ecclesiasticæ excogitandum fuit, qua ratione posset prædictorum scriptorum sinceritas in tuto poni ; ita ut ex ipsis, gestorum veritas merito æstimari deberet. Nulla autem alia ratio aptior visa est, quam ut crearetur certus virorum integritate conspicuorum ordo, quibus prædicta scripta concinnandi officium demanderetur, et quorum sic scripto testimonio plena fides habenda injungeretur. Hinc palam fit quomodo, sive in Ecclesia, sive in societatibus civilibus, tota fere, circa gesta quæ ad jus pertinent, fides notariorum integritate et scriptura nitatur ; ac simul pleraque hominum jura, præcipuusque, tum sacræ, tum sæcularis societatis ordo, eorumdem notariorum institutione et officio firmentur. Quod proinde munus quam nobile videri debeat, quamque dignis et virtute insignibus viris committi, adeo facile patet, ut plane supervacaneum sit evolvere. Illius vero institutionis exordia progressusque et varias vices, tum apud ecclesiasticas, tum apud sæculares curias, si vellemus historice perscrutari et describere, extra scopum præsentis tractatus procul traheremur. Unde ad eruditos, qui ex professo quæstionem hanc vocarunt ad crisim, verbi gratia, ad Zaccariam (Dissert. 9, *de Notariis ecclesiasticis*), Moroni (*Dictionarium*, verbo *Notaro*), et alios ab his citatos, remittimus.

## § II.

### Notariorum variæ species.

I. Distingui possunt in notarios fori ecclesiastici, fori laici, et utriusque fori. Cum nempe duplex mundo, ex divina institutione, præsit auctoritas, utraque potest in suo foro certas personas constituere et deputare, quarum scripta fidem faciant. Si quis vero ab ecclesiastica simul et sæculari potestate ad id officii deputetur et approbetur, erit utriusque fori notarius.

II. Notariorum fori ecclesiastici duplex classis : notarii nempe *apostolici*, seu a Sede Apostolica creati, et notarii cæterorum Ordinariorum : nam (ut infra dicetur) potest, ex consuetudine saltem, quilibet Episcopus notarios pro toto jurisdictionis suæ territorio creare.

III. Ipsi vero apostolici notarii, in duos gradus distribuuntur : sunt enim vel protonotarii, vel simpliciter notarii apostolici. De utroque gradu dicetur in tractatu *de Curia romana*.

IV. Iterum Protonotarii alii sunt *de numero participantium*, alii secus. Quæ distinctio suo pariter loco in dicto tractatu illustrabitur.

## § III.

### An Actuarii et Cancellarii idem sint ac Notarii.

1° Solent passim a canonistis pro synonymis adhiberi actuarii et cancellarii vocabula.

2° Item actuarios cum notariis confundunt : « Dicuntur « quoque notarii *actuarii*, seu magistri actorum, ex eo quod « acta judicialia et processum conficiunt et consignant. » (Leurenius, *Forum eccles.*, in titulum 22, libri 2 decretalium,

q. 687.) Idem tradit Cardinalis de Luca (*de Judiciis*, discursu 5, n. 1.)

3° Abstrahendo a particularibus locorum consuetudinibus circa modum hæc vocabula interpretandi, videretur notarios inter et actuarios seu cancellarios, eamdem ac genus inter et species suas differentiam intercedere. Nam ex usu loquendi magis ordinario (ut videtur) actuarii vocabulo, non tantum intelligitur qui potest acta scribere quæ fidem publicam faciant, sed insuper qui *de facto deputatus fuit* ad conscribenda ejusmodi acta in aliqua curia aut cancellaria. Qui autem fuit dumtaxat creatus notarius, sed nondum ad exercendum in aliqua curia aut cancellaria officium suum deputatus, servat notarii nomen; non autem, juxta magis receptum usum, vocatur actuarius nec cancellarius; ne cum altero, qui de facto deputatus atque curiæ alicui vel cancellariæ addictus fuit, confundatur.

In hoc porro sensu quilibet legitimus actuarius et cancellarius est simul et hoc ipso notarius; siquidem acta per ipsum scripta fidem faciunt, quod notariatus essentiam constituit. Atvero non vice versa quilibet notarius erit aut dici poterit actuarius; siquidem talis censendus non est, nisi ex adjecta ipsi dicta deputatione. Ergo notariatus habendus est tanquam genus, sub quo actuarii seu cancellarii peculiarem notariorum speciem constituunt.

4° Excogitari posset et aliud discrimen : quod nempe *notarii* constituantur ad fidem faciendam quoad quælibet generatim acta : *actuarii* et cancellarii *restrictive* quoad acta curiæ sive cancellariæ cui addicuntur.

5° Sed quidquid sit de his a nobis indigitatis discriminibus, duo certa sunt : *primo*, quoad intelligenda ejusmodi vocabula standum locorum consuetudinibus : *secundo*, legitime constitutum actuarium et cancellarium, saltem quoad acta curiæ seu cancellariæ cui addicuntur, vim notariorum habere.

## § IV.

Utrum clericis et religiosis licitum sit notarii officium exercere.

Quæstio hæc non paucis remansit obsita difficultatibus, quamvis fuse ab auctoribus plurimis, sive antiquis, sive recentioribus, excussa. Hinc et mihi ipsam enodandam pro posse aggredienti, visum est imprimis majoris claritatis gratia, rem totam in distinctas partes seu propositiones distribuere et expedire : unde sit,

Propositio Iª. — *Certum est extare in jure canonico regulam generalem, qua clerici in sacris constituti ab exercendo notariatus officio prohibentur.* — Constat ex decretali *Sicut* (8, tituli 50, libri 3 decretalium), in qua sic præcipit Innocentius III : « Si-« cut te accepimus referente, cum venerabilis Frater noster « Hostiensis Episcopis, olim per tuam transiens civitatem, tibi « dederit in mandatis ut presbyteros, diaconos, et subdiaco-« nos, quos ibidem invenit passim tabellionatus officium exer-« centes, excommunicationis vinculo innodares, et eos qui ab « illis publica reciperent instrumenta ; tu, licet id feceris, ex « mandato tamen prædicti Episcopi dissimulasti postmodum « de subdiaconis ; donec qualiter contra ipsos et alios in sacris « ordinibus constitutos deberes procedere, Sedem duceres Apo-« stolicam consulendam. *Quocirca Fraternitati tuæ mandamus;* « *quatenus clericis, in sacris ordinibus constitutis, tabellionatus* « *officium per beneficiorum subtractionem, appellatione postposita,* « *interdicas.* » Ex illo textu concludunt unanimiter canonistæ, clericis in sacris ordinibus constitutis *aliquod* saltem tabellionatus seu notariatus officium esse *regulariter,* seu per modum regulæ generalis, interdictum. *Aliquod,* inquam : nam quando quæritur utrum dictis clericis interdicatur vi hujus decretalis notariatus exercitium, etiam in causis spiritualibus et in curiis ecclesiasticis, an vero dumtaxat in curiis sæcularibus, jam inter se non consentiunt, sed in varias sententias scinduntur

doctores, ut infra exponemus. Item addimus *regulariter;* quia, ut mox patebit, aliquas dari ad generalem illam regulam exceptiones, certum est et ab omnibus admissum.

Propositio II[a]. — *Præfata lex canonica, probabilius attingit dictos clericos, etiam quando beneficio carent.* — Ex eo quod dicatur in citata decretali, clericos in sacris constitutos a notariatus exercitio removendos esse per *beneficiorum subtractionem*, existimarunt doctores non pauci, prohibitionem non dirigi nisi in *beneficiatos* clericos. Immo cum et ipsimet beneficiati non interdicantur *ipso facto* ab exercendo dicto munere, sed jubeantur ab Episcopo interdici, putarunt nonnulli canonistæ, eos non prohiberi nisi in quantum volunt beneficium retinere : ipsis nempe liberum esse notariatum exercere, modo beneficio suo renuntient.

Ista vero legis interpretatio non videtur fundata : probabilius enim voluit legislator clericos omnes in sacris constitutos a tabellionatus officio arceri, sive beneficium haberent, sive non. Nam per sacros canones, et ex perpetua Ecclesiæ disciplina, generatim prohibentur clerici, ne militantes Deo, negotiis sæcularibus sese immisceant. Officium autem tabellionatus, præsertim in causis et curiis sæcularibus exercendum, clericos nimis multum (ut patet) ab angelicis rerum cœlestium functionibus retraheret, et in terrenas curas et sollicitudines injiceret. Unde ea de causa censendus est legislator tabellionatum clericis in sacris constitutis prohibitum voluisse. Hæc autem ratio tam erga beneficio carentes, quam erga beneficiatos clericos valet. Ergo dum addit legislator dictos clericos a tabellionatu esse arcendos *per beneficiorum subtractionem*, censendus est indicasse hanc pœnam specialem quoad beneficiatos; nullatenus autem prohibitionem ad ipsos restrinxisse; sed beneficio carentes clericos reliquisse Episcopo per alias pœnas idoneas coercendos, nisi tabellionatui renuntient. Quam autem ut probabiliorem defendimus sententiam, omnino amplexatus est Fagnanus : « Ego arbitror, inquit, in hoc articulo non esse fa-« ciendam vim, an clericus in sacris habeat competens bene-

« ficium, sed tantummodo an habeat unde congrue possit su-
« stentari, sive ex beneficio, sive ex patrimonio... Non obstat
« hæc decretalis; quia fateor clericis beneficium non obtinen-
« tibus non posse interdici hoc officium per subtractionem
« beneficiorum : poterit tamen interdici per alias pœnas. »
(In caput *Sicut te*, tituli *Ne clerici vel monachi*, libri 3 decreta-
lium, n. 25.)

PROPOSITIO IIIa. — *Notariatus officium etiam clericis minorum ordinum, et etiam dum beneficio carent, probabilius est prohibitum.* — Ex eo quod in supra citata decretali *Sicut te*, expresse agatur de clericis *in sacris* existentibus, concludunt canonistæ non pauci, ad cæteros clericos prohibitionem non extendi : quia, inquiunt, si et alios legislator voluisset sub prohibitione comprehendere, non locutus fuisset expresse de clericis *in sacris* constitutis. Nihilominus contraria sententia videtur probabilior : tum quia data ratio non convincit ; tum quia clare ex alio textu probatur non esse licitum notariatus officium minorum ordinum clericis. Et *primo* quidem non valet allegata ratio : nam ideo in decretali *Sicut te* legislator expresse loquitur de clericis in sacris constitutis, quia in civitate, de qua in casu agebatur, id officii a solis clericis majorum ordinum exerceri solebat. « Respondeo, ait Fagnanus, hanc prohi-
« bitionem fuisse factam clericis *in sacris*, quia ipsi tantum in
« civitate illa exercebant officium tabellionatus, ut patet ex
« integra decretali..., idque ob eam forte rationem quia solis
« clericis in sacris populi habeant hanc fidem... De clericis
« autem minorum ordinum nihil cavit (Papa), quia talis abusus
« quoad ipsos ibi non vigebat ; unde non sequitur ut prohi-
« bendo de clericis *in sacris*, et beneficia habentibus, contra-
« rium intellexerit de clericis in minoribus non beneficiatis. »
(Fagnanus, loco cit., n. 29.) Ergo ex decretali *Sicut te* concludi dumtaxat potest, nihil in ea statutum fuisse quoad clericos minorum ordinum. *Secundo*, aliunde habemus textum quo clare probatur dictis minorum ordinum clericis prohiberi notariatus exercitium ; decretalem nempe *Ut officium* (II, tituli 2, lib. 5,

in 6), ad inquisitores directam, in qua sic Clemens IV quoad causas fidei et processus contra hæreticos disposuit : « Ad « conscribendas quoque hujusmodi depositiones testium, et ad « faciendum omnia quæ in commisso vobis officio ad scriniarii « seu tabellionis officium pertinent, teneri districte præcipi- « mus, cum per vos fuerint requisiti, omnes et singulos vestri « ordinis (*nempe dominicanorum*) fratres, qui dum essent in « sæculo tabellionatus officium habuisse et exercuisse noscun- « tur : et illos etiam quibus idem tabellionatus officium ratione « præfati negotii fidei fuit ab Apostolica Sede commissum, et « in posterum committetur : concedentes hujusmodi fratribus « necnon et aliis religiosis quibuslibet, qui similiter dum es- « sent in sæculo tabellionatus officium habuerunt et exercue- « runt, quibusvis etiam clericis sæcularibus officium ipsum « habentibus (etiamsi iidem fratres, religiosi et clerici sint in « sacris ordinibus constituti) exercendi libere officium ipsum « quoad præmissa, non obstante statuto aliquo contrario cano- « nis vel ordinis, quocumque vallato munimine, potestatem. » In hac decretali per modum *privilegii et exceptionis*, et pro causis fidei dumtaxat, indulgetur clericis ut possint notariatus officium exercere : dicitur enim, *Concedentes potestatem, non obstante statuto contrario canonis :* quæ profecto verba indicant fieri derogationem juri communi seu generali regulæ ; si enim clerici de jure communi ejusmodi potestatem habuissent, absurde eam ipsis concedendam duxissel Pontifex. Ergo de jure communi talem facultatem non habebant ii clerici quibus illa fit concessio. Jam vero illa concessio fit, non tantum clericis in sacris constitutis, sed et clericis *minorum ordinum :* dicit enim Pontifex, *etiamsi clerici sint in sacris ordinibus :* porro illa vox *etiamsi*, implicat concessionem fieri clericis omnibus, ac proinde clericis quoque minorum ordinum ; nec poterat clarius exprimi concessio clericis minorum ordinum facta, quam addendo, illam extendi *etiam* ad clericos in sacris constitutos. Ergo revera per modum exceptionis et privilegii clericis minorum ordinum concessum est in causis fidei notariatus exer-

citium : ergo de jure communi et in cæteris causis, clericis etiam minorum ordinum ejusmodi officium interdictum censendum est.

Addimus sub hac prohibitione juris communis comprehendi clericos minorum ordinum etiamsi beneficio careant. Quia dum aliqua prohibitio est generalis, non debet restringi, nisi de facta restrictione seu exceptione certo constet : quod autem clerici minorum ordinum qui beneficio carent, ob eam rationem non comprehendantur sub generali prohibitione non exercendi notariatus, ex nulla juris sacri dispositione constat. Unde excipiendi dumtaxat videntur ii minorum ordinum clerici, qui aliunde unde sustentarentur non haberent; quia hæc ratio ex egestate desumpta in jure fundatur, ut modo dicemus.

Iisdem fere rationibus conclusionem nostram probavit Fagnanus hoc modo : « Ego vero existimo hanc prohibitionem « extendi ad omnes clericos etiam minorum ordinum, dummodo « ex beneficio vel patrimonio habeant unde commode vivere « possint. Moveor... per textum in capite *Ut officium...*, ubi « indulgetur clericis *etiam* in sacris, ut in causa hæresis possint « tabellionatus officium exercere. Pondera illam dictionem im- « plicativam *etiam*, quæ ostendit hujusmodi indultum fuisse « concessum etiam clericis minorum ordinum ; ergo circum- « scripto indulto, id eis erat prohibitum ; alioquin frustrato- « rium fuisset concedere quod eis erat permissum a jure... « Item si speciale est favore fidei, ut clerici in minoribus « possint uti tabellionatu, ergo in aliis non possunt. » (In caput *Sicut te*, tit. *Ne clerici vel monachi*, n. 27.)

Propositio IV[a]. — *Religiosis insuper notariatus officium regulariter prohibitum est.* — Eruitur ex modo citato capite *Ut officium* (11, tituli 2, libri 5, in 6), in quo Clemens IV religiosis per modum exceptionis et privilegii concedit tabellionatus exercitum in certa quadam causarum specie. Cum enim exceptio confirmet regulam, sequitur extra casum specialis privilegii manere id officii religiosis interdictum, Et ita communiter

sentiunt doctores. (Vide Pirrhing. in tit. 50, libri 3 decret., n. 23.)

Propositio V^a^. — *A generali lege qua clericis et religiosis interdicitur notariatus officium, excipiendæ sunt causæ fidei.* — Nam in ejusmodi causis posse quidquid ad tabellionatus officium pertinet per clericos et religiosos peragi, expresse decrevit Clemens IV in supra transcripto capite *Ut officium*. Quæ tamen concessio limitari intelligenda est, prout in ipso textu exprimitur, ad religiosos *qui dum essent in sæculo tabellionatus officium habuerunt et exercuerunt;* et ad clericos sæculares *officium ipsum habentes.*

Propositio VI^a^. — *A generali lege qua clericis interdicitur notariatus officium, excipiendi sunt ii clerici qui a Sede Apostolica notarii creati sunt.* — Hæc conclusio est certa et extra controversiam posita. Ratio autem qua nititur omnino rem evincit : hoc ipso nempe quod Papa clericum aliquem notarium creat, eique notariatus exercendi potestatem facit, derogat quoad ipsum generali regulæ qua aliunde a tali exercendo munere prohiberetur.

Item in curia romana possunt clerici notariatum exercere, ex eo quod ita fieri permittat Summus Pontifex : « Possunt « etiam, ait Ferraris, clerici esse notarii Papæ aut in curia ro- « mana. (Fagnanus, in caput *Sicut te* 8, tit. *Ne clerici vel monachi*, « n. 60 et 68, et Barbosa, ibid., n. 7.) Nam Papa admittendo, « vel officium hoc tribuendo clericis, videtur eos habilitare ad « illud exercendum. » (Ad vocem *Clericus*, art. 3, n. 66.)

Propositio VII^a^. — *Attento jure communi scripto, prohibitio generalis qua clericis interdicitur notariatus officium, intelligenda esset etiam quoad curiam ecclesiasticam et causas ecclesiasticas.*

Nam in citata decretali *Ut officium* clericis et religiosis per modum exceptionis conceditur notariatus officium, in *causis* dumtaxat *fidei*, et iis tantum clericis et religiosis qui antea notariatum exercuerunt : ergo de jure communi officium illud in cæteris causis, etiam ecclesiasticis, erat clericis omnibus interdictum. Alioquin enim privilegio quoad clericos pro causis

fidei opus non fuisset, cum istæ causæ sint ecclesiasticæ et ad forum ecclesiasticum pertinentes. (Vide Fagnanum, in caput *Sicut te* 8, tituli 50, libri 3 decret., n. 58 et seq.)

PROPOSITIO VIII^a^. — *Quidquid sit de jure scripto seu de præcitatis decretalibus, ex hodierna saltem generali consuetudine; quæ cæteroquin constanter ab antiquitate viguisse videtur, licitum est clericis, etiam majorum ordinum, notarii seu cancellarii officium exercere pro actibus auctoritatis ecclesiasticæ.* — Ad firmandam illam conclusionem, ostendemus 1° extitisse antiquitus notariorum quemdam ordinem, qui inter ordines minores clericales computabatur; 2° viguisse in tota fere retro antiquitate, ut clerici etiam majorum ordinum notariatus officium exercerent; 3° etiamnum generalem esse consuetudinem ut idem officium exerceant, quoad actus sive judiciales sive extrajudiciales potestatis ecclesiasticæ; 4° errasse Fagnanum, qui hodiernam eam consuetudinem negat, et tenet, ne in curia quidem ecclesiastica, licitum clericis esse notariatus officium.

Et 1° quidem extitisse olim quemdam notariorum ordinem, inter ordines minores clericales computatum, memorat Thomassinus. Referens enim concilii Coloniensis anni 1549 decretum, quo statuitur, ut Episcopus diœcesim visitans adhibeat notarium *qui sit sacerdos aut saltem clericus non conjugatus*, sic addit : « Ea ratione id perfectum est, ut jam officium, non « ordo notariorum spectetur ; cum olim ordo esset, vel mino- « ribus aggregarentur et inter clericos recenserentur notarii ; « etsi fere nunc laici habeantur. Cum presbyteri, diaconi, « alïque spectabiles viri amplum sibi duxerunt notariorum « exercere munera, paulatim illa inolevit opinio, mera ea esse « officia, quæ indui et exui possent. Cumque clerici conjugati « in laicorum tandem sortem et colluviem fere demersi sint, « notarii qui ejusmodi erant clerici, pro laicis et ipsi habiti « sunt, at solo nomine clerici. At Tridentini Patres explora- « tissimum sane habuere, notariorum munera ab origine sua « ad clericos spectare ; idque manifeste declararunt, cum ut « mederentur iis malis, quæ ex notariorum imperitia proficis-

« cebantur, decreverunt, ut eos Episcopi ad examen vocarent « suspenderentque, vel etiam exauthorarent, si ea vel peritia « vel probitate distituerentur, quæ necessaria esset ad obeun- « das sui muneris functiones. Quo in decreto nihil discriminis « inter notarios Apostolicos, Imperiales et Regios. Denique iis « utuntur verbis Tridentini præsules, quibus constet, ea pote- « state Episcopos sua sponte jam succintos fuisse, idque jure « communi ; quanquam ad hanc eorum potestatem magis ma- « gisque roborandam, Apostolicæ etiam Sedis delegatione eos « induant. » (*Vetus et nova disciplina,* parte 1, lib. 2, cap. 6, n. 5 et 6.)

Ex monumentis quidem ecclesiasticis recte colligit Thomassinus extitisse antiquitus, sicut exorcistarum, lectorum, acolytharum, ostiariorumque, ita et *notariorum* seu *scribarum* ordinem. At vero ejusmodi minores clericos, notarios fuisse eo stricto sensu quo nunc ea vox accipitur, ita nempe ut per quemlibet eorum scripta et subscripta instrumenta fidem publicam facerent, mihi nullatenus liquet. Existimarem potius eos notariorum nomine donatos ideo dumtaxat fuisse, quod ad conficiendas varias scripturas ex officio adhiberentur; licet non penes eos omnes, sed penes aliquos tantum resideret auctoritas instrumenta exarandi, quæ publicam fidem facerent. Id etiam ad citata verba Thomassini adnotabimus, potestatem quam Episcopis tribuit Tridentina Synodus (sess. 12, c. 10) suspendendi ab officio notarios, etiam a regia vel imperiali auctoritate creatos, intelligendam esse de suspensione quoad actus ecclesiasticos et curiam ecclesiasticam dumtaxat, non autem quoad actus qui ad societatem et curiam sæcularem referuntur, ut ex infra citanda Sacræ Congregationis Concilii declaratione patebit.

2° Viguit in tota retro antiquitate consuetudo, ut clerici, etiam majorum ordinum, notariatus officium exercerent. Id probat Thomassinus (parte 1, lib. 2, cap. 106) *ingenti*, ut ipse dicit, *exemplorum sylva*. Et primo quidem varia profert documenta, in quibus videmus notarii seu cancellarii officium

obiisse, non modo clericos in sacris, sed et Episcopos, licet sub *archi-cancellariorum*, seu *magnorum cancellariorum nomine*. Quibus adductis, sic laudatus auctor subjungit : « Possent et « alia complura huc argumenta accumulari, quibus validius « hoc ipsum argueretur, jam inde a temporibus Caroli magni « officium notarii gradatim surrexisse ad summum quoddam « fastigium, exambitumque fuisse, primum a diaconis, inde a « presbyteris, immo ab Episcopis, adoptato alio nomine quod « angustius aliquid sonare videretur. Huic se tunc officio laici « rarius ingerebant, tum quod litterarum penitus essent rudes, « tum quod non tam spectata esset eorum fides atque cleri- « corum... Adnotasse sufficiet loca, quibus constat notarios « fuisse clericos, et clericorum privilegia vindicasse sibi, quam- « quam conjugati essent, usque ad annum 1459. » (Citato capite, n. 3.) Ex subjectis a Thomassino citationibus, aliquas dumtaxat transcribimus : *Ego clericus, tabellio ducis Burgundiæ... Clerici et notarii jurati Vesontienses.* (*Recueil pour l'histoire de Bourgogne*, pages 283, 287, 255, 460, 607.) Anno 1417 : *Ego Petrus clericus Rotomagensis, authoritate Apostolica et imperiali notarius...* Anno 1457 : *Clerico Parisiensi in jure canonico licenciato, publico Apostolica et imperiali authoritate, et curiæ episcopalis Parisiensis notario jurato.* (Quæ duo ultima exempla reperies, *Histoire de saint Martin des Champs*, pag. 24 et 252.) A concilio Basilecnsi notarios habitos fuisse pro personis ecclesiasticis, ac proinde tunc temporis adhuc generalem fuisse consuetudinem, ut clerici notariatum exercerent, constat ex sessione 8 : *Mandat hæc synodus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis Ecclesiarum Prælatis, clericisque, notariis, et aliis personis ecclesiasticis.* Concilium Coloniense circa diœcesis visitationem ab Episcopo peragendam ita edixit : *Adhibeatur notarius qui sit sacerdos, aut saltem clericus non conjugatus.* Et tandem in actis concilii Cameracensis, anni 1565 (tit. 24, c. 7), ita occurrit : *Quoniam non pauci in hac provincia reperiuntur presbyteri et clerici, seu pro talibus sese gerentes, qui se notarios publicos scribunt et nominant, quorum imperitia, etc.*

E quibus documentis satis colligitur, revera in moribus olim fuisse, ut notarii officium exercerent clerici, etiam in sacris constituti, et etiam in utroque (ut videtur) foro.

3° Etiamnum generalis est consuetudo, ut clerici pro actibus auctoritatis ecclesiasticæ notarii seu cancellarii munus obire possint. « Innocentius III, Romanus Pontifex, uti ex epi-« stola 129, libri 14, constat, interdixit *presbyteris diaconis et* « *subdiaconis* tabellionem agere, ea de causa quod conculcato « honore ordinis ecclesiastici, curiæ sæculari famularentur, se-« que profanis negotiis nimium immiscerent. Cæterum Ludo-« vici Thomassini viri doctissimi sententia est (parte 1, lib. 2, « c. 106, *de Ecclesiastica disciplina*), ne hodie quidem minoribus « clericis id muneris esse interdictum; quidquid contra sen-« tiant et scribant canonum interpretes; immo ne majoribus « quidem, quoties agatur de instrumentis dumtaxat Episcopi « curiam et negotia respicientibus. Certe hujus rei exempla « apud Italos nostra quoque tempestate minime desunt. » (Muratorius, *Antiquitates medii ævi*, tom. 1, dissertat. 12, pag. 666, edit. Mediolani 1738.) Ergo, teste citato auctore, minime in Italia desunt exempla clericorum notarios agentium in conficiendis instrumentis, quæ curiam et negotia Episcopi respiciunt.

Atque idem licitum affirmant non pauci canonistæ, inter quos sic Piasecius: « Licet clericis prohibitum sit exercitium « tabellionatus (capite *Sicut*, *ne clerici vel monachi*), hoc tamen « intelligitur de exercitio in judiciis laicorum, non autem in « judicio judicis ecclesiastici. » (*Praxis episcopalis*, p. 2, cap. 4, n. 11, pag. 224, edit. Venet. 1613.) Citat autem laudatus auctor, tanquam sibi in hoc consentientes, glossam et canonistam Hostiensem. Quorum vestigiis inhærens Monacelli, ita disserit: « Et hinc fit quod clerici, quibus est interdictum officium ta-« bellionatus, nihilominus ad officium cancellariæ curiæ eccle-« siasticæ possint assumi; sicuti passim assumuntur in omnibus « fere curiis ecclesiasticis regni Neapolitani, ubi vocantur *ma-« gistri actuum;* et tradit Piasecius..., asserens magis expedire

« cancellarios esse clericos quam laicos; cui adhæret Pax-Jordanus...» (Monacelli, parte 1, tit. 1, form. 5, adnot. 6.) Item Carolus de Grassis, postquam posuit pro regula generali, *Clericum non posse esse tabellionem*, subjungit : *Limitatur in foro et magistratibus ecclesiasticis;* pro qua sententia citat undecim hoc idem tenentes auctores. (*De Effectibus clericatus*, effect. 8, n. 14, pagina 327, edit. Venet. 1638.) Ego autem testari possum omnes hodiernorum Galliæ Episcoporum cancellarios esse clericos, eosdemque in sacris constitutos. Quæ consuetudo etiam obtinet in Sabaudia ; et (prout mihi retulerunt viri fide digni) in plerisque insuper mundi catholici regionibus.

4° Hinc moderandum videtur quod docet Fagnanus (in caput *Sicut te, ne clerici vel monachi*, n. 61 et seq.), illicitum esse clericis notarii seu cancellarii officium, etiam in curia et negotiis Episcopi (exceptis fidei causis) exercere; et non tantum clericis majorum ordinum, sed et minorum, iisque etiam beneficio carentibus. Nam licet fatear a celeberrimo canonista id logice et rigorose deduci ex capite *Ut officium* (*de Hæreticis*, in 6), videtur tamen non satis rationem habuisse consuetudinis, quæ contraria et antiquitus fuit, et postea permansit, et hodiedum permanet. Nec verum est quod, loco citato, numero 63, affirmat : *Ubique locorum actuarii seu cancellarii Episcoporum sunt laici*, nisi hoc intelligat eo sensu, quod ubique locorum reperiantur laici aliqui eo munere fungentes, licet reperiantur majori numero clerici. Sed et in hoc ultimo sensu vera jam esse desiit dicta affirmatio; cum hodie pluribus in locis laicorum nullus id officii expleat.

5° Concludendum ergo videtur consuetudinem in hac re legi scriptæ prævalere : posse scilicet (ex praxi adeo generali et constanti, ut in jus commune transierit) notarii officium a clericis, etiam majorum ordinum, quoad actus curiæ et negotiorum Episcopi, licite exerceri. De qua legem inter et generalem consuetudinem contrarietate, forte dici posset, citatas decretales pro quibusdam locis dumtaxat, et ob peculiares ibi inductos abusus, fuisse latas : postea vero, quando Gregorius IX

eas in libros decretalium inseruit, jam invaluisse generaliter contrariam consuetudinem ; atque ideo vim legis generalis decretalibus istis nunquam accessisse, in quantum clericis notariatum in curia ecclesiastica interdicunt.

Si quis autem malit dictam, legem inter et consuetudinem, contrarietatem negare, et contendat cum pluribus supra citatis canonistis, per textum earum decretalium arceri clericos ab exercendo notariatu in foro dumtaxat sæculari, non autem in foro ecclesiastico, negotium ei non facessemus. Tantum pro legitimo habeatur praxis, qua clerici etiam majorum ordinum, cancellarii munus apud Episcopos et curiam ecclesiasticam explere solent.

Propositio IX^a. — *Utrum magis expediat cancellarium, pro negotiis et curia magistratus ecclesiastici, esse clericum, non videtur posse regula generali determinari.* — Certum est ab Episcopo assumi posse in cancellarium pro conscribendis actibus suis judicialibus et extra-judicialibus, sive laicum (ut ab omnibus admittitur), sive etiam clericum, ut in superiori propositione contra quosdam probavimus. Circa quæstionem utrum magis deceat clericum ad id muneris deputari, affirmativam teneri a Piasecio et Monacello, in supra citatis eorum doctorum verbis adverti potuit. Mihi tamen videtur id potius pendere a locorum et temporum circumstantiis. Ubi taxa pecuniaria pro variis conficiendis instrumentis exigi solet, non parva adversus ecclesiasticum ordinem concitari potest invidia nonnullis in regionibus, si per cancellarium clericum ejusmodi exactiones peragi debeant. Et sæpe tunc proderit ut laicus ad cancellarii officium anteponatur. Ubi vero dicta vel aliæ similes circumstantiæ non occurrunt, magis expedire videtur clerici electio. Nam cancellarius Episcopi de intimis negotiis, quæ administrationem episcopalem et multorum clericorum causas et culpas respiciunt, ex necessitate conscius fit. Et licet inter laicos reperiri possit vir religione atque integritate conspicuus, ac secreti tenax, non tamen absque periculo quandoque est a sæcularibus viris talia cognosci. Idque insuper clerus ægre ferre posset. Hinc non

videtur quæstio absolute decidenda; sed vindicata Episcopis, sive clericum, sive laicum pro cancellario eligendi facultate; quid magis expediat, eorumdem prudentiæ, pro variis diœceseon circumstantiis, esse relinquendum.

Propositio X^a. — *Clericis minorum ordinum licere in curiis sæcularibus notariatus exercitium, certum non est.* — Si decretales sæpe dictas *Sicut te* et *Ut officium* expendamus, minime dubium est id apud forum sæcularem officium minoribus etiam clericis prohiberi. Nihilominus existimat Thomassinus (ut supra vidimus) vel in sensum contrarium dictos textus interpretari posse, vel saltem ob contrariam consuetudinem eos vim non habere. Sed nimia mihi videtur hæc clarissimi viri opinio. Quod enim in eum sensum torqueri nequeant dictæ decretales jam ostendimus. Ad consuetudinem autem quod attinet, non video eam probari generalem : exempla autem clericorum minorum in curia et foro sæculari notarios agentium, etsi plurima congeri possint, pro abusu, juris minime inductivo, forsan melius habebuntur. Eos tantum clericos minores excipiendos existimarim, qui statui clericali valedicentes, ad sæcularem gressum fecerunt. Quandiu vero sacræ militiæ datum nomen non retraxerunt, eos sæcularibus negotiis implicari vetant generaliter sacri canones : implicarentur autem dicti officii apud forum laicalem exercitio.

Propositio XI^a. — *Causa cur sacri canones notariatus exercitium, apud curias præsertim sæculares, clericis prohibuerint, non videtur fuisse illius officii ignobilitas, nec quod præ se ferat speciem quamdam negotiationis.* — Si Paganum plurimosque alios canonum interpretes adeas (ubi expendunt caput *Sicut te, ne clerici vel monachi*), reperies ab ipsis duplicem dictæ prohibitionis assignatam causam : esse nempe tabellionatus officium ex natura sua ignobile, et speciem quamdam negotiationis. Eruditi vero alii multi utrumque negant ; et merito quidem, ut mihi videtur. Nam eorum virorum ordo, quorum testimonio et subscriptione, veluti certo et infallibili fundamento, nititur et secura quodam modo quieseit fides publica, a quibus proinde magna

ex parte pendet, tum in societate civili, tum etiam in Ecclesia, ordo et tranquillitas, nedum pro ignobili habendus sit, summo e contra honore ipsa sui muneris natura insigniuntur : quod fateri quisque debet, nisi eo absurdi deveniat, ut ignobile reputet, pro veraci ab omnibus et apud ipsa etiam tribunalia haberi, honorificum vero haberi pro mendaci et suspecto viro. Quod autem quandoque notarii, modo ignobili et ex pravo fine officium suum exercuerint, id per accidens se habet, et ad abusus, quibus res nobilissimæ obnoxiæ remanent, rejiciendum est. Primitus autem apud Romanos ad id officii deputatos fuisse servos, negandum est : adhibiti quidem sunt servi ad varias exarandas scripturas, et hinc aliquo sensu tabelliones forsan dicti, non autem ita ut per eorum testimonium et subscriptionem instrumentis fides publica staret, quod notariatus proprie dicti officium est. Neque etiam notariatus inter negotiationis species recte reponitur. Negotiatio enim stricte sumpta in eo stat, ut res emantur, et immutatæ carius vendantur. Quod autem quis pro munere quo fungitur, aut pro confecta in alterius utilitatem re aliqua, mercedem sive honorarium salariumve recipiat, negotiatio nullatenus est : alioquin et judicis, imo et regis munus negotiatio esset dicendum.

Hinc aliunde repetenda videtur facta clericis prohibitio ne notariatum exercerent. Ea nempe semper fuit Ecclesiæ summa sollicitudo, ut clerici divinis rebus libere vacarent, et hujus sæculi curis et negotiis quam minime implicarentur. Cum vero notariatus officium necessitatem secum trahat foro interessendi et inter lites et negotia temporalia versandi, mirum non est sacros canones id voluisse clericis interdictum, quoad curias saltem sæculares et negotia magistratus laici.

Propositio XII[a]. — *Quando notarius laicus factus est clericus, si pergat instrumenta conficere antequam id ei publice ab Episcopo suo prohibeatur, valida erunt ejusmodi instrumenta, quamvis illicite confecta : si vero fiat religiosus, instrumentum absque licentia sui superioris confectum, ipso jure irritum erit.* — Probatur 1[a] pars propositionis, ex eo quod in decretali *Sicut te* (tit. *Ne clerici*

*vel monachi* 50, lib. 3 decretalium) dicatur ejusmodi officium esse clericis interdicendum : « Ergo, ait Schmalzgrueber, per « clericatum supervenientem illud non perdiderunt ; alias « frustra ipsis interdiceretur. Ratio est, quia instrumenta sic « confecta nullo jure sunt irritata ; ac proinde valida censeri « debent ; præsertim cum eorum ita confectorum nullitas, non « conficienti, sed partibus inter quas gestum negotium est, « damnosa sit. » (In titulum 50, libri 3 decret., n. 60.) Atvero si ab Episcopo fuerit prohibitus *publice*, seu per edictum solemniter promulgatum, irrita erunt postea confecta instrumenta. « Quia, ait Schmalzgrueber (citato loco) gesta ratione « publici officii post interdictum superioris, non tenent (capite « *Veritatis* 8, et capite finali, *de Dolo et contumacia*). » Diximus *publice*, quia si interdictio non fuerit publica, « tenet qui- « dem interdictum in præjudicium clerici cui factum est, ut « propterea privari beneficio possit ; gesta tamen valent ra- « tione publici officii, saltem quoad partes ignorantes. » ( Ita Schmalzgrueber, cum multis aliis ab eo citatis, loco indicato, n. 62.) Quamvis autem ante factam sibi ab Episcopo interdictionem valide instrumenta conficiat dictus clericus, non tamen conficit *licite*, ut tenent canonistæ (vide Schmalzgrueber, loco citato) : ad illiceitatem enim sufficit notariatus exercitium præscribi a canone clericis interdicendum.

Probatur 2ª pars propositionis, de notario scilicet qui religionem profitetur. « Instrumentum a religioso sine licentia abba- « tis sui confectum, ipso jure nullum est, ob defectum potesta- « tis ; quia in religiosis major est prohibitio, quam in clericis « sæcularibus, ut colligitur ex capite *Sed nec* (4, tituli 50, « libri 3 decretalium). » Ita laudatus Schmalzgrueber cum communi doctorum sententia (loco citato, n. 59).

In Gallia, cum lex hodierna non agnoscat quidquam immutari in notarii potestate, ex eo quod fiat clericus vel monachus, valerent quidem in foro civili instrumenta confecta, sive a clerico post solemnem interdictionem Episcopi, sive a monacho absque licentia sui prælati ; at vero invalida remanerent

quoad partium conscientiam, ut videtur; ita scilicet ut ipsis non liceret talia instrumenta pro validis habere, aut ipsis uti.

## § V.

### A quo creari possint notarii.

I. Notarios creare nequit *ex jure sibi proprio,* nisi qui est supremus princeps, id est superiorem in jurisdictione sua non habens. Unde hoc sensu solus Papa notarios creare potest quoad forum ecclesiasticum; et solus imperator, vel rex, vel senatus quoad forum sæculare, in ditione sua, nulli superiori potestati sæculari obnoxia. « Ratio est, quia solus Princeps supremus « potest quidpiam, a jure communi omnium gentium exorbi- « tans, veluti dispensando constituere, seu introducere : id « autem valde exorbitans est a communi jure gentium, ut unius « hominis scripturæ, quæ est testis mortuus et inanimatus, « sine vivæ vocis contestatione et alio adminiculo, plena fides « habeatur; cum hujusmodi fides, nec scripturæ aut sigillo « alicujus magistratus in alterius præjudicium haberi soleat. » (Pirrhing, in titulum 22, libri 2 decretalium, n. 8; et consonat communis doctorum sententia.) A solo Papa et Imperatore, stricto quodam sensu, posse creari notarios, eadem ratione firmat Fagnanus : *Quia,* inquit, *ut credatur pelli animalis mortui, est contra jus; cui solus Princeps supremus potest derogare.* (In caput *Sicut te,* tit. *Ne clerici vel monachi,* libri 3 decretalium, n. 43.)

II. Certum est vi *consuetudinis* creari posse notarios a magistratibus supremo Principi inferioribus; et in particulari certum est, hoc consuetudinis titulo, posse notarios ab Episcopo creari. Id etiam unanimiter tenent doctores, et palam facit perpetua praxis. Ratio autem cur Episcopus id possit ob consuetudinem inductam, cum alias ex proprio jure non posset, est quia ad inducendam contra jus consuetudinem legitimam, requiritur ut interveniat consensus principis expressus,

vel saltem tacitus : quod autem princeps approbat, ipse facere videtur : et sic ea Episcopi ex consuetudine potestas ab ipsa Papæ potestate, vere et originarie derivatur. (Pirrhing, in titulum 22, libri 2 decretalium, n. 8.)

Solet tamen objectio fieri contra hanc Episcoporum notarios creandi potestatem ; sed quæ facile solvitur. « Conclusioni, « ait Fagnanus, videtur abstare, quod Clemens V, ad supplica- « tionem multorum Archiepiscoporum qui Viennam convene- « rant ad universale concilium, in compensationem laborum, « concessit facultatem concedendi tabellionatus officium dua- « bus personis, quas ad illud, post diligentem examinationem, « idoneas reperissent (ut tomo 3 conciliorum, parte 2, pa- « gina 740). Hæc enim indulgentia fuisset frustratoria, si de « jure hoc eis competeret... Sed responderi potest, ibi conces- « sam fuisse Episcopis facultatem, quam de jure non habebant, « scilicet creandi tabelliones authoritate Papæ, qui ubique ter- « rarum possent officium exercere... ; quod patet, tum ex illis « verbis *Authoritate nostra;* tum quia præcipitur ibi, *ut prædicti* « *tabelliones juxta fidelitatem Papæ*, juxta formam capitis, *ego* « V., *de Jurejurando*. Et ita indultum non fuit superfluum. » (Fagnanus, in caput *Sicut te*, tit. *Ne clerici vel monachi*, n. 55.)

III. « Etsi Episcopus, vel alius judex Principe inferior, intra « diœcesim suam vel territorium, possit creare notarios, non « tamen extra illam, vel illud; quia, quamvis officium notaria- « tus, non tantum judiciale, sed etiam extrajudiciale sit, quia « et extra judicium exerceri potest ; auctoritas tamen et actus « creandi seu constituendi notarios est actus judicialis ; adeo- « que extra territorium creatio fieri non potest. » (Pirrhing, loc. cit.) Idem tradit Fagnanus (in caput *Sicut te*, tit. *Ne clerici vel monachi*, n. 54), citans canonistam Hostiensem, allegansque juris Romani dispositionem (lege finali, ff. *de Jurisdict. omn. judic...*), et canonem *Omnes basilicæ* (16, quæst. 7). Hinc derelinquendus videtur Felinus, qui putavit creationem notarii ad jurisdictionem voluntariam pertinere, ac proinde posse notarium ab Episcopo, extra diœcesim suam existente, creari

quoad diœcesim suam. (Vide hanc opinionem Felini, apud Fagnanum, loco citato, n. 54.) Tute proinde non ageret Episcopus, qui extra diœcesim existens cancellarium suum crearet; quia probabilius saltem, robore carerent ad fidem faciendam instrumenta a Cancellario sic creato confecta.

IV. « Generales et provinciales religionum creare possunt « notarios intra suum ordinem pro causis criminalibus religio- « sorum, ita ut illis tanta fides adhibeatur, quanta notario « sæculari. » (Ferraris, ad vocem *Notarius*, n. 21.) Addit autem citatus auctor, eam esse communem doctorum sententiam.

« Insuper sanctus Pius V, constitutione 124, incipiente « *Debitum pastoralis*, concessit quod superiores ordinis prædi- « catorum, et consequenter etiam alii communicantes in pri- « vilegiis cum ipsis..., in unaquaque provincia possint consti- « tuere etiam plures sui ordinis Fratres, ab eis approbatos, in « notarios publicos, pro intimandis mandatis et rescriptis Apo- « stolicis, faciendis instrumentis et authenticandis transumptis, « publicam vel privatam dicti ordinis utilitatem concernenti- « bus. » (Ferraris, loco citato.)

« Pro talibus notariis creandis datur hic modus et formula : « selectis a Prælato... idoneis, ipsi coram eo genuflexi, tactis « sacris evangeliis coram duobus vel tribus testibus, debent « juramentum præstare, de fideliter et cum omni integritate « dicto officio exercendo, ut infra : *Ego N. promitto et juro Deo « omnipotenti; et SS. D. N. Papæ N., et tibi Patri, quod meum « fideliter exercebo officium in omnibus et per omnia. Sic me Deus « adjuvet, et hæc sancta Dei evangelia.* Prælatus autem, recepto « a notario tali juramento, tradit ei calamum et atramentum « dicens : *Accipe potestatem notificandi et intimandi pro ista « provincia quibuscumque personis, etiam regibus, mandata, in- « dulta, ac privilegia Apostolica, juxta privilegia ordini con- « cessa, faciendique publicos actus et instrumenta. In nomine Pa- « tris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen.* Testimoniales postea « creationis in notarium poterunt dari sub his terminis : *Nos, « frater N. minister Provincialis* (si creatio sit a generali, va-

« rietur nomen), *vigore privilegiorum Apostolicorum, creavimus « et constituimus ac deputavimus in notarium pro hac nostra pro- « vincia, R. P. F. N., virum moribus probatum, fide et virtute « idoneum, ad intimanda et notificanda quæcumque indulta, etc., « facienda quæcumque instrumenta, et authenticanda transum- « pta, etc., recepto prius ab eo coram nobis genuflexo corporali « juramento fidelitatis, tactis sacris evangeliis, coram infra seri- « bendis testibus. In quorum fidem, etc. Datum, etc.* Deinde « fiant subscriptiones, et juxta hanc formulam, variatis va- « riandis, dari poterunt litteræ patentales. » (Ferraris, ad vo- cem *Notarius*, n. 21 et 22.)

V. Inquisitores hæreticæ pravitatis possunt creare clericos sæculares et regulares, in notarios sanctæ inquisitionis, pro causis ad eam spectantibus. Constat ex constitutione 22 Alexan- dri IV, incipiente *Ne commissæ*. Notarii autem omnes omnia gratis pro officio Sanctæ Inquisitionis expedire tenentur. Con- stat ex constitutione Clementis VIII, incipiente *Sanctissimus*.

*Nota*. Quæ in hoc paragrapho dicta sunt de potestate nota- rios creandi, applicanda sunt actuariorum et cancellariorum creationi; cum et hi veri notarii sint, quamvis in aliquo sensu omnes notarii non sint actuarii seu cancellarii.

## § VI.

### Utrum notarii, tum laici, tum a sæculari potestate creati, possint in causis ecclesiasticis et spiritualibus officium suum valide exercere.

Duas sub præsenti paragrapho difficultates enodandas susci- pimus. Primo nempe, cum possint creari notarii laici non tan- tum a sæculari potestate, sed et ab ecclesiastica, dubium esse potest, num laicalis eorum notariorum conditio impediat, ne in foro ecclesiastico et in causis spiritualibus cancellarii mu- nus valide explere possint. Secundo, expendenda etiam oc- curret quæstio, an inhabiles sint ad exercendum notarii offi- cium quoad actus et curiam magistratus ecclesiastici, ii qui a

potestate sæculari, non autem ab ecclesiastica, creati fuerunt notarii.

Propositio Iª. — *Certum est laicos posse in causis etiam spiritualibus esse notarios seu cancellarios.* — Id quidem olim nonnulli canonistæ negaverant. At nunc communiter ut certum admittitur, et rem plane evincunt rationes a Fagnano allatæ : « Imo, inquit, laici possunt esse tabelliones etiam in causis spi- « ritualibus et ecclesiasticis, ut scripsi plene in caput *Quisquis* « (n. 19 supra, *de Electione*); et hæc est ipsa veritas, ut inquit « Baldus (in caput *Decernimus*, n. 15, supra, *de Judiciis*); et « fuit opinio Compostellani et aliorum (in caput *Quia propter*, « *de Electione*); quam pluribus comprobat, et ab objectis tue- « tur Abbas...; quæ etiam servatur de consuetudine, ut fa- « tentur Hostiensis et Joannes Andreas... Et nuper ex decreto « Congregationis a Sanctissimo Domino Nostro Innocentio X « ablegatus est cancellarius laicus ad curiam Archiepiscopi Be- « neventani. Demum quoad hoc omnem dubitationem sustulit « concilium Tridentinum (capite 10, sessionis 22) quo tribuitur « facultas Episcopis etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, « examinandi quoscumque notarios, etiamsi Apostolica, impe- « riali, aut regia auctoritate creati fuerint, eisque minus ido- « neis repertis aut in officio delinquentibus, prohibendi in per- « petuum aut ad tempus officii ejus usum in negotiis, litibus et « causis ecclesiasticis ac spiritualibus. Ergo sancta synodus « evidenter supponit notarios imperiali vel regia auctoritate « creatos, et sic laicos, ante prohibitionem Episcopi posse hu- « jusmodi officium exercere, etiam in spiritualibus et eccle- « siasticis, cum privatio supponat habitum : alioquin pœna con- « cilii esset frustratoria. Item, ex dicto capite (10, sessionis 22) « ita demum notarii prohiberi possunt officio uti in spirituali- « bus et ecclesiasticis, si prævio examine reperiantur inhabi- « les aut in officio delinquentes : ergo cæteris hoc intelligitur « permissum. Et eo magis, quia cum dubitasset Episcopus Re- « canatensis, an ex sessionis 22, capite 10, *Cum ex notario-* « *rum*, etc., ibi : *Possit Episcopus illis non idoneis repertis*, etc.,

« posset etiam exercendi usum prohibere in negotiis et litibus « profanis coram judice laico in terris Ecclesiæ; Sacra Con- « gregatio censuit, non posse; quia concilium loquitur de « causis ecclesiasticis et spiritualibus tantum; ergo non intel- « lexit de litibus profanis, neque coram laico.

« Rursus cum esset quæsitum, an facultas prohibendi no- « tariis minus idoneis repertis, ne in negotiis et causis eccle- « siasticis ac spiritualibus suum officium exerceant (Episcopis « tributa decreto concilii, capite 10, sessionis 22), etiam « quoad negotia et lites locorum piorum a laicis administrato- « rum tributa intelligatur :

« Item an eadem facultas extendatur ad contractus perso- « narum ecclesiasticarum, quæ de eorum patrimonialibus « bonis conficiuntur; præsertim stante consuetudine, quod « causæ hujusmodi, eorum bonorum ratione, ad forum eccle- « siasticum spectent :

« Die 4 decembris 1588, Sacra Congregatio Concilii, ad « *primum*, censuit intelligi tributam : ad *secundum*, extendi.

« Adde quod ipsusmet concilii Tridentini duo fuerunt no- « tarii, laicus unus, et alter clericus, ut patet ex eorum sub- « scriptionibus, quæ habentur in calce concilii. » (Fagnanus, in caput *Sicut te*, tit. *Ne clerici vel mon.*, n. 63 et seq.) Præcipua ratio, cur olim a quibusdam in dubium vocatum est, an laici possent in causis ecclesiasticis et spiritualibus esse notarii, inde sumebatur, quod jurisdictionis ecclesiasticæ incapaces laici forent. Cui objectioni postea communiter canonistæ responderunt, per notariatum *nullum exerceri ministerium*, nequaquam vero actum jurisdictionalem; ad officium proinde notarii nullatenus requiri habilitatem ad jurisdictionem spiritualem recipiendam.

Propositio II^a. — *In rigore juris, et abstrahendo a recepta generaliter consuetudine, probabiliter notarius a sola potestate sæculari creatus non posset esse notarius in causis et negotiis ecclesiasticis.* — Solent canonistæ dum sustinent notarium a potestate sæculari creatum, in foro etiam ecclesiastico valide suum

officium explere, hanc addere restrictionem, *quidquid sit de rigore juris*, et conclusionem veram propugnant, *saltem ex recepta consuetudine*. Perspexerunt nempe sæcularibus principibus id non competere, ut possint aliquam personam efficere *publicam*, etiam respectu Ecclesiæ. Id enim esset potestas cogendi Ecclesiam, ut pro publicis, quoad sua negotia et forum suum haberet personas illas, quas princeps sæcularis ut tales ipsi imponere voluisset : talis autem potestas principis sæcularis esset jurisdictio quædam in Ecclesiam et res ecclesiasticas; quæ nullatenus admitti potest. Hinc, in rigore juris, et nisi aliter praxi sua disposuisset Ecclesia, notarii a sola potestate sæculari creati, instrumenta conficere non possent, quæ in foro Ecclesiæ publicam fidem facerent. Quod alio modo sic concludi potest : statuere ut a judicibus ecclesiasticis plena fides adhibeatur scripturæ certarum personarum, est legem vere ecclesiasticam edicere, et de disciplina ecclesiastica decernere : talis porro potestas sæculari principi non competit.

« De stricto jure (ait Laurentius) negativa est probabilior, « nimirum quod instrumento confecto a notario, quem creavit « princeps laicus, deferendum non sit in causis et actibus ec- « clesiasticis seu spiritualibus; et vice versa nec instrumento « confecto a notario, creato per ecclesiasticum, in actibus pro- « fanis : eo quod creans notarium videatur non posse ei au- « thoritatem et fidem facere in iis, quæ sunt extra creantis ju- « risdictionem ; uti sunt causæ spirituales extra jurisdictionem « principis laici, et causæ profanæ extra jurisdictionem eccle- « siastici. » (*Forum ecclesiasticum*, in tit. 22, libri 2 decretal., q. 696.)

Propositio IIIa. — *Ob receptam saltem consuetudinem, notarius a potestate sæculari creatus, aptus regulariter videtur, ut et in foro ecclesiastico notariatum exerceat, quamdiu ab Episcopo prohibitus non est.* — Id aperte sequi videtur ex Tridentino decreto : *Cum ex notariorum imperitia plurima damna et multarum occasio litium oriatur, possit Episcopus quoscumque notarios,*

*etiamsi Apostolica, imperiali, aut regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari, illisque non idoneis repertis, aut quomodocumque in officio delinquentibus, officii ejus, in negotiis, litibus et causis ecclesiasticis ac spiritualibus, exercendi usum; perpetuo aut ad tempus, prohibere; neque eorum appellatio interdictionem Ordinarii suspendat.* (Sess. 22, cap. 10.) Ibi clare supponitur posse notarios a sæculari potestate creatos, officium suum in causis etiam ecclesiasticis et spiritualibus exercere; siquidem fit potestas Episcopis illud idem in causis ecclesiasticis et spiritualibus eorum ministerium prohibendi, si imperiti vel culpabiles, in examine quoad hoc instituendo, reperiantur. Unde vix capio quomodo quidam canonistæ contrarium post Tridentinam synodum tenuerunt; verbi gratia, Piasecius, qui sic habet : « Quoad exercitium autem notariatus officii in foro « spirituali, requiritur ut notarius sit creatus, non a principe « sæculari, sed ecclesiastico. Potest tamen ipse esse laicus, ut « communiter tenent doctores..., licet magis conveniat ut sit « clericus : arguitur textu capitis *Ut juxta, de Officio judicis « Ordinarii.* » (*Praxis episcopalis*, parte 2, n. 11.) In citato capite *Ut juxta*, agitur dumtaxat de non introducendis laicis in claustra monialium; et cæteroquin huic decretali prævalere debet citatum decretum Tridentinum.

Hinc multo communior est canonistarum sententia, licitum asserens, ex titulo saltem receptæ consuetudinis, notariatus exercitium in foro spirituali, iis qui a sola potestate laica notarii creati sunt; de quo sic Pirrhing : « An, sicut notarius « creatus ab ecclesiastico, verbi gratia, a Papa, potest instru- « menta conficere in causis temporalibus; ita vice versa crea- « tus a laico, verbi gratia, Imperatore vel Rege, possit in « causis spiritualibus? Respondeo : quidquid sit de rigore juris, « saltem potest ob receptam consuetudinem; de qua testatur « Abbas... et Gabriel... Ratio est quia notarius exercet nudum « ministerium, quod laicis non prohibetur, etiam in causis « spiritualibus. » (In titulum 22, libri 2 decretalium, n. 12.)

Diximus in thesi *regulariter* : quia excipiendæ sunt causæ canonizationum ; de qua exceptione sic Pignatelli :

« An in causis canonizationum probari debeat quod fuerit « adhibitus notarius, creatus auctoritate apostolica? Respon- « deo affirmative ; ita ut hujusmodi qualitas post novissima « decreta Urbani VIII omnino requiratur. Quod etiam antea « servabatur, ea ratione quia causæ canonizationum sunt de « majoribus Ecclesiæ, non autem de respicientibus tempora- « lia, in quibus solum posse adhiberi notarium creatum aucto- « ritate laica, inquit Hostiensis...

« In aliis vero causis ecclesiasticis de jure verior vi- « detur opinio quod notarii creati auctoritate laicali pos- « sint adhiberi. Ita Abbas (in caput *Sicut te*, tit. *Ne clerici « vel monachi*), reddens rationem, quia id respicit nudum « ministerium, quod laicis non prohibetur. Et hanc opinionem « servari de consuetudine, quidquid sit de rigore juris, testa- « tur idem Abbas. » (Pignatelli, tom. 3, consultatio 11.)

Propositio IV^a^. — *Non videtur hodie in Gallia aptos esse notarios a sola potestate sæculari creatos, ad valide conficienda instrumenta ecclesiastica.* — Nam ex præcedentibus propositionibus, scriptura notarii a sola potestate sæculari creati, *per se et de rigore juris* fidem non facit quoad forum ecclesiasticum ; atque id habet dumtaxat ex *recepta generaliter consuetudine*. Ista autem consuetudo hodie quoad Galliam vim non habere potius censenda est. Nam ideo generaliter olim recepta fuisse consuetudo hæc videtur, quia, cum ejusmodi notarii nonnisi a catholicis principibus crearentur, et ab eo munere arcerentur hæretici, increduli, ac judæi. Non erat cur Ecclesia dedecens aut nocivum sibi reputaret eorum opera in suo etiam foro uti. Sunt autem adeo mutatæ eæ circumstantiæ in Gallia aliisque regionibus, ut hebræi etiam, et omnem prorsus catholicam fidem negantes, ad notariatus officium indistincte recipiantur. Quo stante rerum statu, censeri nequit Ecclesia servatum voluisse ejusmodi sæcularis creationis notariis dictum privile-

gium, per scripturas nempe suas in foro etiam ecclesiastico faciendi fidem publicam.

Unde in dictis regionibus, si velit judex ecclesiasticus alicujus ex istis notariis opera uti, tutius saltem erit ad vitanda circa valorem actuum dubia, ut prius is episcopali auctoritate notarius erectur, eodem modo ac si minime notarius esset.

## § VII.

Ubinam a notario instrumenta valide confici possint : et valide confecta, ubinam fidem faciant.

Propositio I^a^. — *Notarius quilibet instrumenta valide non conficit, nisi intra territorium illius magistratus a quo notarius creatus est.* — Id tanquam generalem regulam a doctoribus communiter admissum reperies. Rationem dant, notariatum esse officium seu ministerium publicum. « Officium autem pu-« blicum restringi solet intra terminos regionis illius (1), a quo « defertur, neque extra illam extenditur ; adeoque extra ter-« ritorium constituentis minister publicus censetur esse per-« sona privata. » (Pirrhing, in titulum 22, libri 2 decretalium, n. 11.) Hæc tamen conclusio intelligenda est *regulariter;* patitur enim quasdam limitationes, de quibus in sequenti propositione, scilicet :

Propositio II^a^. — *Conficit tamen valide instrumenta extra territorium suum* (2), 1° *si ita ferat alicubi consuetudo;* 2° *si consentiat princeps loci ;* 3° *probabiliter si, licet existens extra territorium suum, instrumenta conficiat pro ejusdem territorii sui subditis in id consentientibus.* — « Verumtamen, ait Pirrhing, per con-« suetudinem introductam, vel per tacitum consensum seu « concessionem alicujus principis, potest notarius etiam extra

(1) Nempe *illius magistratus.*

(2) Intelligimus territorium illius magistratus a quo notarius creatus est.

« territorium constituentis conficere instrumenta... Imo pro-
« babile est quod quilibet notarius, etiam ab inferiori magi-
« stratu constitutus, extra territorium constituentis, inter
« volentes et subditos ejusdem magistratus, possit instrumenta
« conficere, ut tradit Felinus (in caput penultimum, tituli 22,
« libri 2 decretalium, n. 18), et Tuscus (in idem caput, n. 23);
« quia..., licet alibi notarius non sit publica persona, potest
« tamen censeri publica quoad subditos extra territorium exi-
« stentes. » (Pirrhing, in titulum 22, libri 2 decretalium, n. 11.)

Propositio III^a. — *Notarius intra territorium suum valide conficit instrumenta, etiam pro extraneis.* — Ita, cum Felino et Gabriele, tenet Pirrhing citato loco; addens tamen : *Saltem ubi consuetudo id approbat.*

Propositio IV^a. — *Notarii a Papa sine restrictione locorum creati, regulariter ubique terrarum instrumenta valide conficiunt quoad forum ecclesiasticum.* — Ratio est, quia quilibet notarius valide officium suum explet intra territorium magistratus a quo notarius creatus est : totus autem mundus est territorium Papæ quoad forum ecclesiasticum : poterit ergo notarius a Papa sine restrictione locorum creatus, in toto mundo valide instrumenta exarare. Est autem ea conclusio extra controversiam apud canonistas.

Diximus *regulariter*; quia Tridentina synodus Episcopis facultatem fecit notarios, etiam ab Apostolica Sede creatos, ad examen vocandi; et eisdem, si imperiti vel in officio suo delinquentes reperti fuerint, notariatus exercitium interdicendi. (Sess. 22, cap. 2.) Qui ergo sic ab Episcopo interdictus fuisset, non posset valide instrumenta conficere, in diœcesi saltem Episcopi interdicentis. An vero etiam, quoad omnem locum interdictus censendus sit notarius a Papa creatus, hoc ipso quod ab Episcopo interdictus sit, est quæstio quæ difficultate forsan non caret. Quam cum apud auctores excussam nondum repererim, intactam relinquo.

Propositio V^a. — *Instrumentum a notario alicubi valide confe-*

*etiam, ubique plenam fidem facit.* — Ita tenent doctores communiter. « Notarius, ait Pirrhing, intra territorium ejus, cujus « auctoritate est constitutus, potest conficere instrumentum, « etiam extraneis ac peregrinis cum vocantibus, adeo ut tale « instrumentum etiam alibi, seu extra territorium constituen« tis ubique plenam fidem faciat. » Ratio est, quia fidem et « auctoritatem publicam jam accepit instrumentum in loco « constitutionis, et quidem a jure communi; ideoque vis pro« bandi semel orta, non tollitur mutatione loci. » (In titulum 22, libri 2 decretalium, n. 10.) Vide etiam Fagnanum (in caput *Sicut*, III. *Ne clerici vel monachi*, n. 53). Ratio autem fundamentalis est ipsamet institutionis notariorum natura. Ideo enim, et in Ecclesia, et in societate seculari, notarii excogitati sunt et instituti, ut per ipsorum scriptionem et subscriptionem plene et in perpetuum constaret de actis et gestis. Qui profecto scopus non obtineretur, si semel a notario confectum instrumentum plenam fidem non faceret ubique, sed in loco tantum ubi conscriptum est. Imo verus notarius dici non posset cujus instrumento ubique publica fides non deberetur.

*Nota.* Quomodo vim ad probandum habeant, tum instrumentum ipsum a notario confectum, tum ejusdem instrumenti protocollum, tum exempla ex originali desumpta, tum instrumenta rasura aliqua vel errore deturpata, vide fuse tractatum apud Pirrhing (in titulum 22, libri 2 decretalium, numeris 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23 et 50).

## § VIII.

### De requisitis in notario qualitatibus.

1. Debet esse legitimo matrimonio natus. (Pirrhing, in titulum 22, libri 2 decretalium, n. 9.)

2. Requiritur, non quidem ut laurea insignitus fuerit, sed tamen ut sit peritus juris, vel saltem ea sciat quæ ad suum of-

ficium pertinent : alias tenebitur de damno ob imperitiam suam illato. (Pirrhing, loco citato.)

3. Utrum necessario debeat esse laicus, ita ut, ne in foro etiam ecclesiastico possit clericus notarii officium exercere, jam satis supra expendimus.

4. « Instrumentum confectum a tabellione publice excom- « municato, et non tolerato seu vitando, non valet ; quia non « censetur authenticum, cum is a publicis actibus tum jure « ipso, tum judicis officio repellatur. Imo quamvis tale in- « strumentum ab excommunicato tolerato confectum sit, ni- « hilominus in foro externo infirmari poterit, si opponens « excommunicationem sufficienter probare possit. » (Pirrhing, loco citato; et ita communiter doctores, ut videre est apud Layman, *Theol. mor.*, tract. 5, p. 2, n. 15).

5. Quoad requisitam ætatem ut quis notarius seu cancellarius creari possit, nihil reperio dispositum, nisi quod non possint ad id officii assumi impuberes (lege 3, § 5, ff. *de Testibus*).

« In summa, omnes qui a testimonio repelluntur, repellun- « tur quoque a notariatu. » (Leurenius, *Forum eccl.*, in tit. 22. libri 2 decret., q. 689.)

## § IX.

Tenetur judex ecclesiasticus notarium seu cancellarium adhibere tam in judicio ordinario, quam in summario.

Probatur ex decretali *Quoniam* (11, tituli 19, libri 2 decretalium), ab Innocentio III lata in concilio generali Lateranensi IV, anno 1215 : *Statuimus ut tam in ordinario judicio quam extraordinario, judex semper adhibeat, aut publicam si potest habere personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa judicii acta conscribat.*

Quamvis in eo decreto dicatur, posse adhiberi duos viros idoneos, si desit *persona publica*, remanet semper notarios ad-

hibendi necessitas; siquidem illi duo viri idonei hoc modo deputati, veri notarii sunt et constituuntur, quoad judicium illud in quo sic adhibentur.

Illa vero juris canonici dispositio hodiedum vigere censenda est; cum nec ulla posteriori lege, nec contraria et generali consuetudine sublata dici possit. Unde etiamnum in judiciis, non tantum ordinariis, sed et summariis, tenetur de jure communi judex ecclesiasticus notarium sive cancellarium adhibere; aut, iis deficientibus, duos viros idoneos qui notarii officium expleant.

## § X.

De solemnitate juramenti in creandis notariis adhiberi solita.

I. *Quid jurare soleat notarius cum creatur.* — « Notarius « cum creatur jurare solet : *primo,* quod conficiet instru- « menta de quibus fuerit rogatus, nil veritatis tacendo, vel « falsitatis miscendo; *secundo,* quod non revelabit quod sibi « secreto commissum fuerit, nisi justa de causa; *tertio,* quod « non conficiet scienter aliquod instrumentum de contractu « usurario, nec de alio quovis illicito; *quarto,* quod retinebit « de omnibus instrumentis... quæ dederit regestum seu pro- « tocollum; *quinto,* quod erit fidelis ei a quo fuit creatus no- « tarius, et admonebit eum de iis quæ sciverit in ejus dam- « num vergere; *sexto,* quod nullo odio vel amore, spe vel « timore officio suo abutetur. » (Ferraris, ad vocem *Notarius*, n. 1.) Consonat Fagnanus cum multis aliis canonistis (in caput *Sicut te,* tit. *Ne clerici vel monachi*, n. 16). Necesse tamen non est ut hæc omnia explicite juret notarius, sed sufficit juramenti formula *de fideliter implendo officio suo.*

II. *Utrum prædicta juramenti solemnitas ex obligatione adhibenda sit, dum a potestate ecclesiastica notarius vel cancellarius creatur.* — Videtur quidem ea solemnitas in consuetudinem generalem transiisse, cum de illa tamquam observari

solita, loquantur passim doctores. Imo antiquitate venerabilem ejusmodi praxim testantur plurima medii ævi documenta, quibus hæc aut æquivalens subscriptio appenditur, *ego N...*, *notarius juratus*. Nihilominus dictam solemnitatem de jure communi esse sub præcepto, et præsertim sub nullitatis pœna, usurpandam, nullo textu legis canonicæ expressum reperio. Præscripsit quidem Clemens V in concilio Viennensi ejusmodi juramentum, atque etiam formulam qua præstari debebat: sed ea dispositio respicit dumtaxat privilegium viginti Galliarum Episcopis tunc concessum; ut posset nempe eorum quisque duos notarios apostolicos creare. Unde quod attinet ad notarios ordinarios et jus commune, videtur concludendum, prædictam juramenti solemnitatem in notariorum creatione stricte obligatoriam non esse. Quam autem laudabile sit eam servari satis ex dictis patet. Et notandum, post juramenti emissionem, perjurum fieri notarium, qui a se jurata non servat; qui effectus, omisso juramento, non sequeretur.

## § XI.

### De officio seu obligationibus notarii.

I. Notarii contra officii sui debitum peccant: « *primo*, si « sine sufficienti peritia suscipiant officium. *Secundo*, si jura- « mentum violent. *Tertio*, si in depositione testium aliquid « notabile et momentosum addant vel detrahant. *Quarto*, si « ministro transcriptori, cum erroris periculo, examen com- « mittant. *Quinto*, si protocollum et acta negligenter custo- « diant cum damno partium. *Sexto*, si differant causarum « expeditionem, ut pecuniam extorqueant. *Septimo*, si testa- « mentum scribant hominis ratione destituti. *Octavo*, si testes « falsos admittant. *Nono*, si solemnitates necessarias ex igno- « rantia culpabili vel malitia prætermittant. *Decimo*, si confi- « ciant instrumentum usurarium, vel falsum, præsertim in « damnum tertii: si faciant ut processus et causæ veniant ad

« alios judices, quam ordo illius tribunalis postulat; quia mul-
« tum interest habere hunc vel illum judicem. *Undecimo*, si
« secretum violent; verbi gratia, aperiendo parti adversæ
« dicta testium ante eorum publicationem. *Duodecimo*, si parti
« petenti instrumenta occultent, præsertim quæ continent
« legata. *Decimotertio*, si acta occultent, vel parti petenti tran-
« sumptum processus denegent. *Decimoquarto*, si amisso in-
« strumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile con-
« fingant. » (Busembaum, lib. 4, cap. 3, art. 4, dub. 4, n. 4); et consonat sententia communis doctorum.

II. Notarii tenentur ex officio, etiam nemine requirente, revelare Episcopo legata pia seu ad pias causas; et possunt synodi provinciales, et quilibet Episcopus pro sua diœcesi, hujus obligationis impletionem urgere, sub pœna etiam excommunicationis et suspensionis ab officio. Ita doctores communiter. Legata autem facta Fabricæ Sancti Petri tenentur notarii revelare intra mensem. Pro quibus juris dispositionibus, legata pia respicientibus, vide Ferraris (in verbo *Notarius*, n. 4 et seq.).

III. Quæ vetita vel licita sint cancellario Episcopi, sive notario in causis ecclesiasticis, quoad taxam seu emolumenta, vide Ferrarium, ad vocem *Cancellarius*.

## CAPUT XVI.

### DE PROCURATORE ET ADVOCATO PAUPERUM, DE DEPOSITARIO MENSÆ EPISCOPALIS ET DEPOSITARIO POENARUM, NECNON DE BARONCELLO (DE PROCURATORIBUS AUTEM ET ADVOCATIS, RELATIVE AD CURIAM EPISCOPALEM, REMISSIVE).

1. Ad pleniorem episcopalis curiæ constitutionem pertinet, ut præter supra memoratos officiales, aliquem etiam deputet Episcopus in procuratorem, et alium in advocatum pauperum;

qui nempe pauperibus, in curia episcopali causam habentibus, ex officio et gratis operam navarent.

Id observandum in omnibus ecclesiasticis curiis præcepit Benedictus XIII; prout relatum invenies in appendice concilii Romani anni 1725 (pagina 207 et 212, edit. Romæ 1725), his verbis : *Sequuntur declarationes Sanctissimi Domini Nostri Benedicti papæ XIII, quas sanctitas sua de consilio et voto congregationis particularis, ab ipsamet deputatæ super reformatione tribunalium et congregationum, servandas in posterum districte mandat et præcipit... Similiter, ut satis provideatur pauperibus litigantibus, prout summopere ecclesiasticos judices decet, Sanctitas sua mandat, in quibuscumque supra dictis curiis deputari procuratorem pauperum et advocatum, qui iis assistant in quibuscumque causis civilibus et criminalibus, viros pietate et doctrina præstantes, cum assignatione alicujus mercedis, si possibile foret; et de iis electis habeatur ratio in provisionibus beneficiorum.*

Si vero in aliqua religione rarissime contingant ejusmodi apud curiam ecclesiasticam pauperum lites, non videtur teneri Episcopus ut procuratorem et advocatum pauperum per modum stabilis officii deputet. Cessante enim legis fine, cessare ipsa lex censenda est. Unde tunc satis erit si, dato casu, curet ecclesiasticus judex, ut pauper litem sustinens idoneo patrocinio non destituatur. Ad quod cæteroquin ex ipso jure naturali tenetur, ne alias opprimatur pauper, qui ob egestatem patronum sibi comparare nequit.

2. Cum inter alias pœnas possit judex ecclesiasticus muletas imponere, in pios usus erogandas, solet ab Episcopo deputari aliquis, in cujus manibus pecunia ex dictis pœnis proveniens consignetur seu deponatur, quique ideo *depositarius pœnarum* nuncupatur. Ipsius autem officium est dictas pecunias asservare, eas ex mandato Episcopi variis piis operibus applicandas tradere, pro qualibet summa sic tradita instrumentum authenticum recipere, et cómputorum rationem reddere.

3. Alius etiam depositarius instituitur, qui simili modo pecunias episcopali mensæ debitas (id est quæ de jure ad Epi-

scopi sustentationem exigi possunt) recipiat, asservetque, et prout jussus fuerit exhibeat vel expendat. Et vocatur *episcopalis mensæ depositarius*. Hodie vero multis in locis inutile foret officium ejusmodi.

4. Item constituere potest Episcopus *computorum* quoad loca pia *revisorem*, sed, si malit, revisionem hanc ipse, vel per Vicarium suum generalem peragere potest.

5. Baroncelli autem officium, idest, præsidis *familiæ armatæ* Episcopi, jam fere ubique obsolevit. Nulla scilicet nunc Episcopi familia armata utuntur; sed ad efficaciter obtinendam citationum et sententiarum suarum executionem, supplet sæcularis brachii, idest, sæcularis potestatis auxilium. Notandum autem teneri sæcularem potestatem, vel ad permittendum Episcopis ut per nonnullos curiæ suæ addictos ejusmodi viros, judiciorum suorum efficaci executioni consulant, vel ad præstandum iisdem in hunc finem brachii sui auxilium. Ex essentiali enim Ecclesiæ constitutione certum est (ut alibi probavimus) ipsi competere proprie dictam et efficacem judicialem potestatem; hancque non per mere spirituales dumtaxat pœnas exercendam, sed per vim etiam coactivam, seu per pœnas temporales et corporales. Unde quod media ætate passim Episcopi familiam armatam habuerint, non fuit sæcularis potestatis jurium invasio. Quamquam, mutatis horum temporum circumstantiis, extra controversiam est decere magis ut hocce præsidium a sæculari potestate mutuent. Quando vero postea cœpere gubernia hoc etiam sæcularis brachii auxilium Episcopis recusare, patienter toleravit Ecclesia. Ejusmodi enim jura sua, quæ vim externam et coactivam respiciunt, non solet nisi ab ultro consentientibus et postulantibus populis sæcularibusque potestatibus repetere; ne scilicet alias in perniciem potius quam in utilitatem animarum rem cedere contingat. Dum vero hoc mansuetudinis spiritu Ecclesia perpetuo ducitur, intactam usque servat jurium suorum integritatem; quia quod posuit Christus nulla poterit unquam humana potestas convellere.

6. De procuratoribus et advocatis relative ad episcopalem

curiam, non est cur hic sermonem reducamus, cum satis ea notio sub prima tractatus parte fuerit exposita.

## CAPUT XVII.

### DE NUNTIIS JUDICIALIBUS (*Huissiers*).

Vocantur etiam pedelli, cursores, viatores, apparitores, et nonnullis aliis pro regionum consuetudine nominibus. At ea omnia nomina in jure idem significant, ait Schmalzgrueber (ad titulum 1 *de Judiciis*, libri 2 decretalium, n. 14). « Offi-« cium illorum est jussa sui magistratus et judicis implere, li-« tigantes in jus vocare, processus, actusque judiciarios « exequi, etc. » (Schmalzgrueber, loco citato.)

« Intervenit (judiciis) nuntius, seu cursor, seu bajulus, seu « apparitor, seu serviens curiæ ; qui et alia nomina sortitur : « et hic citat partes in omnibus actis judiciariis, et postea « refert in scriptis notario se citasse ut habuit in commissis... « Et istæ personæ neque sunt de substantia judicii, sed admi-« niculum tantum præstant : nam de substantia, ut diximus, « solum illæ tres personæ sunt, nimirum judex, actor et « reus. » (Pellegrini, parte 2, præmisso 1, n. 8.)

De cursorum officio in exequendis citationibus dicimus infra ubi de citatione.

In praxi vix poterunt judicia expediri nisi cursorem habeat episcopalis curia. Quia nempe in intimandis citationibus debebit quis hoc officio fungi. Si ergo judex ipse vel actuarius id non peragat (prout peragere eos nec conveniens, nec possibile plerumque erit), debebit alius auctoritate publica ad hoc deputari. Is autem hoc ipso curiæ cursor erit.

Hinc solet in qualibet ecclesiastica curia unus aut alter nuntius auctoritate Episcopi et instrumento publico constitui.

Cursores autem sic constituti publicæ personæ sunt in foro ecclesiastico.

## CAPUT XVIII.

### DE CURIA ARCHIEPISCOPALI, PRIMATIALI ET PATRIARCHALI.

Delineata curiæ episcopalis forma, remanet ut normam etiam Metropolitanæ, Primatialisque et Patriarchalis curiæ paucis indicemus.

### § I.

Quomodo curiæ episcopali similis quoad formam, diversa vero quoad jurisdictionem sit Metropolitana, Primatialis et Patriarchalis curia.

1. Ad formam seu typum episcopalis curiæ possunt et solent aliæ memoratæ constitui et ordinari. Constant nempe Archiepiscopo, vel Primate, vel Patriarcha tanquam judice ordinario primario, Vicario eorum generali tanquam judice ordinario secundario, promotore fiscali, actuario, aliisque in curia episcopali adhiberi solitis. Unde forma ac constitutio interna omnino similis dici potest.

2. Objectum vero circa quod versatur dictarum curiarum jurisdictio ipsis proprium est; et ab objecto jurisdictionis mere diœcesanæ diversum. Nam præter jurisdictionem episcopalem in propriam diœcesim, metropolitanam habet Archiepiscopus in diœceses suffraganeas, primatialem Primas in primatus sui territorium, et patriarchalem Patriarcha in suo patriarchatu.

In quo præcise stet jurisdictio Primati et Patriarchæ propria, non est cur hic disseramus; aliquid autem de hac re attingemus in tractatu de Episcopo.

Sed et determinandam Archiepiscopi potestatem ad eumdem tractatum remittimus, adnotatis dumtaxat paucis, quæ magis ad præsentem scopum referri videntur.

*Primo* nempe, tanquam tuta regula recipitur, nullam com-

petere Archiepiscopo jurisdictionem in suffraganeos, eorumve officiales aut subditos, *exceptis in jure expressis casibus*.

*Secundo*, quamvis a Tridentina Synodo in multis imminuta fuerit metropolitarum potestas, plurima tamen intacta remanserunt eorum jura, per sacros canones ipsis attributa (de quibus agemus in tractatu de Episcopo); inter quæ eminet appellationes recipiendi, seu causas suffraganearum diœceseon in secunda instantia cognoscendi et terminandi facultas.

Quomodo autem gerere se debeat Vicarius generalis metropolitanus in expediendis appellationum causis, et quæ ejusmodi Vicarii constitutionem concernunt, adnotamus sub sequentibus paragraphis.

## § II.

### An Officialis metropolitanus possit aut debeat esse idem ac diœcesanus, et quid in forma eundem constituendi sit observandum.

1. Quod possit Archiepiscopus Vicario suo diœcesanam simul et metropolitanam jurisdictionem exercendam committere dubium non est.

2. Si Archiepiscopus aliquem deputet in Vicarium suum *generalem*, nihil determinando circa ipsius jurisdictionem, tali Vicario competet tota generaliter jurisdictio ordinaria Archiepiscopi; ac proinde non tantum jurisdictio ordinaria in diœcesim propriam, sed et in suffraganeas. Id enim infert secum Vicarii *generalis* denominatio relative ad eum a quo constituitur, nisi contrarium expresse dicatur.

3. Quid vero si Archiepiscopus, deputet unum generaliter ad jurisdictionem diœcesanam dumtaxat, alterum vero dumtaxat ad metropolitanam exercendam? An uterque verus et proprie dictus Vicarius generalis censendus erit, vel potius tanquam delegatus sit habendus? Ratio dubitandi est supra exposita doctrina de essentia vicariatus generalis, quæ exigit ut Vicarius generalis exercendam habeat, non aliquam

sed *universalem* (moraliter saltem loquendo) jurisdictionem illius a quo constituitur. In casu autem proposito, neutri ex duobus deputatis Vicariis videtur competere universalis Archiepiscopi jurisdictio : non Vicario diœcesano, siquidem nom haberet jurisdictionem metropolitanam : non metropolitano, cum careret diœcesana.

Non mihi occurrit apud auctores discussa hæcce difficultas. Unde et ab omni conclusione deducenda abstinebo. Id tantum adnotandum videtur, tutius saltem esse ut Archiepiscopus non constituat *limitate* ad metropolitanæ jurisdictionis exercitium eum a quo, tanquam Vicario generali, vult illam jurisdictionem exerceri; sed cum deputet indistincte quoad totam suam jurisdictionem; ne forte alioquin ejusmodi vicariatus generalis in quæstionem vocetur, et pro mera delegatione eum intelligi debere contendatur. Intentum autem suum facile obtinebit Archiepiscopus, si constituto absque dicta limitatione Vicario generali injungat, ut a cognoscendis causis diœcesanis abstineat, et metropolitanæ dumtaxat jurisdictioni exercendæ incumbat.

## § III.

### De officio Vicarii generalis Archiepiscopi quoad appellationes.

1° Certum omnino est dari a suffraganeis Episcopis ad metropolitanum tribunal appellationem; causasque appellationum posse et solere ab Archiepiscoporum Vicariis generalibus cognosci et expediri. Constat ex capite *Pastoralis, de Officio ordin.;* ex capitibus *Dilectus, Cum causa* et *Sollicitudinem,* tituli *de Appellationibus;* ex capite primo *de Foro competenti,* in 6; et ex capite *Romana, de Appellationibus,* in 6. « Quæ conclusio « (ait Pellegrini, parte 1, sect. 3, subsect. 1, n. 5) est adeo « vera, ut si Episcopus suffraganeus post appellationem, pro- « moveatur in Archiepiscopum, possit esse judex appellationis « a sententia quam ipse protulit, dum erat Episcopus. Conve-

« nit tamen ut ipse se abstineat illam causam cognoscere, et « alteri delegare. »

2° « Advertendum in hac materia appellationis, quod, de « jure novissimo sacri concilii Tridentini (in sess. 24, cap. 20, « *de Ref.*), in tribus casibus solum appellari potest a suffraganeis « ad Metropolitanum : *primo*, a definitiva quæ imponit ultimam « manum liti ; *secundo*, ab interlocutoria habente vim diffini- « tivæ ; *tertio*, a gravamine irreparabili, idest, quod per defi- « nitivam reparari non potest. (Concil. Trident., sess. 13, « cap. 1, *de Ref.*)

« Sed quæritur quid sit gravamen irreperabile ? Responde- « tur gravamen irreparabile dici omnem actum irretractabi- « lem, ut est excommunicatio, carceratio, et alia hujusmodi...

« 3° Ex supradictis, est valde notandum quod non omnis ap- « pellatio est admittenda a Vicario Archiepiscopi ; ne de facili « tollantur causæ suffraganeorum, et eorum tribunalia parvi « pendantur ; et ne suffraganei spernant inhibitiones : nam « cavetur in sacro concilio Tridentino (sess. 13, c. 1, et sess. 24, « c. 20, *de Ref.*) quod nec Episcopus nec Vicarius tenentur as- « sentiri quibuscumque inhibitionibus, et deferre cuicumque « appellationi, nisi in illis tribus casibus de quibus diximus. « Quod etiam disponitur per constitutiones pontificias et per « declarationes Sacræ Congregationis. » (Pellegrini, praxis Vicariorum, loco citato, n. 13 et seq.)

4° Diversa fit conditio Vicarii generalis Archiepiscopi, prout appellatur a sententia definitiva, vel dumtaxat a sententia interlocutoria aut gravamine. Nam in casu appellationis ab interlocutoria vel gravamine, non fit judex *causæ principalis*, nisi postquam pronuntiavit *bene fuisse appellatum*. E contra quando appellatum est a sententia definitiva, statim et ipso facto interjectæ appellationis constituitur causæ principalis judex, in qua causa principali jam nequit judex *a quo* sese immiscere. (Vide Pellegrinum, parte 1, sectio 3, subsectione 1, n. 20.)

5° Quando judex *a quo* ipse sponte detulit appellationi, nulla

inhibitione opus est ; quia tunc ipso facto ligantur judicis *a quo* manus.

Si vero judex a quo appellationi non deferat, potest et solet Vicarius generalis Archiepiscopi, appellationem a definitiva recipiens, vel ab interlocutoria aut gravamine bene appellatum fuisse pronuntians, *inhibitionem* facere dicto judici *a quo* ne ultra in causa procedat.

6° An possit Vicarius Archiepiscopi, prædictam inhibitionem facere *sub pœna excommunicationis?* Respondetur negative. « Ratio est quia Vicarius Archiepiscopi non potest ferre sententiam, vel exercere jurisdictionem, vel promulgare censuras « ecclesiasticas in suffraganeos, *existente in provincia Archi-* « *episcopo* (cap. 1, *de Officio ordin.*, in 6) : quod procedit propter « reverentiam dignitatis episcopalis. Sed intelligitur de sententia definitiva censurarum, et non quando Vicarius generalis Metropolitanus inhiberet sub pœna suspensionis seu « interdicti. » (Pellegrini, loco cit., n. 21.)

Hæc cursim adnotare voluimus, paucissima ex plurimis quæ ad præsentis capitis materiam pertinerent. Ne scilicet cætera, propriis sedibus, sive in hoc, sive in aliis tractatibus collocata, inutiliter repeterentur.

FINIS TOMI PRIMI.

# INDEX

## TOMI PRIMI

## JUXTA MATERIARUM ORDINEM.


Pag.

Totius tractatus distributio . . . . . 1

**PARS PRIMA**. De judiciis ecclesiasticis in genere . . . . . 5

*SECTIO I.* De judiciorum ecclesiasticorum natura, et quo jure regulentur . 6

CAPUT I. De judicii forensis natura et recta definitione . . . . . 6

CAP. II. Utrum judiciorum institutio juris naturalis sit, an vero dumtaxat positivi . . . . . 15

*Propositio* I$^{a}$. Ex jure naturali debet in omni societate completa judiciorum proprie dictorum institutio induci . . . . . 15

*Propositio* II$^{a}$. Institutio judiciorum non est de jure naturali, eo sensu quod omnia crimina coerceri et omnes omnino lites dirimi debeant per judicia proprie dicta. . . . . 16

*Propositio* III$^{a}$. Præter solemnitates, quæ substantiales dici solent, cæteræ ad jus humanum referendæ sunt . . . . . 17

CAP. III. Judicii in varias species divisio . . . . . 17

CAP. IV. An et quo sensu a Justinianeo etiam jure ecclesiastica judicia normam aliquatenus accipiant . . . . . 19

*SECTIO II.* Probatur Ecclesiæ competere judiciariam potestatem proprie dictam, id est, forum externum cum potestate coactiva . . . . . 23

CAP. I. Exponuntur præcipui circa judiciariam Ecclesiæ potestatem errores. 24

CAP. II. Determinatur sensus thesis, proprie dictam judiciariam potestatem Ecclesiæ vindicantis. . . . . 26

CAP. III. Deducuntur argumenta quæ probant Ecclesiæ competere forum externum seu contentiosum, cum vi aliqua coactiva . . . . . 29

§ I. Argumentum ex Scriptura sacra . . . . . 29

§ II. Argumentum ex perpetua traditione et Ecclesiæ praxi . . . . . 32

§ III. Argumentum ex variis hac de re definitionibus . . . . . 43

§ IV. Diluuntur nonnullæ objectiones . . . . . 48

CAP. IV. Potestas Ecclesiæ coercitiva intelligenda est etiam de pœnis temporalibus et corporalibus . . . . . 50

§ I. Argumentum ex Ecclesiæ praxi . . . . . 51

§ II. Argumentum ex conciliis œcumenicis . . . . . 59

Pag.

§ III. Argumentum ex doctrina Suaresii, quatenus sententiam communem doctorum scholæ exhibente . . . . . 61

§ IV. Argumentum ex Ecclesiæ definitionibus . . . . . 64

***SECTIO III.*** De judiciorum ecclesiasticorum materia seu objecto proprio . . 67

CAP. I. De principiis ex quibus determinari debet, quænam causæ ad forum ecclesiasticum pertineant, et quænam ad forum sæculare . . . . . 67

***Principium I.*** Ab omnibus admittendum est, eas causas ad forum ecclesiasticum pertinere, quas Ecclesia, sive per expressas definitiones, sive per sufficientem suam praxim, declaraverit jurisdictioni suæ subjacere. 68

***Principium II.*** Ad distinguendas proprias ecclesiastici et sæcularis fori causas, tuta regula sunt decreta pontificia et conciliorum, quæ hanc distinctionem clare enuntiant, et in generalem Ecclesiæ disciplinam seu legislationem transierunt . . . . . 70

***Principium III.*** Eæ causæ ad forum ecclesiasticum pertinere censendæ sunt, quas necesse est ecclesiastico judici, non autem sæculari, subjacere, ut Ecclesia finem sibi propriam, salutem nempe animarum, convenienter attingere possit . . . . . 71

***Principium IV*** Ad forum ecclesiasticum pertinere censendæ sunt eæ causæ, quas illi foro tanquam proprias adscribunt communiter doctores catholici . . . . . 72

CAP. II. De causis spiritualibus . . . . . 73

***Propositio*** I^a. Causæ spirituales ad forum ecclesiasticum exclusive et proprio jure pertinent . . . . . 73

***Propositio*** II^a. Ad forum ecclesiasticum pertinent spirituales causæ, etiamsi temporalis societatis interesse tangant . . . . . 76

***Propositio*** III^a. Quando dubium est utrum causa spiritualis sit, an vero temporalis, ad potestatem ecclesiasticam pertinet pronuntiare, et huic decisioni se submittere debet sæcularis potestas . . . . . 79

***Propositio*** IV^a. Potest laicus ex delegatione Summi Pontificis, non vero ex delegatione alius cujuscumque Prælati ecclesiastici, de causis spiritualibus cognoscere . . . . . 80

CAP. III. De causis matrimonialibus . . . . . 82

***Propositio*** I^a. Causæ omnes matrimoniales proprie dictæ, quoad matrimonia fidelium, ad forum ecclesiasticum exclusive pertinent . . . . . 82

***Propositio*** II^a. Causæ matrimoniales improprie dictæ, quæ nempe versantur circa res temporales et substantiæ matrimonii extrinsecas, ad forum sæculare jure proprio pertinent . . . . . 88

CAP. IV. De causis temporalibus clericorum . . . . . 89

CAP. V. De causis temporalibus quæ ad forum ecclesiasticum pertinent ratione negligentiæ sæcularis judicis . . . . . 90

***Propositio*** I^a. Si justitiam administrare negligat sæcularis potestas, causa (licet mere temporalis) ad forum ecclesiasticum legitime defertur. 90

***Propositio*** II^a. Ut causa temporalis ad forum ecclesiasticum de jure transeat, non sufficit negligentia judicis sæcularis inferioris, sed requiritur etiam negligentia judicis sæcularis superioris . . . . . 92

***Propositio*** III^a. Ad sæcularem potestatem non pertinet ecclesiastici judicis negligentiam supplere in causis ecclesiasticis . . . . . 93

Pag.

CAP. VI. An et quatenus causæ de publica juventutis educatione et instructione, tum religiosa, tum litteraria, tum scientifica, ad forum ecclesiasticum pertineant . . . . . 99

*Propositio* I^a. Per plura sæcula generalis fuit persuasio publicam juventutis educationem, ejusdemque instructionem, tum religiosam, tum etiam litterariam et scientificam, Ecclesiæ auctoritati subjacere. . . . 99

*Propositio* II^a. Tradendæ doctrinæ sacræ ratio omnino et exclusive ecclesiasticæ potestati subjacet . . . . . 103

*Propositio* III^a. Ergo nequit sæcularis potestas independenter ab Ecclesia, facultates sacras, aut universitates in quibus facultates sacræ comprehendantur, instituere aut regere . . . . . 106

*Propositio* IV^a. Clericorum id magnis et parvis seminariis institutionem ecclesiasticæ potestatis regimini subjacere certum est, atque omnino tenendum. . . . . 106

*Propositio* V^a. Sæcularium juvenum scholæ, quod religiosam institutionem Ecclesiæ regimini subjacere debent. . . . . 111

*Propositio* VI^a. Litteraria etiam ac scientifica juventutis institutio aliquatenus Ecclesiæ auctoritati subesse debet; quantum nempe satis est, ut in tuto sit religiosa ejusdem juventutis informatio . . . . . 112

*Propositio* VII^a. Ergo in scholis etiam sæcularium juvenum, non debent magistri, libri, et tradendarum disciplinarum ratio, independenter a potestate ecclesiastica, eligi constitui et ordinari. . . . . 114

CAP. VII. De causis juris patronatus. . . . . 115

CAP. VIII. De causis foro sæculari propriis . . . . . 116

CAP. IX. De causis mixti fori . . . . . 117

***SECTIO IV.*** De variis personis in judicio intervenire solitis . . . . . 120

CAP. I. De judice . . . . . 120

§ I. Judicum ecclesiasticorum variæ species . . . . . 121

§ II. De requisitis præter competentiam ut judex valide judicare possit . . . 124

*Regula* 1^a. Ut judex causam valide judicet, debet esse competens. . . 124

*Regula* 2^a. Non potest quis esse judex vel assessor in causa, in qua prius advocatum egit . . . . . 124

*Regula* 3^a. Valide pronuntiare nequit judex, qui consimilem ipse causam tanquam actor vel reus habet. . . . . 126

*Regula* 4^a. Nullus regulariter in propria causa judex esse potest . . . 127

*Regula* 5^a. Dantur ad prædictam regulam exceptiones quædam. . . . . 127

*Regula* 6^a. Judex, licet aliunde competens, non potest judicare, quando recusatur tanquam suspectus, nisi suspicio sit frivola : ad ipsum vero pertinet judicare utrum frivola sit necne . . . . . 131

§ III. De judice qui existimatur competens, licet revera jurisdictione careat . 131

*Propositio* I^a. Acta et sententiæ pronuntiatæ a judice qui revera judex non est, si communi populi erroretalis existimetur, sunt valida . . . . . 131

*Propositio* II^a. Si error non sit communis, sed paucorum tantum, nullitate laborant acta et sententiæ prædicti judicis. . . . . 133

*Propositio* III^a. Utrum in judice existimato necessarius sit titulus coloratus, ut ejus gesta sint valida, legitime controverti potest . . . . . 134

§ IV. De generalibus quibusdam judicialis officii obligationibus . . . . . 135

Pag.
I. De requisita in judice scientia. . . . . 135
II. De vitandis delationibus non necessariis. . . . . 136
III. De non recipiendis muneribus aut honorariis a litigantibus . . . . . 136
IV. De obligatione judicandi juxta probabiliorem sententiam : et quid, remanente pro utraque parte æquali probabilitate? . . . . . 138
V. De obligatione judicandi juxta allegata. . . . . 140
§ V. De judice delegato . . . . . 142
I. Quid sint et quotuplicis speciei delegati judices. . . . . 143
II. Quinam Ordinarii possint delegare, et quinam delegati subdelegare . 144
III. Qualitates requisitæ ut possit quis delegari vel subdelegari. . . . . 147
IV. Quomodo procedere possint vel debeant delegati, quando plures ad eamdem causam judicandam deputati sunt. . . . . 149
V. De officio delegati judicis . . . . . 152
VI. De ipsius potestate . . . . . 155
VII. Quomodo cesset judicis delegati jurisdictio. . . . . 159
§ VI. De judicibus conservatoribus . . . . . 164
CAP. II. De Actore et Reo : ubi disseritur quoad habilitatem ad agendum vel respondendum in judicio. . . . . 168
I De infantibus, amantibus, surdis-mutis . . . . . 168
II. De pupillis. . . . . 169
III. De minoribus 25 annis. . . . . 169
IV. De impube seu minore annis 14 . . . . . 171
V. De fœminis . . . . . 172
VI. De excommunicatis . . . . . 173
VII. De religiosis . . . . . 176
VIII. De Ecclesiis, monasteriis, et eorum Prælatis. . . . . 177
IX. De conventu seu domo religiosorum cui præest superior, qui nec est Abbas, nec superior generalis totius ordinis . . . . . 180
X. De abbatissis et aliis quæ præsunt monialium conventibus, quoad causas suorum monasteriorum. . . . . 180
XI. De parocho quoad causas parochiæ . . . . . 181
XII. De Prælato superiore Ecclesiæ, quæ rectorem seu administratorem inferiorem habet, quoad causas ejusdem Ecclesiæ . . . . . 181
XIII. Quando Prælatus in causa propria capituli, vel capitulum in causa propria Prælati, admittatur ad agendum et respondendum in judicio . 182
XIV. Utrum quis ad agendum in judicio compelli possit . . . . . 182
XV. Utrum Actori et Reo liberum sit stare in judicio per procuratorem. . 183
XVI. Quæ ad factum pertinent, non per advocatos, sed per ipsas personas principales regulariter proponi debent. . . . . 186
CAP. III. De procuratoribus . . . . . 187
§ I. Procuratorum definitio et variæ species . . . . . 188
§ II. Quinam sibi procuratorem constituere possint. . . . . 190
§ III. Quinam possint constitui procuratores. . . . . 191
§ IV. Utrum clerici possint esse procuratores et advocati, sive coram ecclesiastico, sive coram sæculari etiam judice . . . . . 193
I. Colliguntur textus quibus illustrari posse quæstionem videtur. . . . . 193
II. Quinam textus vim legis seu juris communis quoad præsentem quæstio-

Pag.
nem habeant. . . . . 198
III. Clerici sæculares in minoribus constituti, an et in quo foro possint esse procuratores et advocati . . . . . 199
IV. An et in quo foro subdiaconi, diaconi et presbyteri possint esse procuratores et advocati. . . . . 202
V. In curia Romana possunt, ex indulgentia Sedis Apostolicæ, clerici et sacerdotes publicum advocatiæ munus exercere. . . . . 207
§ V. Utrum religiosi procuratores et advocati esse possint . . . . . 209
§ VI. Quibus in causis constitui possit procurator . . . . . 211
§ VII. De modo constituendi procuratorem et de procuratorio mandato. . . 215
§ VIII. De potestate procuratoris, et de actuum ipsius effectibus. . . . . 216
§ IX. Quotuplici modo cesset procuratoris officium et potestas. . . . . 222
§ X De procuratoribus communitatum, qui et syndici vocantur. . . . . 224
CAP. IV. De advocatis. . . . . 228
§ I. Quid sint advocati et quænam advocatorum species. . . . . 228
§ II. Quid fuerint olim advocati seu defensores Ecclesiarum . . . . . 230
§ III. Quid sint advocati in curia Romana. . . . . 232
§ IV. Quinam possint advocati officium exercere. . . . . 233
§ V. De advocatorum officio. . . . . 238
CAP. V. De auditoribus, assessoribus, fiscali promotore et advocato, notariis, actuariis, cursoribus, necnon testibus, *remissive*. . . . . 241
***SECTIO V.*** De foro competenti. . . . . 242
CAP. I. Quid sit forus et quotuplex. . . . . 243
CAP. II. Determinatur sensus quæstionis hujus : ***Utrum quis sit judex competens.*** . . . . . 245
CAP. III. Quomodo dignosci possit utrum quis competentiam habeat, vi extraordinariæ jurisdictionis . . . . . 246
I. De jurisdictione acquisita per delegationem. . . . . 247
II. De jurisdictione acquisita per prorogationem. . . . . 248
III. De jurisdictione quæ ex compromissione vel arbitrorum juridica deputatione oritur. . . . . 257
IV. De jurisdictione seu competentia ex reconventione, causæ connexione, et privilegio exorta . . . . . 262
CAP. IV. Quomodo dignosci queat utrum quis competens sit, vi ordinariæ jurisdictionis . . . . . 264
Art. I. Quomodo dignosci queat utrum Ordinarius *non-territorialis* competens sit in aliqua causa. . . . . 265
Art. II. Quomodo dignosci queat an quis *territorialis* judex in aliqua causa sit competens . . . . . 266
§ I. De competentia judicum territorialium ratione domicilii. . . . . 266
§ II. De competentia judicum territorialium ratione contractus . . . . . 284
§ III. De competentia judicum territorialium ratione rei sitæ. . . . . 290
§ IV. De competentia judicum territorialium ratione delicti . . . . . 294
***SECTIO VI.*** De probationibus judicialibus . . . . . 302
CAP. I. De probationibus in genere. . . . . 302
*Quæstio* 1ª. Quid sit probatio. . . . . 302
*Quæstio* 2ª. Quotuplex distinguatur. . . . . 303

Pag.
*Quæstio* 3ª. Quænam sint præcipuæ species probationis plenæ . . . . . 303
*Quæstio* 4ª. Quinam sint præcipui plenæ probationis effectus. . . . . 303
*Quæstio* 5ª. Quænam sint præcipuæ species semiplenæ probationis. . . . 304
*Quæstio* 6ª. Quinam sint semiplenæ approbationis effectus præcipui. . . 304
*Quæstio* 7ª. An et quando duæ semiplenæ probationes efficiant unam plenam . . . . . 305
*Quæstio* 8ª. Cuinam incumbat rem in judicio assertam probandi onus . 305
*Quæstio* 9ª. Cuinam incumbat probare rem in judicio negatam. . . . . 306
CAP. II. De testibus . . . . . 309
*Quæstio* 1ª. Quinam ad ferendum in judicio testimonium apti sint . . . 309
*Quæstio* 2ª. Quot requirantur testes ad probandum. . . . . 311
*Quæstio* 3ª. Quomodo recipi debeant testes parte adversa citata, et quomodo juramentum ab eis emittendum sit. . . . . 311
*Quæstio* 4ª. An et quid probent testes singulares . . . . . 314
*Quæstio* 5ª. Quam vim probandi habeant testes sibi ipsis contrarii . . . 316
*Quæstio* 6ª. Quotuplicis generis exceptiones contra testes opponi valeant, et quid agere debeat judex quando opponuntur. . . . . 317
*Quæstio* 7ª. Quæ sit norma tenenda quoad reprobationem testium. . . . 318
CAP. III. De instrumentis. . . . . 320
*Quæstio* 1ª. Quid sit instrumentum et quotuplex . . . . . 320
*Quæstio* 2ª. Quid in instrumento publico requiratur ex parte conficientis et ex parte formæ. . . . . 320
*Quæstio* 3ª. Quantum probent instrumenta publica . . . . . 321
*Quæstio* 4ª. Quantum probent instrumenta privata. . . . . 322
*Quæstio* 5ª. Quomodo impugnari possint instrumenta. . . . . 323
*Quæstio* 6ª. Quotuplici modo probari possit instrumenti falsitas. . . . . 324
CAP IV. De præsumptionibus. . . . . 325
*Quæstio* 1ª. Quid et quotuplex sit præsumptio. . . . . 325
*Quæstio* 2ª. Quinam sint effectus præsumptionis, tum juris, tum juris et de jure. . . . . 327
*Quæstio* 3ª. An in causa criminali ex nudis præsumptionibus sententia ferri et reus condemnari possit . . . . . 328
*Quæstio* 4ª. Quænam tradi soleant præsumptionum regulæ. . . . . 330
CAP. V. De jurejurando . . . . . 332
*Quæstio* 1ª. Quid et quotuplex sit juramentum . . . . . 332
*Quæstio* 2ª. Quæ sit norma juramenti extra-judicialis . . . . . 333
*Quæstio* 3ª. Quæ sit norma juramenti judicialis voluntarii. . . . . 334
*Quæstio* 4ª. Quæ sit norma juramenti judicialis necessarii . . . . . 335
*Quæstio* 5ª. In quibus causis deferri a judice possit juramentum . . . . 336
*Quæstio* 6ª. Quisnam sit effectus juramenti a judice delati. . . . . 337
*Quæstio* 7ª. Quænam sit norma juramenti in litem. . . . . 338
Prioris tractatus partis conclusio . . . . . 339

---

**PARS SECUNDA.** De judiciis ecclesiasticis in specie. . . . . 341
*SECTIO I.* De curia romana (remissive ad tractatum specialem de hac materia mox edendum). . . . . 341

Pag.

*SECTIO II.* De curia episcopali recte intelligenda et ordinanda . . . . . 342

CAPUT I. De variis episcopalium curiarum formis ab exordio Ecclesiæ usque nunc synopsis historica. . . . . 342

CAP. II. De recta notione vicariatus generalis Episcopi, seu officialitatis . . 349

§ I. De essentia et definitione vicariatus generalis Episcopi . . . . . 350

*Propositio* I^a. De essentia vicariatus Episcopi est aliqua potestas ecclesiastica . . . . . 350

*Propositio* II^a. Potestas Vicario Episcopi competens est essentialiter et tota quanta ministerialis . . . . . 350

*Propositio* III^a. Vicario generali Episcopi essentialiter non competit ut valeat vices Episcopi agere in exercenda Ordinis episcopalis potestate . . 351

*Propositio* IV^a. De essentia vicariatus generalis est potestas exercendi aliquam jurisdictionem Episcopi propriam. . . . . 351

*Propositio* V^a. Vicarii generalis jurisdictio est essentialiter aliquo sensu *universalis* quoad territorium seu personas, et quoad causas . . . . 352

*Propositis* VI^a. Vicariatui generali essentialis non est universalitas jurisditionis stricte sumpta, sed dumtaxat moraliter sumpta. . . . . 353

*Propositio* VII^a. Ut quis sit Vicarius generalis Episcopi essentialiter requiritur ut sit Vicarius in spiritualibus, non autem in temporalibus . . 353

*Propositio* VIII^a. Est de essentia vicariatus generalis Episcopi, ut actus a Vicario generali gestos Episcopus faciat suos ; idest, ut ii actus eodem modo in jure valeant ac si essent ab ipso Episcopo gesti . . . . . 356

*Propositio* IX^a. Vicarius generalis Episcopi recte definiri potest : legitimo deputatus ad exercendam generaliter jurisdictionem episcopalem vice Episcopi, et ita ut actus ejus ab Episcopo gesti censeantur. . . . . 358

§ II. Evolvitur notio de natura vicariatus generalis Episcopi . . . . . 359

*Quæstio* 1^a. Num Vicarius generalis Episcopi jurisdictionem habeat a lege, an vero ab Episcopo? . . . . . 359

*Quæstio* 2^a. Utrum Vicarius generalis Episcopi Ordinariam habeat jurisdictionem, an vero delegatam ? . . . . . 361

*Quæstio* 3^a. An valeat Episcopus Vicarii sui generalis jurisdictionem pro arbitrio restringere . . . . . 369

*Quæstio* 4^a. Utrum revocabilitas sit de essentia vicariatus generalis ? . . 370

*Quæstio* 5^a. Quomodo Vicarius generalis differat ab antiquo Archidiacono. . . . . 371

*Quæstio* 6^a. Quomodo Vicarius generalis differat a delegato et a vicario foraneo? . . . . . 372

*Quæstio* 7^a. Quomodo intelligendum sit non dari appellationem a sententia Vicarii generalis ad Episcopum ? . . . . . 372

*Quæstia* 8^a. An Episcopus possit concedere restitutionem in integrum contra sententiam Vicarii sui generalis : et an Vicarius idem possit, tum contra suam, tum contra Episcopi sententiam ? . . . . . 374

*Quæstio* 9^a. An a sententia Vicarii generalis possit, sin minus appellari, at saltem supplicari ad Episcopum. . . . . 375

*Quæstio* 10^a. An Episcopus causam pendentem coram Vicario suo ad se revocare possit, aut etiam ei inhibere ne judicet in certa causa. . . . 378

*Quæstio* 11^a. Num appellari possit a delegato Episcopi ad Vicarium

Pag.
generalem ? . . . . . 378
*Quæstio* 12ª. Num Vicarius generalis, Episcopo suspenso vel interdicto, vel excommunicato, jurisdictionem exercere possit ? . . . . . 379
*Quæstio* 13ª. An recusari possit Vicarius generalis tanquam suspectus, ex eo quod adsit ratio legitima recusandi Episcopum tanquam suspectum ? . . . . . 379
*Quæstio* 14ª. Num recusari possit Episcopus, ex eo quod adsit ratio legitima recusandi ejus Vicarium generalem tanquam suspectum. . . . . 380
*Quæstio* 15ª. Quando Episcopus plures constituit Vicarios generales, an unusquisque habeat jurisdictionem in solidum, et possit sine aliis eam exercere ? . . . . . 380
§ III. De vicariatus generalis et officialitatis essentiali identitate. . . . . 381
*Propositio* Iª. De jure communi, Vicarii generalis et officialis nomina synonyma sunt, et idem omnino officium exprimunt . . . . . 381
*Propositio* IIª. Non potest facere Episcopus, ut qui voluntariam dumtaxat jurisdictionem valet exercere sit verus Vicarius generalis in sensu juris. . . . . 383
*Propositio* IIIª. Non potest facere Episcopus, ut qui contentiosam dumtaxat jurisdictionem valet exercere, sit verus officialis in sensu juris. . 383
*Propositio* IVª. Potest Episcopus officialem, seu (quod idem est) Vicarium suum generalem, sub pœna revocationis, non autem sub pœna nullitatis actuum, cogere, ut vel contensiosam tantum, vel voluntariam tantum jurisdictionem exerceat. . . . . 384
*Propositio* Vª. Discrimen officialem inter et Vicarium generalem, in iis regionibus in quibus duo hæc officia distinguuntur, non provenit ex diversa eorum jurisdictione, sed ex præcepto Episcopi, ut unus voluntariam, alter contentiosam dumtaxat jurisdictionem exerceat . . . . . 384
*Propositio* VIª. In formula deputationis Vicarii generalis vel officialis, debet expresse vel æquivalenter dici eum deputari ad exercendam *generaliter* jurisdictionem Episcopi . . . . . 387
CAP. III. De constituendo Vicario generali. . . . . 387
§ I. Quis valeat Vicarius generalis constitui, seu de requisitis ad ejusmodi officium qualitatibus . . . . . 388
*Quæstio* 1ª. An et quatenus requiratur ut sit clericus. . . . . 388
*Quæstio* 2ª. Quænam in Vicario generali requiratur ætas. . . . . 389
*Quæstio* 3ª. An possit esse Vicarius generalis qui ortus non est ex matrimonio legitimo. . . . . 389
*Quæstio* 4ª. Utrum Vicarius generalis debeat esse doctor, et in qua facultate . . . . . 390
*Quæstio* 5ª. An religiosi possint esse Vicarii generales Episcopi. . . . 391
*Quæstio* 6ª. An parochus possit esse simul Vicarius generalis. . . . . 394
*Quæstio* 7ª. An Episcopus esse possit alterius Episcopi generalis Vicarius . . . . . 395
*Quæstio* 8ª. An Vicarius generalis esse possit nepos Episcopi vel ejus frater. . . . . 395
*Quæstio* 9ª. An originarius diœcesis vel civitatis possit esse Vicarius generalis . . . . . 396

Pag.

§ II. A quo possit Vicarius generalis constitui . . . . . 400

*Quæstio* 1ª. An quilibet in sua diœcesi Episcopus possit Vicarium generalem constituere. . . . . 400

*Quæstio* 2ª. An Episcopus Vicarium generalem constituere possit absque consensu et consilio capituli. . . . . 400

*Quæstio* 3ª. An Vicarium generalem sibi constituere possit administrator diœcesis viduæ, et an administrator diœcesis quæ vivum habet proprium Episcopum. . . . . 402

*Quæstio* 4ª. An Papa soleat quandoque Vicarium generalem Episcopi constituere . . . . . 402

*Quæstio* 5ª. An Episcopus Vicarium generalem constituere possit ante adeptam possessionem, vel ante consecrationem. . . . . 403

*Quæstio* 6ª. An Metropolitanus quandoque possit Vicarium generalem suffraganei constituere? . . . . . 404

§ III. An necessario in unaquaque diœcesi constituendus ab Episcopo sit Vicarius generalis. . . . . 406

§ IV. Quotuplex constitui possit aut debeat Vicarius generalis? . . . . . 410

*Quæstio* 1ª. An possit Episcopus plures Vicarios generales in una diœcesi constituere?. . . . . 410

*Quæstio* 2ª. An duabus diœcesibus principaliter unitis teneatur Episcopus duos Vicarios generales constituere? . . . . . 411

§ V. Qua forma constituendus sit Vicarius generalis? . . . . . 412

CAP. IV. De Vicarii generalis potestate. . . . . 413

§ I. Tanquam regula generalis admittendum est, posse Vicarium generalem quidquid potest Episcopus, exceptis quæ jus excepta voluit, vel quæ Episcopus sibi expresse reservavit . . . . . 413

§ II. Enumeratio eorum quæ jus noluit a Vicario generali exerceri posse absque speciali mandato Episcopi. . . . . 415

§ III. Quænam concessionis formula sufficiens sit ut Vicario generali revera competant ea quæ speciali mandato Episcopi indigent. . . . . 418

§ IV. Quando ex mandato speciali Episcopi Vicarius generalis habet in specialia jurisdictionem, an in eis censendus sit delegatus, ita ut detur ab eo ad Episcopum appellatio? . . . . . 420

§ V. Enumeratio eorum quæ nequit Vicarius generalis explere, etiamsi accederet commissio specialis Episcopi . . . . . 421

§ VI. Indicantur, ex materiis ad quas sese extendit Vicarii generalis Ordinaria jurisdictio, eæ quæ magis scitu utiles sunt, vel quæ difficultatem facere possent. . . . . 423

*Quæstio* 1ª. Num Vicarius generalis Episcopi eamdem potestatem habeat cum capitulo, vel capitulari Vicario sede vacante?. . . . . 424

*Quæstio* 2ª. An Vicario generali competat ut sibi credatur, dum affirmat se fuisse deputatum in Vicarium generalem, vel se ex hac generali deputatione jurisdictionem habere in certam materiam, vel se habuisse mandatum speciale ab Episcopo: an vero id probare teneatur? . . . . . 424

*Quæstio* 3ª. Num Vicarius generalis Episcopi jus habeat cumulative concurrendi in administratione Sacramentorum et prædicatione Verbi Dei cum omnibus curatis totius diœcesis? . . . . . 425

Pag.

*Quæstio* 4ª. Num absente Episcopo possit Vicarius generalis absque speciali mandato dispensare in interstitiis Ordinum? . . . . . 425

*Quæstio* 5ª. Num possit Vicarius generalis absque speciali mandato absolvere ab excommunicatione quam ipse tulit : et an ab excommunicatione canonis? . . . . . 425

*Quæstio* 6ª. An absque speciali mandato possit absolvere excommunicatos ab Episcopo vel ejus delegato? . . . . . 425

*Quæstio* 7ª. An sine speciali mandato possit Sacerdotibus concedere facultatem absolvendi ab omnibus casibus non reservatis Papæ vel Episcopo . 426

*Quæstio* 8ª. Num sine speciali mandato possit approbare confessarios? 426

*Quæstio* 9ª. Et an juramento absolvere? . . . . . 426

*Quæstio* 10ª. Et an punire excessus officialium sibi vel Episcopo servientium, verbi gratia, actuarii, cursorum curiæ, et similium?. . . . . 426

*Quæstio* 11ª. Et an exercere ea quæ conceduntur Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato? Et an vice versa possit Episcopus cognoscere causam Vicario suo a Papa delegatam?. . . . . 426

*Quæstio* 12ª. Et an corrigere excessus religiosorum exemptorum, extra claustra degentium?. . . . . 428

*Quæstio* 13ª. Et an excommunicare?. . . . . 428

*Quæstio* 14ª. Et an suspendere et interdicere? . . . . . 429

*Quæstio* 15ª. Et an clericos concubinarios ab administratione beneficiorum suspendere?. . . . . 429

*Quæstio* 16ª. Et an notarios seu actuarios ab officio ob imperitiam suspendere?. . . . . 429

*Quæstio* 17ª. Et an gratiam facere, idest, pœnam remittere? . . . 430

*Quæstio* 18ª. Quando inceptus est processus criminalis contra aliquem, an possit Vicarius generalis absque speciali mandato, quin causa ad exitum perducatur et sententia definitiva pronuntietur, talem absolvere, idest, liberum dimittere? . . . . . 430

*Quæstio* 19ª. Et an pœnam in leviorem mutare; et in specie, an pœnas corporales vel pœnam depositionis mutare in pecuniariam? . . . . . 430

*Quæstio* 20ª. Et an causas matrimoniales cognoscere et judicare? . . . 431

*Quæstio* 21ª. Et an valide matrimoniis assistere?. . . . . 432

*Quæstio* 22ª. Et an visitare monasteria, hospitalia, aliaque loca pia; item Ecclesias exemptas, vel nullius diœcesis? . . . . . 432

*Quæstio* 23ª. Et an circa concursum pro parochialibus Ecclesiis vacantibus, id facere quod potest Episcopus? . . . . . 434

*Quæstio* 24ª. Et an confirmare statuta capituli, nec non loco Episcopi consensum præstare statutis capitularibus?. . . . . 434

*Quæstio* 25ª. An consentire ut clerici litigent apud aliud tribunal ecclesiasticum quam suum? . . . . . 435

*Quæstio* 26ª. An claustra monialium ingrediendi licentiam concedere? . 435

*Quæstio* 27ª. An recepta regula, non posse Vicarium generalem causas criminales absque speciali mandato cognoscere, aliquas exceptiones patiatur?. . . . . 435

*Quæstio* 28ª. An possit Vicarius generalis cognoscere causas civiles fori ecclesiastici?. . . . . 436

Pag.

*Quæstio* 29ª. Et an cognoscere de validitate dispensationis factæ ab Episcopo? . . . . . 436

*Quæstio* 30ª. Et an cognoscere de obreptione vel subreptione dispensationis aut gratiæ pontificiæ? . . . . . 436

*Quæstio* 31ª. Quomodo intelligendum sit, non posse Vicarium generalem, absque speciali facultate Episcopi, sibi dare substitutum? . . . . 436

*Quæstio* 32ª. An possit Vicarius generalis, absque speciali mandato, sibi constituere delegatum? . . . . . 437

*Quæstio* 33ª. Quandonam substitutus Vicarii generalis vocetur *vices-gerens* et quandonam *locum-tenens* : et an ab ipso ad Vicarium generalem detur appellatio? . . . . . 437

*Quæstio* 34ª. An et quomodo cesset jurisdictio substituti, quando excommunicatur Vicarius generalis? . . . . . 437

*Quæstio* 35ª. An possit Vicarius generalis, absque speciali mandato 1° cogere parochos ut sibi adjungant cooperatores ; 2° parochis imperitis assignare Vicarios seu coadjutores ; 3° constituere œconomum in beneficio vacante? . . . . . 438

*Quæstio* 36ª. An possit absque speciali mandato conferre beneficia spectantia ad collationem Episcopi? . . . . . 439

*Quæstio* 37ª. An parochiam conferre electo in concursu tanquam magis idoneo? . . . . . 439

CAP. V. De vicariatus generalis præcellentia . . . . . 440

CAP. VI. De vicariatus generalis expiratione . . . . . 442

*Quæstio* 1ª. Quotuplici modo expiret Vicarii generalis jurisdictio . . . . 442

*Quæstio* 2ª. An Vicarius generalis possit absque causa revocari? . . . 443

*Quæstio* 3ª. An valeant gesta a Vicario generali post mortem Episcopi, sed dum mors illa adhuc communiter ignoraretur? . . . . . 444

*Quæstio* 4ª. An valeant gesta per Vicarium generalem jam revocatum, sed antequam revocatio ei intimata fuerit? . . . . . 444

*Quæstio* 5ª. An expiret jurisdictio Vicarii generalis per revocationem aut mortem delegantis, quoad causas ipsi delegatas sive ab Episcopo, sive a Sede Apostolica. . . . . 444

CAP. VII. De Vicarii generalis sustentatione? . . . . . 444

CAP. VIII. Quomodo Episcopus ex actis Vicarii sui generalis teneatur? . . . 445

*Quæstio* 1ª. An Episcopus teneatur ex actis et delictis, a Vicario suo, tanquam privata persona, extra vicariale officium gestis? . . . . . 445

*Quæstio* 2ª. An possit Episcopus rescindere definitivam Vicarii sui generalis sententiam, anticanonice prolatam, seu ipso jure nullam? . . . . 446

*Quæstio* 3ª. An Episcopus possit rescindere aut corrigere sententiam definitivam, a Vicario suo injuste (non tamen nulliter) prolatam? . . . . 446

*Quæstio* 4ª. An et quomodo Episcopus teneatur ex actis jurisdictionalibus Vicarii sui, extra-judicialiter gestis? . . . . . 447

*Quæstio* 5ª. An Episcopo imputanda sint delicta Vicarii generalis, anticanonice et injuste administrantis? . . . . . 448

*Quæstio* 6ª. An Episcopus teneatur resarcire damna, ex injustis Vicarii generalis actibus orta? . . . . . 448

CAP. IX. An Vicarius generalis quoad delicta in officio suo commissa puniri

Pag.

possit ab Episcopo; et numquid subjacent syndicatui? . . . . . 448
§ I. Exponitur ea de re communis doctorum sententia . . . . . 448
§ II. Quibus difficultatibus obnoxia videatur sententia hæc . . . . . 451
§ III. Quid tenendum videtur . . . . . 453
§ IV. Num qui dicuntur esse Vicarius generalis syndicatui subjacent? . . . 454
CAP. IX. De Vicariis foraneis . . . . . 455
§ I. De eorum origine . . . . . 455
§ II. Quid peragere sit Vicarius foraneus, et quousque ejus jurisdictio . . . 456
CAP. XI. De auditoribus episcopalium curiarum . . . . . 459
*Quæstio* 1ª. Quid sint? . . . . . 459
*Quæstio* 2ª. An necessarii vel saltem expediat constitui auditorem in aliqua episcopali curia? . . . . . 460
*Quæstio* 3ª. Quid observandum in mandato quo auditor episcopalis curiæ constituitur . . . . . 461
*Quæstio* 4ª. An ab auditore detur appellatio? . . . . . 461
*Quæstio* 5ª. An in auditorem ecclesiasticæ curiæ deputari possit laicus, vel clericus uxoratus? . . . . . 462
CAP. XII. De Episcopalium curiarum assessoribus . . . . . 466
*Quæstio* 1ª. Quid sint? . . . . . 466
*Quæstio* 2ª. An assessor jurisdictionem habeat . . . . . 467
*Quæstio* 3ª. An possit Episcopus Vicario suo generali assessores assignare, ea lege ut eorum consilium sequi teneatur. . . . . 467
*Quæstio* 4ª. A quo assumi seu constitui possit assessor? . . . . . 468
*Quæstio* 5ª. An assessores curiæ episcopali possint esse laici? . . . . 468
*Quæstio* 6ª. An assessor recusari possit tanquam suspectus? . . . . . 468
CAP. XIII. De forma collegiali tribunalis Episcopi seu an possit Episcopus tribunal suum pluribus judicibus componere? . . . . . 469
CAP. XIV. De promotore et advocato fiscali . . . . . 470
§ I. Quid sit promotor fiscalis? . . . . . 471
§ II. A quo et quomodo sit constituendus? . . . . . 472
§ III. De promotoris fiscalis officio et prærogativis . . . . . 473
§ IV. An necessario in episcopali curia constitui debeat promotor fiscalis? . 478
§ V. An et in aliis præter episcopalem curias ecclesiasticis promotor fiscalis sit constituendus? . . . . . 476
§ VI. Quid sint advocati fiscales episcopalis curiæ? . . . . . 476
CAP. XV. De notariis et cancellariis. . . . . 477
§ I. Quid sint notarii et unde orta eorum institutio? . . . . . 477
§ II. Notariorum variæ species . . . . . 480
§ III. An actuarii et cancellarii idem sint ac notarii? . . . . . 480
§ IV. Utrum clericis et religiosis licitum sit notarii officium exercere . . . 482
*Propositio* 1ª. Certum est extare in jure canonico regulam generalem, qua clerici in sacris constituti ab exercendo notariatus officio prohibentur. 482
*Propositio* IIª. Præfata lex canonica probabilius attingit dictos clericos, etiam quando beneficio careant. . . . . 483
*Propositio* IIIª. Notariatus officium etiam clericis minorum ordinum, et etiam dum beneficio carent, probabilius est prohibitum . . . . . 484
*Propositio* IVª. Religiosos insuper notariatus officium regulariter prohibi

Pag.

tum est . . . . . 486

*Propositio* Vª. A generali lege qua clericis et religiosis interdicitur notariatus officium excipiendæ sunt causæ fidei . . . . . 487

*Propositio* VIª. A generali lege qua clericis interdicitur notariatus officium, excipiendi sunt ii clerici qui a Sede Apostolica notarii creati sunt . . 487

*Propositio* VIIª. Attento jure communi scripto, prohibitio generalis qua clericis interdicitur notariatus officium, intelligenda esset etiam quoad curiam ecclesiasticam et causas ecclesiasticas . . . . . 487

*Propositio* VIIIª. Quidquid sit de jure scripto seu de citatis decretalibus, ex hodierna saltem generali consuetudine, quæ cæteroquin constanter ab antiquitate viguisse videtur, licitum est clericis, etiam majorum ordinum, notarii, seu actuarii cancellariive officium exercere pro actibus auctoritatis ecclesiasticæ . . . . . 488

*Propositio* IXª. Utrum magis expediat cancellarium pro negotiis et curia magistratus ecclesiastici esse clericum, non videtur, posse regula generali determinari . . . . . 493

*Propositio* Xª. Clericis minorum ordinum ticere in curiis sæcularibus notariatus exercitium, certum non est . . . . . 494

*Propositio* XIª. Causa cur sacri canones notariatus officium, apud curias præsertim sæculares, clericis interdictum voluerint, non videtur fuisse illius officii ignobilitas, nec quod præ se ferat speciem quamdam negotiationis . . . . . 494

*Propositio* XIIª. Quando notarius laicus fit clericus, si pergat instrumenta conficere antequam id ei publice ab Episcopo suo prohibeatur, valida erunt ejusmodi instrumenta, quamvis illicite confecta : si vero fiat religiosus, instrumentum absque licentia superioris sui factum, ipso jure irritum erit . . . . . 495

§ V. A quo creari possint notarii . . . . . 497

§ VI. Utrum notarii, tum laici, tum a sæculari potestate creati, possint in causis ecclesiasticis et spiritualibus officium suum valide exercere . . 500

*Propositio* Iª. Certum est laicos posse in causis etiam spiritualibus esse notarios, seu cancellarios actuariosve . . . . . 501

*Propositio* IIª. In rigore juris, et abstrahendo a recepta generaliter consuetudine, probabiliter notarius a sola potestate sæculari creatus non posset esse notarius in causis et negotiis ecclesiasticis . . . . . 502

*Propositio* IIIª. Notarius a potestate sæculari creatus, ob receptam saltem consuetudinem, aptus regulariter videtur ut et in foro ecclesiastico notariatum exerceat, quamdiu ab Episcopo prohibitus non est . . . . . 503

*Propositio* IVª. Non videtur hodie in Gallia aptos esse notarios a sola potestate sæculari creatos, ad valide conficienda instrumenta ecclesiastica . . . . . 505

§ VII. Ubinam a notario instrumenta valide confici possint, et valide confecta ubinam fidem faciant . . . . . 505

*Propositio* Iª. Notarius quilibet instrumenta valide non conficit, nisi intra territorium illius magistratus a quo notarius creatus est . . . . . 506

*Propositio* IIª. Conficit tamen valide instrumenta extra territorium suum, 1º si ita ferat alicubi consuetudo, 2º si consentiat princeps loci; 3º si,

Pag.

licet existens extra territorium suum, instrumenta conficiat pro ejusdem territorii sui subditis, in id consentientibus. . . . . 506

*Propositio* III^a. Notarius intra territorium suum valide conficit instrumenta etiam pro extraneis. . . . . 507

*Propositio* IV^a. Notarii a Papa sine restrictione locorum creati, regulariter ubique terrarum instrumenta valide conficiunt quoad forum ecclesiasticum. . . . . 507

*Propositio* V^a. Instrumentum a notario alicubi valide confectum, ubique plenam fidem facit . . . . . 507

§ VIII. De requisitis in notario qualitatibus. . . . . 508

§ IX. Tenetur judex ecclesiasticus notarium seu cancellarium adhibere, tum in judicio ordinario, tum in summario. . . . . 509

§ X. De solemnitate juramenti in creandis notariis adhiberi solita . . . . . 510

§ XI. De officio seu obligationibus notarii . . . . . 511

CAP. XVI. De procuratore et advocato pauperum, de depositario mensæ episcopalis, de depositario pœnarum, necnon de baroncello. . . . . 512

CAP. XVII. De cursoribus seu nuntiis judicialibus (*huissiers*) . . . . . 515

CAP. XVIII. De curia archiepiscopali, primatiali et patriarchali. . . . . 516

§ I. Quomodo curiæ episcopali similis quoad formam, diversa quoad jurisdictionem, sit metropolitana, primatialis et patriarchalis curia . . . . 516

§ II. An officialis metropolitanus possit aut debeat esse idem ac diœcesanus, et quid in forma eumdem constituendi sit observandum . . . . . 517

§ II. De officio Vicarii generalis Archiepiscopi quoad appellationes . . . . 518

FINIS INDICIS TOMI PRIMI.

5995